

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650
CHRISTO ET ECCLESIÆ

ANTIQUITATES
ROMANÆ.

ANTIQUITATES
ROMANÆ

COMPENDIO, LECTIONUM SUARUM IN USUM, ENARRATÆ

A

Jean Dominique

J. D. FUSS,

IN UNIVERSITATE LEODIENSI P. O.

EDITIO TERTIA,

MULTO, QUAM SECUNDA, EMENDATIOR, MULTO, PRÆSERTIM IN JURIS ROMANI ANTIQUITATIBUS, INSERTO ETIAM DIRKSENIANO XII TABULARUM CONSPECTU, AUCTIOR.

LEODII,

TYPIS P. J. COLLARDIN, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

A. MDCCCXXXVI.

PRÆFATIO (*).

Compendia, quæ vocamus, facientibus solenne scimus esse, se ad conscribendum coactos prædicare, sive vera illa sive ficta necessitas; qua multi inanem scribendi libidinem excusantes, discipulis et, quod gravius etiam, litteris male consulunt, futilium librorum copiam augentes. Nos, ne et ipsi hoc peccemus, vehementer quidem metuimus, et viribus parum fidere sueti, et celerius, quam oporteret, con-

(*) Primæ hujus libri editionis præfationem quum neque omittere placeret, neque vero, cur mutatam multum auctamve daremus, causa esset, quæ monenda aliquot in locis occurrebant, ea integræ subjicere, quam aut inserendo turbatam refingere, aut novam componere, maluimus. Hic autem nonnulla, tanquam tertiæ editioni præfantes, conjungimus.

Primi operis nimia, in tanta rerum copia, brevitas, ne nostram quidem interpretationem audientibus placens, valdius offendere debuit alios, sive discipulos sive magistros, libro nostro utentes; quales non deesse, argumento erat major ab his, quam a discipulis nostris, emtus exemplarium numerus. Quo magis, opusculum prælo a. 1825. reddentes, id egimus, ut ejus utilitatem cum largiore explicatione, tum vero rerum etiam accessione augeremus. Itaque, si minus nostro, certe aliorum usui duplicata fere, eaque voluminis amplitudine gratum fecimus, quæ nec magistris nimia, et discentium studio satis explicita videretur; jamque, post divendita secundæ exemplaria, tertiam editionem paranti non tam in amplificando, quam in perficiendo opere laborandum fuit. Igitur emendantis partes pro viribus implentes, exceptis perpaucis locis, præsertim vero legis actionibus (§. 271.), (ubi compendii fines egressum argumenti novitas excuset,) etsi rebus quoque sæpe et aliis, et legibus (§. 261.) Dirksenii XII. Tabb. conspectum adjicientes, tamen impensius multa, vel nimis angusta oratione vel alias obscura, in iisque simpliciter indicata,

PRÆFATIO (*).

Compendia, quæ vocamus, facientibus solenne scimus esse, se ad conscribendum coactos prædicare, sive vera illa sive ficta necessitas; qua multi inanem scribendi libidinem excusantes, discipulis et, quod gravius etiam, litteris male consulunt, futilium librorum copiam augentes. Nos, ne et ipsi hoc peccemus, vehementer quidem metuimus, et viribus parum fidere sueti, et celerius, quam oporteret, con-

(*) Primæ hujus libri editionis præfationem quum neque omittere placeret, neque vero, cur mutatam multum auctamve daremus, causa esset, quæ monenda aliquot in locis occurrebant, ea integræ subjicere, quam aut inserendo turbatam refingere, aut novam componere, maluimus. Hic autem nonnulla, tanquam tertiæ editioni præfantes, conjungimus.

Primi operis nimia, in tanta rerum copia, brevitas, ne nostram quidem interpretationem audientibus placens, valdius offendere debuit alios, sive discipulos sive magistros, libro nostro utentes; quales non deesse, argumento erat major ab his, quam a discipulis nostris, emtus exemplarium numerus. Quo magis, opusculum prælo a. 1825. reddentes, id egimus, ut ejus utilitatem cum largiore explicatione, tum vero rerum etiam accessione augeremus. Itaque, si minus nostro, certe aliorum usui duplicata fere, eaque voluminis amplitudine gratum fecimus, quæ nec magistris nimia, et discentium studio satis explicita videretur; jamque, post divendita secundæ exemplaria, tertiam editionem paranti non tam in amplificando, quam in perficiendo opere laborandum fuit. Igitur emendantis partes pro viribus implentes, exceptis perpaucis locis, præsertim vero legis actionibus (§. 271.), (ubi compendii fines egressum argumenti novitas excuset,) etsi rebus quoque sæpe et aliis, et legibus (§. 261.) Dirksenii XII. Tabb. conspectum adjicientes, tamen impensius multa, vel nimis angusta oratione vel alias obscura, in iisque simpliciter indicata,

fectum opus vulgaturi; an vero cæterum idoneam scribendi causam adferamus, e sequentibus opera nostra usuri, et si quorum præterea intersit, judicent; nec veniam eos, sed, ut auditum ita demum condemnent, rogamus.

lucidius, quantumque satis esset, illustrare, salva, quæ vel maxime compendia decet, brevitate studuimus; sicque et textum sæpe et notas cum interpretando, tum majorem, e veteribus præsertim, locorum numerum inserendo auximus. Qua ratione ne moles libri, et hinc pretium cresceret, partim typis aliquanto minoribus, partim locorum, quorum ingens copia, indicatione e textu in notas translata effecimus, duo simul assecuti; ut et opus, rebus atque interpretatione amplificatum, minore tamen volumine contineretur, et textu crebra, queis implicabatur, locorum indicatione liberato, incommodum plerisque discipulorum non parvum tolleremus. Levius, sed tamen incommodum erat paragraphorum in magna operis parte inæqualis longitudo, inde nata, quod prioris editionis pagellas singulas sæpe in plures extendentes, eundem paragraphorum numerum retinueramus, scilicet indicis rerum copiosi ad novos numeros mutandi laborem, quem nunc suscepimus, fugientes.

De locis autem recentiorum, quos citavimus, scriptorum, monendus lector, esse nonnullos, in iisque Creuzerum, Hugonem, et, cujus maxime gratia hæc dicimus, Niebuhrium, quorum operis quum postrema editione uti in præsentia non possemus, priorem consulere et hinc citare relinquebatur. Quam ob rem qui nimium nos reprehendat, animadvertere eum velimus, hanc esse et fore semper studii, quale est antiquitatum romanarum, conditionem, ut multa occurrant, in quibus, quod in præfatione dicimus, conjicere semper, scire nunquam detur. In his adeo mirum non est, si, ut alii passim ab aliis, interdum a semet scriptores discrepent; quum contra in iis, quæ jam ad dubitationem eximendam satis illustrata existimentur, credibile sit, nullius sententiam tempore mutari. Quare, ut hic nihil intererit, prioris an posterioris editionis locus indicetur, sic in dubiis plerumque non tam id refert, ut, quid viro docto postremum placuerit, quam, ut rem ab eo tractatam esse discamus; quod scientes, si locum ipsum consulere libet, hortandi jam non sumus, ne ad priorem potius editionem recurramus.

Restat, ut de lingua et dictione libri nostri hæc profiteamur. Latine scribere, non barbare, non voluimus tantum, sed, ut scriberemus, idque in primo jam opusculo, sedulo operam dedimus. Cæterum, si, quod dubitare arrogantiæ proximum diceres: si quid igitur in tertia quoque editione peccatum, apud doctiores, modo ne numero offendam, maculis

Nempe antiquitates Romanas in Universitate Leodiensi docendi munere suscepto, frequenti hodie et parabili merce, commodissimo ventosæ ignorantiæ subsidio, fasciculorum, quibusdam benevolentiæ veniam facile me impetraturum spero; sciunt enim hi, nec peritissimis quidem facile esse a sincera latinitate nusquam aberrare, et in recentioribus quoque linguis raros, imo vix aliquos esse, in quorum scriptis nihil, sive ut ab linguæ ingenio, sive ut a grammatices norma alienum, reprehendi merito possit. Sed aliud latine, aliud Ciceroniane scribere: quam laudem ita adfectantes, ut, non Ciceroniana nec bona, aut adeo nec latina esse contendant, nos, ut lenissimo verbo utamur, paradoxa potius quam verum amantes vocaremus; quippe quum verissimum judicemus, ut latine, ut bene etiam scribatur, non magis unum Ciceronem, quam gallice scribentibus Voltairium esse imitandum; de quo alibi plura nos, sed hic non repetenda, diximus. Ciceroniana tantum probanti fuerit sane in hocce libro, ubi vel habitum modo orationis, vel locutionem, verborumve adeo usum damnet. Nos, quod ad hæc, pauca priorum editionum, ut bonæ ætatis scriptoribus inusitata, sustulimus, in quibus *præstare tenebatur* (pag. 301.), et sæpe occurrens *adeoque*, quod pro *atque adeo*, id est *igitur*, doctissimorum quidem inter recentiores exemplo, sed, quantum reperimus, recte monente Krebsio (in *Anleitung zum Lateinschreiben*, pag. 583), male usurpatum. Contra alia, et hæc quoque paucissima, inter quæ *nec non* (v. §. 148.) et *sequentia* (cf. pag. II. et §. 463.), in ea orationis junctura servavimus, ubi latina non esse, sive Krebsio sive Zumptio alii credant; mihi autem et latina et optima esse, facile foret demonstrare; modo ne, res diversæ, Ciceronianum et latinum confundantur. Nec vero cum illis viris clariss. barbaram dixerim vocem *forte*, pro *fortasse*, quin particulæ quædam præcedant, usurpatam: quam licet cum poetica, tum prosa etiam aureæ ætatis oratio aliquot locis defendat, tamen eam rejecimus. Displicebat et *ut par* (v. §. 414.), pro *ut consentaneum, ut res fert, suadet*, sæpius recurrens, et, quod sero vidi, non ubique emendatum. Denique verba *et cætera* (etc.), ut veterum scriptorum, quam haud ignorabam, consuetudini non plane congruenter addita, jure possis impugnare. Sed enim neque sani homines hic, ne justo rigidiores sint, rogandi, et, quos putida delectant, multis verbis, ne ridiculi esse malint, frustra admonueris.

Ut autem latine, sic bene etiam ubique, et, ubi res suaderet, eleganter quoque et suaviter vel compendium scribere nostri officii duximus: quod interdumne, an nusquam fecerimus, aliorum est judicare. Cæterum, si vel ita mihi hoc, ut nemini magis, contigisset, non ideo inter eos, qui talia curent, defuerint, qui me, si minus, quia male, at, quia latine

ut ipsam rem dicamus, academicorum ope prorsus destitutus, neque ullos quærendi studiosus (*), quod, simili in officio, academici doctores facere solent, mihi, latino sermone usuro, magis faciendum existimans, lectiones de antiquitatibus habendas integras, nec sine magno labore conscripsi. Dein docendo mox intellexi, nisi omnem operam perire majori auditorum numero mallem, compendio me carere non

scribo, reprehendant: quorum persuasionem, quod ad librum meum, ne cætera hic attingam, adeo non amplector, ut, si recentiore illum lingua initio scripsissem, citius nunc moverer, ut in latinam, quam ut latine scriptum in gallicam, quod fuere qui mihi suaderent, transferrem. Sic enim vere reputo, linguæ latinæ amantibus, si quidem et proba et alias laudanda sit dictio, utilius simul et jucundius fore latine, quam recentiore lingua compositum de antiquitatibus romanis opus; latinitatis vero aut ignaros aut osores vix ullos de illis rite cognoscendis multum esse laboraturos; nimirum simile hic atque in veterum litteris accidere, in quibus, ut unus pro omnibus nominetur, Virgilii amantes, præter latine doctos, paucissimos inveneris. Ut igitur his non desunt Virgilii recentioribus linguis interpretes, quorum adjuti ingenio poetæ latini suavitate aliquatenus fruantur; sic neque antiquitatum romanarum linguæ latinæ rudibus, et multo minus deerunt auctores, e quibus illarum notitiam colligant. Mihi autem tales discipulos, ingenue fateor, parum optabiles videri, quippe qui veterum præsertim litterarum amantibus librum composuerim, quarum studium et amorem, ut ab antiquitatum cognitione, si verum quærimus, sejungi nequit, ita nec sine latinitatis amore studioque vigere posse existimo. Nec vero, quas litteras a pueris colere nunquam desii, minoris illæ mihi nunc ideo faciendæ, quoniam non græcas modo, sed latinas adeo docendi facultate me privari visum. Quo quidem impensius litteraria publicum in usum industria id mihi præstandum intelligo, ne non tam digniori, quem magni meritoque semper feci, inferior, quam rudior tandem, et, cui jam pæne insenueram, muneri impar esse judicatus, sicque una et litteras latinas et longe maximam emolumentorum partem jure quodam nec sine mea culpa videar amisisse.

(*) Persuasus scilicet, certiora quæque et optima doctorum libris, non fasciculis ex eorum ore collectis contineri, qui tamen a venerabundis summorum virorum discipulis merito et coluntur et propagantur, nec sane per se contemnendi; sed notam multorum jactantiam facile mecum, quin lædere quenquam animus sit, aversere.

posse. Itaque, quod unum dabatur, ex iis, quæ composueram, epitomen conficere eamque dictando lectionibus præmittere constitui. Nam vulgato libello uti ideo non poteram, quoniam, etsi plures consulens, in cæteris nullum, unum in partium duntaxat ordine potissimum secutus eram : idque non arroganti aliorum laboris fastidio, sed aliis de causis, quas hic necesse non est enarrare.

Hanc porro viam semel ingressus, jamque, ne diutius dictando magna temporis pars periret, de compendio typis vulgando cogitans, multis movebar, ne ex usu notioribus aliquo potius, quam a me confecto in posterum uterer. Etenim experientia planius cognoveram, hæc sive opera sive opuscula, quamvis, bonum unum alterumve esse, facile concedam, meis tamen lectionibus alia alio nomine minus convenire. Accedebat, quod latino prorsus opus, ideoque aut tale legendum, aut aliud vertendum erat; unde, nisi mea opera multo præstantius quid vulgaretur, duplex temporis juxta. E latinis vero alia justo longiora, alia breviora videbam; velut Burmanni, non multum illa probanda, *Antiquitatum Romanarum brevis descriptio,* nuda pæne rerum indicatio; qualis omnino Heynii *Antiquitas Romana in usum lect. acad. adumbrata.* Nec multo ampliores Oberlini *Tabulæ,* quas cum suis lectionibus conjunctas edidit Reizius.

Igitur non simplicem conspectum modo et capitum divisionem nudaque nomina, sed brevem quidem, at summa libare cupienti sufficientem eorum interpretationem quærentes, quibus perceptis facilis largiora flagitanti labor: hanc quærentes, unum usui nostro aptius inveniebamus Nieupoortii de antiquitatibus Romanis plurimis editionibus vulgatum, meritoque laudatum opus (*), cæteris certe

(*) Heeren, *Handb. d. Gesch. d. Staat. d. Alterth.* p. 432. : Nieupoor-

plerisque et latinis et aliis anteferendum, Cellarii autem compendio, si quid judicamus, ita præstans, ut miremur hunc potius quam Nieupoortium nova luce nuper a Viro Cl. donatum. Neque tamen Nieupoortii libellum aut perfectum, aut talem esse putamus, qualem si quis nostra ætate conscriberet, magnam laudem mereretur. Imo multa in illo quoque mutanda, multa accuratius ponenda, multa addenda reperires (*). Ego autem dubitans, meliusne esset, Nieupoortii novam editionem vulgare, postremo, ne id facerem, hac maxime persuasione commotus sum, meam scilicet operam, etsi inferiorem, posse tamen auditoribus, me interprete, utiliorem esse, quam si accommodatas illi lectiones ad alterius normam refingerem. Meo nempe usui, meis lectionibus vacaturis hocce opusculum et scripsi et edo. His si bene consuluero, satis me remuneratum (**) habebo, nec labori quidquam præterea laudis aut spero aut cupio; quæ si scribenti proposita fuisset, sane omnia potius quam antiquitatum compendium scripsissem; neque vero mihi compositum aliis magistris commendatum volo; et facile, opinor, quæ sequantur, meliora invenient.

Exposuimus libelli nostri scribendi necessitatem, aut, si

tium utique liquide polliceri, quod dare velit; qui universam Romanorum antiquitatem tractatam polliceantur, intra mediocritatem hucusque stetisse. Idem Beaufortium eximie laudat, integer scilicet a novitatis labe, in antiquitatibus quoque Romanis grassante, cui sordere diceres, quidquid est apud priores doctæ sagacitatis.

(*) Multa post Nieupoortium, Schwarziique et aliorum in eum animadversiones, a viris doctissimis quæsita et pronuntiata, quæ, etsi non cuncta aut vera aut meliora, tamen antiquitatum auctori nunc respicienda; nova quoque ad studii fontes accesserunt, Caji institutionibus aliisque reliquiis veterum nostra demum ætate repertis.

(**) In voce, cujus hic non plane classicus usus, veniam rogamus similibus peccatis. Voluimus enim, ut supra in nota professi sumus, dictione non Ciceroniana quidem, sed probata tamen bonorum scriptorum auctoritate uti, ubicunque gravis causa non esset, cur aliter faceremus.

quis malit, causam. In quo primum non levis difficultas visa est, quibus finibus, sive partium præcipuarum sive temporis, spatiosum antiquitatum Romanarum campum includeremus. Est enim, ut ipsius antiquitatum vocabuli notio admodum vaga, sic, quibus partibus earum studium contineatur, nullo scriptorum consensu satis definitum (§. 1. 6.); et præterea aliis alia, sive discentium habita ratione, sive alias graviora. Sunt qui litteras artesque, sunt qui singulorum deorum enumerationem (*), qui urbis memoranda excludi velint; et quosdam videas nil nisi reipublicæ formam, leges, comitia, magistratus, omnino hanc partem cognoscere operæ pretium existimare, in iis vero vel nauci non facienda scrupulose inquirere. Sunt contra, qui his ipsis minimum, aliis impensius delectentur. Nos autem id magis intuentes, quid auditoribus nostris expediat, quam quid aliis includi aut excludi placeret, primo, quamvis jurisprudentiæ studiosos maxime auditores habituri, illud cavendum duximus, ne, hujus disciplinæ partibus nimium tribuentes (**), cum eadem minus arcte conjuncta instituta, usus moresque negligere cogeremur. Sic enim censemus, jurisprudentiam quidem plurimum sibi merito vindicare, cæterum maximam antiquitatum Romanarum studii utilitatem ad classicorum scriptorum interpretationem spectare, neque hanc juris studiosis magis quam aliis parvi faciendam esse. Temporis autem habita ratione, alienum ab lectionum nostrarum fine cernebatur,

(*) Quæ quam arcte cum artium antiquitatibus conjungatur, nemo gnarus non intelligit; quo rectius illam non omittunt has non excludentes. Cæterum non fugit me, quantas quamque multas res ad antiquitates Romanas trahere queat, cui semel propositum, ut hoc jocantis exemplo utar, logicen ad beatæ Cæciliæ metaphysicam panharmonicam extendere.

(**) Quibus tamen in secunda multo, quam in prima, in tertia autem largius etiam, quam in secunda editione, prospectum.

aut in republica, quod doctissimum Beaufortium fecisse vidimus, aut in cæteris omnino statum liberæ civitatis non excedere. Illud tamen manifestum erat, justo longiores nos fore, si ad extrema Imperii Romani tempora veterum institutorum morumque immutationem persequi, imo si multa attingere tantum velimus. Quare ex Cæsarum ætate, et præcipue in iis, quæ ad rempublicam pertinent, paucis immorandum constituimus, extremi temporis vix quidquam adferentes, e prioribus et pauca et hæc plerumque verbo memorantes. Quanquam fatemur, sic necessitate magis fecisse, quam persuasos, Cæsarum et labentis Imperii tempora minoris momenti esse cognoscere, quam liberæ civitatis instituta; etenim longe aliter sentimus. Sed, quod nunc prolixitas vitanda vetuit, si quando facere ratio et discentium suadeat usus, operam dabimus, ut opusculum, altera parte mancum, utraque æqualiter absolutum prodeat (*). Jam vero ad litteras artesque quod attinet, neque illas nos prorsus omittendas censuimus, sed *theoriam*, ut vocant, non magis in his, quam in aliis antiquitatum partibus tractandam, mittentes, ex iis pauca adferimus, quæ litterarum artiumque antiquaria non absurde adpellare possis, utraque cognitione et utili et jucunda. Eadem porro ratio nos movit, ut Imperii Romani conspectum geographicum adjiceremus, ipsius Urbis antiquitatibus non plane omissis, in omnibus videlicet latius patentem illam studii intuentes utilitatem, quam supra diximus, his autem planius declaramus.

Igitur antiquitatum studii magnam esse utilitatem, magnum ad liberalem adolescentium institutionem momentum, si quis neget, idem universe judicet, necesse est, de

(*) Hoc consilio multa multis locis adjeci, quin, quod vehementer cupiebam, integrum præstare jam licuerit, molem laboris et viribus meis, verear, majorem, et lectionibus justo ampliorem.

generis humani cognitione, neque quidquam in historia, cujus alteram partem antiquitates recte vocamus, utile aut studio dignum, præter rerum gestarum enarrationem inveniat; quales fateor quidem plurimos esse, expeditiones modo, pugnas, triumphosque quærentes; quippe harum rerum et splendore et mirabili vicissitudine eo libentius tenentur homines, quod delectatione animus, veluti scenicos ludos spectantium, sine labore fruitur. Sed alia vulgi in historia litterisque, alia doctorum et sapientium oblectatio, aliud judicium. Hi enim, ut in litteris artibusque pulchri illius speciem, cujus sensum deorum naturæ proximum veteres dixere, sic in historia fatorum vitæque humanæ effigiem contemplantes, illa parte, qua populorum instituta moresque continentur, haud levius, imo impensius, quam rerum gestarum enarratione delectari solent.

Jam, quæ hic universe pronuntiamus, quis non intelligat, inprimis de Græcorum et Romanorum antiquitate valere? Etenim, quum in aliarum nationum vita cognoscenda aut mere aut potissimum historica tantum, ut ita distinguam, sit utilitas, in illis et historicam insignem, et aliam insuper multiplicem maximamque inesse, patet. Nam, ut Græcos hic mittamus, Romanorum historiam quis neget ante omnes memorabilem esse habendam? Quid enim eorum Imperio aut excelsius aut magis mirandum extitit, cujusve populi tanta monumenta et priscæ magnitudinis stupenda vestigia superant? cujus denique, ut uno verbo, quod est gravissimum, complectamur, institutis in recentiorum populorum vitam translatis, tanta vis fuit in universum genus humanum?

Justissima profecto hæc ratio existimanda, cur antiquitatum Romanarum cognitionem adolescentium ad altiora tendentium studio dignissimam dicamus; nec tamen altera

minus impellere eos debet, ad Græcorum Romanorumque litteras pertinens, quas doctæ institutionis longe optimam veluti basin hodieque judicari et merito videmus (*). Atqui, ut prætereamus, non levem utilitatem inde ad linguæ sive Græcæ sive Latinæ pleniorem intelligentiam redundare; veterum litterarum studium, ut plenos proferat fructus, antiquitatum cognitione carere nequit; nec enim sine illa, quos classicos vocamus auctores, recte interpretabimur, nec in iis egregia satis intelligemus; et vero pulcherrima et gravissima classicorum opera, ut cum fructu legi et jucunditate possint, nonne ingenti notarum copia vulgo instruuntur? His igitur carebimus, paucissimis utique contenti erimus, antiquitatum non mediocri cognitione parata; quam ut nemo e notarum farragine sine maxima temporis jactura collegerit, ita studio antiquitatum rite instituto et facilius multo et rectius assequetur.

Sed peculiare ex antiquitatibus Romanis commodum idque maximum capiunt juris studiosi. Etenim non modo pars haud exigua in legum aliorumque ad jus pertinentium enarratione atque interpretatione versatur, sed et cæterorum pene omnium cognitio utilis existimanda est ad juris Romani, atque adeo omnino ad jurisprudentiæ studium. Ab Romanis enim in illo, ut rite docteque instituatur, incipiendum esse, nunquam non præceperunt celeberrimi hujus disciplinæ magistri, cum quibus consentientem habemus Virum Cl. in oratione, Annalibus Academiæ Leodiensis inserta, *de studii juris Romani utilitate ac necessitate.*

Præcipuis momentis adumbravimus antiquitatum Roma-

(*) Antiquitates Græcæ quatenus Romanas tractanti respiciendæ, hic inquirere non libet; multa utrisque communia, multa a Græcis ad Romanos translata esse, perspicuum est; id cavendum, ne, quæ non sint, fingantur.

narum cognitionis commoda. Nunc brevissime, quænam in hoc argumento tractando ratio placuerit, ostendamus. Ac materiæ quidem compendio nostro includendæ limites supra posuimus. Ordinem autem primariarum partium alios alium secutos cernimus. Fuit, qui ab religione, qui ab Urbis descriptione, qui ab incolis Imperii inciperet; et par erat ita accidere in nullo systematico, ut hoc utar, nexu cohærentibus. Neque tamen hoc volumus, nihil prorsus referre, qua serie partes jungantur; at, qua potissimum jungendæ, diu incertus hæreas (*). Nos autem, paucis mutatis, ordinem, quem in Schaaffii *encyclio de classica antiquitate* opere (*Encyclopædie der classischen Alterthumskunde*) invenimus, secuti sumus, non tam præcipue probantes, quam semel optatum servantes.

Gravior quæstio videtur, an rerum, natura variantium, enarratio temporum periodis e præcipuis mutationibus distinguenda. Quam distinctionem ab historia populorum ad litteras, disciplinas artesque translatam, in jurisprudentiæ pariter historia et alii, et subtiliore rerum discrimine secutus est in hac litterarum parte, sicut omnino inter juris prudentes, insigniter celebratus Hugo. Nos eandem in idonea quidem materie magnopere, in antiquitatibus autem tractandis nequaquam probaremus. Neque vero ideo minus cavimus, ne, temporis neglecta ratione, prima extremis miscentes, eam culpam admitteremus, quam in antiquariis plerisque lepide reprehendit Meierotto in præfatione ad librum, quem inscripsit *de moribus et vita Romanorum* (*über Sitten und Lebensart der Rœmer*) *variis reipublicæ temporibus*.

In singulis autem rebus exponendis absurdum sane com-

(*) Dispositionem *geneticam*, ut ipse §. 12. vocat, secutus Creuzer, cujus rationem lectionibus suis exponendam reliquit.

pendium scribenti fuisset, quid alii dixerint senserintque, negligere; ac minime ita fecerunt Sigonium, Gruchium, Spanhemium, alios, velut patres antiquitatum disciplinæ, secuti, nec vero id fecit ipse Heineccius, nec ex eo compilata sæpe male repetentes recentiores multi. Quo magis commendandus in Republica Romana illustranda ab his longe diversam et criticam viam ingressus doctissimus Beaufort. Nos et hunc et bene multos consuluimus, et fontibus etiam aditis, in dubiis eruere verum aut vero proximum conati sumus, cæterum memores, in compendio neque disputationi indulgendum esse, neque omnia satis illustrari posse, imo plurima indicanda tantum, disputationem (*) et argumenta lectionibus relinquenda esse. Sed inprimis hoc vitavimus, ne nuperis conjecturis opusculum temere impleretur. Multum enim præstare putamus, vulgo recepta, licet non satis certa, servare, quam nova æque aut magis suspecta substituere; quod quidem eo religiosius vitavimus, quoniam hucusque vulgo probata, quamvis jam falsa esse constet, ne sic quidem recte omitterentur. Itaque novarum conjecturarum mentionem interpretationi servare maluimus, cum in aliis, tum in iis, quæ ad reipublicæ Romanæ vetustissimam formam pertinent, confusam et antea molem, sed magis post Niebuhrii investigationem, criticam quidem illam et subtilis ingenii, at argumentis tamen non semper idoneis nitentem (**): quæ cum multis admiranda videre-

(*) Ab ea nunc quoque, exceptis aliquot locis, (inter quos de legis actionibus, deque suffragiorum ordine quæstiones,) temperandum putavimus.

(**) In viri insignis verba quod non ubique juravi, nec ipse, si viveret, ægre sit laturus; nec tenuitas mea, si cupiat, ei quidquam gloriæ detraxerit. Egregia multa *historiæ* ejus *Romanorum* qui sincere mirentur, docti et sagaces non deerunt; *fasciculogerulos*, quidquid dixerit, etiam non lecta, ut oracula, jactantes minus curaret.

tur, hoc ipso tempore adversarium non contemnendum nacta Wachsmuthium in *Historia Antiquiore reipublicæ Romanæ* (*ælteres Geschichte des ræmischen Staates*).

Quare nos quidem, quod nova non facile admisimus, prudentium reprehensionem minus veremur; indoctorum autem et pueris propiorum, quos, arundine mobiliores, si latine loquenti Aristophanica concedatur verborum compositio, nimis velim *fasciculotumidocerebronebulocrepitantes*, aut simili aliquo nomine adpellare: horum igitur non est cur aut judicio aut censura multum moveamur. Scimus nempe, his proprium esse nova quæcunque temere arrepta credere. Nam cui, in magistri verba jurantes, adsueverunt, idem disciplina egressi faciunt, donec suo judicio, si deus dederit, aliquando fruantur. Hoc hominum genus, ut facili est fide, modo nova et ea audacter proferas, sic mirantur obscurum et desperandæ difficultatis cuiquam vederi ea, quæ ipsis nullo negotio sint manifesta. Idem itaque in antiquitatibus Romanis evenire istis consentaneum est, ubi quanta sit in multis obscuritas, suis oculis cernentes, consultis veterum testimoniis, comparatis recentiorum sententiis, et doctissimorum inter hos dissensione discunt. Atque utinam hæc in levibus tantum rebus inveniretur, quas parvi interest accurate cognoscere: veluti, quid sit pignora cædere, quid sartâ tecta exigere, quo in ligno lapideve aut metallo scriptæ XII tabulæ? Scilicet cordati homines hæc angustis animis putida diligentia perscrutanda et dissertationibus, parum solliciti quo successu, illustranda, ut hucusque fecerunt, inposterum etiam relinquerent. Sed in gravioribus quoque dissentientes veteres scriptores, millies interrogati, in contrarias sententias hodieque distrahunt recentiores; hinc ut intelligas, res esse ejusmodi, in quibus conjicere semper, scire nunquam detur. Ac in his nescio

an non ponenda ordinis centuriarum in suffragia euntium mutata ratio (§. 163.); de qua cum minime probassem Schulzii, Cl. Viri, in libro *de Comitiis Romanorum* (*über die Volksversammlungen der Rœmer*), sententiam, probabiliorem a Savignyo propositam sero cognovi. Hic enim, longe celeberrimus auctor, alterius male neglectæ opinionis interpres, excepta sexta classe, cui unam relinquit, singulis classibus e qualibet tribu duas, alteram juniorum, alteram seniorum, centurias tribuit; sic in quinque classibus duplicatur tribuum numerus (cf. Liv. I, 43.), suntque, adjectis equitum triginta quinque, quas ex equestri ordine a censore lectas primæ classi conjungit, omnino trecentæ octoginta sex centuriæ. Æque abstrusa quæstio est de edicto perpetuo per Salvium Julianum jussu Adriani Imperatoris in meliorem ordinem composito (§. 194.), negata etiam Prætoribus nova capita adjiciendi licentia. Utrumque enim a nonnullis hodieque, ante Hugonis prævalentem auctoritatem vulgo tradebatur; cujus sententiam, ex argumentis æstimans, quibus in ejus *Historia juris Romani* (*Geschichte des rœmischen Rechts*) confirmata exstat, quum ex parte, non integram probassem, vulgarem in compendio servavi.

Jam, ut, quæ monenda supersunt, paucissimis adjiciantur: quemadmodum in rebus nova non temere, sic in enarratione ab aliis bene exposita quandoque exigua aut nulla mutatione haud inviti recepimus. Quanquam id alias rarissime, in uno Schaaffio, cujus et ordinem in primariis partibus jungendis nos secutos supra diximus, sæpius accidisse scimus (*): quo nomine si quis operam nostram minoris faciat, haud ægre feremus gloriolæ nobis partem detrahi, quam compendio scribendo nullam quærimus; plagiarium

(*) Quanquam id ipsum in correcta nunc et ampliore opera vix usquam, opinor, adparebit.

autem nil alieni sibi vindicantem, nisi iniquus, non adpellabit. Cæterum parvo opusculo quam plurima comprehendere cupienti, et tamen in singulis præcipua satis explicare, enixe curandum fuit, ut, omnibus aptissimo loco expositis, nec temere quidquam repeteretur, et sparsa ad ejusdem rei interpretationem sola paragraphorum indicatio conjungeret. Cumque multa essent aut nomine tantum, aut uno alterove verbo, explicandi gratia adjectis, memoranda, non simplex labor fuit hæc cum præcipuis rebus eo modo conjungere, quo minimum interpretatione indigerent. Hinc ad parenthesin sæpissime recurrimus, interdum etiam inserentes, quæ nec omittenda videbantur, nec aut paucis verbis aut cum aliis nexu aliquatenus explicari poterant (*). Quem parentheseos usum fatemur universe probandum non esse, sed suum opus interpretanti minus incommodum reputamus. Denique cum apta rerum dispositione et lucido ordine conjungere studuimus summam styli, salva perspicuitate, brevitatem.

Auctorum vero locos quod in compendio lectionibus consecrato, Nieupoortii et aliorum exemplo, indicavimus tantum (**), nemo, opinor, reprehendet. In quibus hoc egimus, ut quam maxime idoneos ad res confirmandas, et ipsi quærentes, et citatis utentes, nec nisi exploratos legeremus, et, quod ab aliis passim neglectum magna temporis jactura cognovimus, ut accurate notarentur (***). Itaque

(*) Quod si nunc quoque, certe et raro admodum, et minus obcure fecimus.

(**) In secunda, et sæpius in tertia editione, ex ingenti locorum copia, primarii ad rem unius, interdum et plurium verba adjecimus.

(***) Qua tamen in re quis unquam aut a sua satis cavere, aut typothetas ab omni culpa tutos præstare potuit? Me quidem hic, ut omnino in vitiis, quæ supersunt, typographicis, facilius certe excuset valitudo, qua, solus corrigendi munere fungens, sæpe, quominus, quantum voluissem, curæ adhiberem, impediebar.

rarissime, nec, nisi quum libri alicujus forte copia non daretur, locum non percognitum citavimus. Ipse autem locorum e copiosa sæpe farragine delectus cum tædiosa res est, tum non parvæ difficultatis; nec est quidquam ad eam rem magis necessarium profundiore linguæ, qua scriptum opus consulimus, cognitione. Quod utinam persuasum omnibus esset, qui in antiquitate illustranda occupantur! Abstinerent profecto plurimi a scribendo, donec id parassent, quo carentes nec doctrina ulla nec ingenio satis cavere possunt, ne errores erroribus cumulent. Nullus enim hoc largior errorum fons; et experientia nostra ætate abunde docet, postquam moris esse cœpit, quod clari in veterum litteris viri nonnisi ingenti industria assecuti, id adolescentulos præcipiti quasi volatu se assecutos confidere (*). Hinc illæ, non lacrimæ, sed tenebrosæ ineptiæ.

Scriptores porro de antiquitatibus Romanis quod attinet, classicos, et omnino veteres, linqua latina usos, capiti de litteris (§. 409.) inseruimus; Græcos paucissimos citasse satis habuimus; nisi quod iisdem adnumerandus Laurentius Lydus, inter scriptores de magistratibus §. 183. memoratus, malus quidem ille, si quis alius, auctor (**), at cujus tamen

(*) Justius etiam ridentur turpiter se dantes seniores, quum latina ita, ut parum profecisse, Græca vero ita interpretantur, ut pateat, in lexicis verba quærere eos utique didicisse. Scilicet, illud quoque hinc accidere interdum, necesse, ut homines non dubia mentis sanitate linguarum peritiori jam in hermotimianam procliviores videantur.

(**) Quam ob rem non minus mihi cavendum erat; ne tot Lydi erroribus aliquid insuper adfingerem: quod in libri 2. §. 1. me fecisse, sero animadverti; ubi, in *Epistola ad Hasium*, Marium cum filio ejus confusum, recte adnotavi; cujus corpus in frusta (Lydus εἰς τεμάχη) concisum esse quum nota res sit, ratio non suppetebat, cur hoc quoque supplicium errore Lydi ab alio quodam, in frusta conciso, ad Marium translatum suspicarer. Neque vero, libro 1. §. 32, Atilium Regulum cum Q. Cincinnato confusum, recte monui, quum Atilium Serranum (V. §. 492.)

testimonium cognoscere interdum vel ideo operæ pretium sit, quoniam fere solus superat inter eodem in argumento versatos. De recentioribus vero, universam disciplinam complexos in introductione aliquot indicavimus; cæteros quum in ipso opere suis adjicere partibus cœpissemus, mutato consilio, satius visum peculiari eos indice (*) conjungere, neque hoc tam ideo, quod consultos eos ab auditoribus nostris cupierimus, nisi si qui scribere de antiquitatibus Romanis cogitent, quam existimantes, non prorsus inutile esse e titulis nonnullis antiquariorum industriæ campum cognoscere. Verum, confecto libello, noluimus spe longius productum parte minimum necessaria insuper crescere. At rerum et verborum indicem eo copiosiorem addidimus, haud dubie opusculi, si quam vere habet, utilitatem aucturi; quæ quidem adolescentibus, nostris lectionibus operam daturis, ut magna sit, sicque, non tumidam sapientiam, sed veri nobiscum studium modestiamque amantes, faveant, ipsorum potissimum gratia vehementer optamus.

Leodii, mense Martio, a. MDCCCXX.

dicere debuissem. Quæ non prorsus alieno loco hic respicere mihi videor in scriptore, quem in hoc libro sæpissime testem citavi, cujusque interpretationi memoratam modo epistolam dicavi, ampliorem aliis operam relinquens, qualem an nactus interim sit, ignoro.

(*) Hunc, secundæ jam editioni adjectum, in tertia, sicut indicem quoque rerum et verborum, paulo auctiorem dedimus.

ROMÆ ÆTERNÆ.

Ῥώμη, παῖς Ἄρεος, λαῶν μεγάθυμος ἄνασσα,
　Καὶ πείσασα νόμοις, οὓς ἐδάμασσε βίᾳ,
Ὑψίστας τ᾽ ἀρετὰς, δεινούς τε τεκοῦσα τυράννους,
　Θαῦμά τε γινομένη, θαῦμα πεσοῦσα βροτοῖς!
Σοὶ μὲν θεοὶ, κρατερῶν τ᾽ ἀνδρῶν πέπτωκε τρόπαια,
　Ἡ δέ σ᾽ ἔκρυψ᾽, αὐτὴ γαῖα λέγει, τίς ἔφυς·
Σὺν μεγάλην μικραῖσι θανεῖν σ᾽ ἦν μοῖρα, θανούσης
　Ἴχνια δ᾽ ἀθάνατος μυρί᾽ ἔσωσε βίος.

IN ANTIQUITATES ROMANAS

INTRODUCTIO.

ANTIQUITATEM veteres scriptores vel longe remota a suis tempora, vel priscos aut homines aut historiam 1), antiquitates et hanc quandoque simpliciter, et sæpius usitatiusque eam tantum vocant partem, qua vetus populorum status, publica scilicet et privata eorum instituta moresque continentur 2). Apud Græcos utramque vim 3) habet vox archæologia 4), quam recentiores sæpe ad artium tantum antiquarum historiam monumentaque referunt. Restricta autem ad partem historiæ universæ vocabuli notione nunc vulgo utuntur scriptores, priscum populorum veteris juxta atque recentioris mundi statum antiquitates adpellantes; tametsi, quum simpliciter antiquitates dicunt, veterum potius, in hisque Græcas maxime et Romanas intelligunt. Ac sicut Græcorum et Romanorum litteræ classicæ vocari solent, ita eorum antiquitates classicas adpellare, sunt, quibus placuerit.

1) Nepos in *Att.* 20, *nullus dies tamen temere intercessit, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret;* Suet. *Nero* 38, *et quidquid visendum atque memorabile ex antiquitate duraverat;* Tac. *Ann.* 4, 16, *sicut Augustus quædam ex horrida illa antiquitate ad præsentem usum flexisset;* Cic. *de Legg.* 2, 11, *antiquitas proxime accedit ad deos.* Cf. Cic. *de Fin.* 1, 20, et Plin. *H. N.* 19, 4. — 2) Cic. A. Q. 1, 2, *in ipsis antiquitatum procemiis* (de libro Varronis); Gell. 5, 13, *hujus moris observationisque multa sunt testimonia atque documenta in antiquitatibus*

perscripta. Cf. idem 11, 1, et 13, 12, Tac. *Hist*. 2, 4, et Plin. *H. N.* præf. — 3) Alteram secutus, Dionysius Hal. historiæ Romanorum veteri titulum fecit ῥωμαϊκὴ ἀρχαιολογία; de altera cf. in aliis Plat. *Hipp. Maj.* ed. Bip. 286. πάσης τῆς ἀρχαιολογίας ἥδιστα ἀκροῶνται. — 4) Ut ἀρχαιολογία *antiquitatibus*, sic ἀρχαιολόγος *antiquario* respondet, quæ vox antiqua colligentem aut tractantem, omnino antiquarum rerum amantem ant curiosum sonat. Ad sermonem trahitur Suet., *Aug.* 86, *cacozelos et antiquarios — pari fastidio sprevit*, et Juven. 6, 454, *ignotosque mihi tenet antiquaria versus.*

2. Nos igitur, vocabuli usum sequentes, antiquitatum Romanarum nomine reipublicæ formam, religionem, rem militarem, omnino instituta moresque, sive totam, ut hodie dicere amant, interiorem et publicam et privatam Romanorum vitam complectimur. Quo in argumento id nobis præstandum, ut ejus, quem diximus, status descriptionem exhibeamus, quæ recto fontium probatorum usu, temporumque et locorum discrimine, nec minus, quantum res concedat, apto partium inter se nexu commendetur.

Cæterum in rebus tractandis, pro scriptorum aut judicio aut proposito, aliis alia divisio ratioque probatur; neque vero iisdem omnes limitibus antiquitatum circumscribunt campum, sive primarias partes, sive rerum in singulis tractandarum copiam respicias.

3. In antiquitatibus vel historica simpliciter, vel illa simul utilitas proponitur, quæ ex earum cognitione ad literarum artiumque et disciplinarum studium redundat. Hinc patet insignis, quam in præfatione hujus libri adumbravimus, Romanarum antiquitatum, tum universe, tum ad interpretandos classicos scriptores artiumque monumenta utilitas, tum vero illa, quæ propria est jurisprudentiæ Romanæ studiosis.

4. Romanorum antiquitatum fontes censentur, quæcunque eorum instituta moresque illustrant vetusta mo-

numenta. In his ab antiquariis illiteratorum nomine distinguuntur artium quarumcunque reliquiæ, ædificia, aræ, lapides, signa, picturæ, vasa, gemmæ, numi, alia sexcenta, in iisque omnis veterum supellex. Ad literata autem monumenta, præter omnes, qui superant, priscos, præsertim Romanos Græcosque, ecclesiasticos etiam scriptores, quæcunque, velut inscriptiones, fasti, calendaria, literis constant, referuntur. Scripta autem veterum, queis antiquitatum Romanarum vel partes tractantur, ut Ovidii, Frontini, Vegetii, Lydi, vel notitiarum farrago, ut Gellii, Macrobii, Festi, continetur, admodum pauca supersunt. E cæteris, tametsi vix ullus plane negligendus, par est, imprimis utiles esse historicos, cum universos, tum maxime eos, qui rerum gestarum et institutorum morumque enarrationem conjunxere.

5. A recentioribus vero auctoribus, (de quibus cum aliis consulenda J. A. Fabricii *Bibliographia antiquaria*, Hamburgi, 1760,) ad studium antiquitatum parata adjumenta triplicis generis inveniuntur: alia enim nuda rerum expositione constant; alia ære inciso expressas oculis subjiciunt, alia utrumque conjungunt. Prioris maxime generis sunt corpora, compendia, enchiridia, ut vocant, quæ antiquitatum integram diciplinam alia fusius, alia brevissime, scholarum imprimis et prælectionum academicarum in usum, explicant. Quorum operum nunc ea est copia, ut longum sit vel notiora evolvere, ac multis profecto haud ægre careamus; cæterum inter majora notissimum

Rosini antiquitatum Romanarum corpus absolutissimum, cum notis Dempsteri, — Ultrajecti 1710, Amstelodami 1743, 4°., opus amplum et docentium magis quam tironum usui idoneum.

E minoribus

J. H. Nieupoort Rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, succincta explicatio, Tracjecti ad Rhenum 1712, liber sæpe editus (Berolini 1784. Lugd. Bat. 1802.) et jure laudatus; cui jungendæ C. G. Schwarzii *observatt. ad Nieup. compendium Antiqq. Rom.*, Altdorfii, 1757, et Haymann *Anmerkungen zu Nieupoorts Alterthümer,* Dresden, 1786.

H. Kippingii Antiquitatum Romanarum libri quatuor. Ludg. Bat. 1713.

Christoph. Cellarii compendium Antiquitatum Romanarum. Sæpius vulgatum, postremo Zierizeæ a. 1817. a G. L. Mahne. Cum notis Walchii ed. 3. Halæ a. 1774.

De Romana Republica — auct. P. J. Cantelio. Ed. 5. Ultrajecti a. 1707.

Fridr. Gruneri introductio in Antiquitates Romanas. Jenæ a. 1746 et 1782.

Minimi voluminis

Petri Burmanni Antiquitatum Romanarum brevis descriptio. Sæpe edita, cum notis Reizii Lipsiæ a. 1809.

C. G. Heynii Antiquitas Romana, in primis juris Romani, in usum lectionum academicarum adumbrata, Gœttingæ, 1779.

Recentiorum linguis conscripta de antiquitatibus Romanis opera posterius pleraque, quam latina, novissimo autem tempore multa, præsertim in Germania, prodierunt. Ex his usu notissimum Al. Adami, Britanni, *the Roman Antiquities,* London 1791 et 1792, à J. L. Meyer Germanica (Erlangæ 1818.), idem Gallica lingua hoc titulo vulgatum:

Antiquités Romaines ou tableau des mœurs, usages et institutions des Romains; par Alexandre Adam. — Paris, 1818 et 1826. In cæteris doctissimum opus

La République Romaine, ou plan général de l'ancien gouvernement de Rome, par Mr. de Beaufort. A La Haye, 1766. 2 vol. in-4°.

Maternus von Cilano *ausführl. Abhandlung der röm. Alterthümer*, herausg. von Adler, Altona, 1775, 4 voll.

Reiz's Vorlesungen über die Ræmischen Alterthümer nach Oberlins Tafeln (Lipsiæ, 1796.)

P. F. A. Nitsch Beschreibung des häuslichen, wissenschaftl., sittlichen, gottesdienstl. — Zustandes der Ræmer. (ed. tertia Erfurti et Lipsiæ 1807–11. 4 voll.)

Handbuch der Classischen Litteratur von J. J. Eschenburg. Edit. 6. Berlin u. Stettin, 1816.

Encyclopædie der classichen Alterthumskunde — von J. C. L. Schaaff. Edit. 2. Magdeburg, 1819, 2 voll.

Grundriss der Geschichte Erd-und Alterthumskunde, Litteratur und Kunst der Ræmer, entworfen von G. Al. Ruperti. (Gœttingæ, 1811.)

Friedr. Creuzers Abriss der Ræmischen Antiquitäten. (Edit. altera. Prima Lipsiæ et Darmstadt 1824.)

Commentarios autem de singulis antiquitatum partibus, quorum ingens indiesque crescens numerus, multi collegerunt; sed primaria in hoc genere opera

Thesaurus Antiquitatum Romanarum — congestus a J. G. Grævio, Ultrajecti 1694–99. 12 voll. fol. Idem Venetiis 1730-40.

Jo. Poleni supplementa utriusque Thesauri, Venet. 1730–40. 5 voll fol.

Novus Thesaurus Antiquitatum Romanarum congestus ab A. H. de Sallengre — Hagæ Comitum 1715-19. Idem Venetiis, 1735. 3 voll. fol.

Histoire de l'Académie des inscriptions et belles-

lettres, avec les mémoires de tittérature etc. — (Parisiis ab a. 1717.)

Inter lexica de antiquitatibus Romanis notissimum

Lexicon Antiquitatum Romanarum auctore Sam. Pitisco, Leowardiæ 1713. 2 voll. fol. Idem Venetiis, 1719, et Hagæ Comitum, 1737. 3 voll. fol.

Græcas simul et romanas antiquitates complectitur *Neues Real-Schullexicon* — herausgegeben von C. P. Funke (Wien u. Prag, 1815, 5 voll.) Ex antiquioribus ad utrasque trahendum lexicon Petri Danetii.

In juris autem Romani antiquitatibus et historia celebratiora opera

J. G. Heineccii Antiquitatum Romanarum jurisprudentiam illustrantium syntagma — (E multis editionibus est Argentorat. a. 1755. 2 voll. 8°, præstantissima C. G. Hauboldii, Francofurti a. 1822.)

Historia juris civilis Romani ac Germanici — auct. J. G. Heineccio. Sæpius edita; cum observatt. J. D. Ritteri Lugd. Bat. 1748.

Jo. August. Bachii Historia Jurisprudentiæ Romanæ. — Ed. 4. Lipsiæ 1782, ed. 6. A. C. Stockmann, Lipsiæ, 1807.

Lehrbuch der Geschichte des ræmischen Rechts bis auf Justinian. Von Hugo. (ed. 8., quam plures secutæ, Berolini a. 1822.)

Hæc pauca e multis, quibus universa antiquitatum Romanarum disciplina, aut primariæ certe, ut Beaufortii opere, partes conjunctæ tractantur, indicasse, satis habemus. Quæ autem ad singulas perninent, ea, exceptis memoratis modo de jurisprudentia libris, peculiari notitia, compendii nostri ordinem servante, comprehendere extremamque ejus partem facere constituimus.

Alterius vero generis adjumenta maximam partem ad archæologiam (§. 1.) sive artium et monumentorum earum historiam descriptionemque pertinent. Ex his e plurimis hic ponimus

L'Antiquité expliquée et représentée en figures par Bern. de Montfaucon. Paris 1719 — 22. cum supplemm., quæ ibid. 1724, 15 voll. fol.

Recueil d'Antiquités Egyptiennes, Etrusques, Grecques et Romaines, par M. le Cte. de Caylus. Paris 1752-67, 7 voll. 4.

Il Museo Capitolino. Roma, 1747-83, 4 voll. fol.

Museum Florentinum-cum observatt A. F. Gorii. Florentiæ, 1731-42.

Il Museo Pio-Clementino descritto da Ennio Quirino Visconti. Roma, 1782. 6 voll. fol.

Monumenti antichi inediti, spiegati et illustrati da Giov. Winkelmann. Roma, 1767. 2 voll. fol.

Monumens antiques inédits ou nouvellement expliqués par A. L. Millin. Paris 1802. 2 voll. 4°.

Galerie du Musée Napoléon, publiée par Filhol et rédigée par Lavallée. Paris.

Antichità di Ercolano; de quibus post alia: *antiquités d'Herculanum, gravées par Th. Piroli et publiées par F. et P. Piranesi, frères.* Paris, 1804-1806. VI voll. 4°.

Galerie mythologique, par A. L. Millin. Paris, 1811. 2 voll.

Résumé complet d'Archéologie, par M. Champollion-Figeac. Paris, 1825. 2 voll. 16°.

Præter integra opera, non parvi in antiquitatum studio faciendæ doctorum ad classicos scriptores notæ, et ad singulas res illustrandas, ut Lipsii ad Tacitum, excursus, et omnino quæ sparsa, neque ab antiquariis collecta aut indi-

cata, quibuscunque in scriptis plurima inveniuntur; quare hæc quoque aut lectione cognita, aut literaria certe notitia comprehensa habere, non levis est momenti.

6. In antiquitatibus Romanis plerique duas partes argumento diversissimas tractant: altera urbis Romæ descriptionem et monumenta, altera populi Romani statum sive instituta moresque complectitur; priori quidam chorographicum insuper, ut vocant, Imperii Romani conspectum adjiciunt, quem nos quoque in sequentibus brevissimum exhibemus. Urbis autem antiquitates neque prorsus omittendas nobis, neque copiose tractandas ducimus. Nam, ut ejus cognitio quædam literarum et historiæ veterum studiosis utilis eademque jucunda est, sic plenior scientia amplioribus de hac parte, quam operis nostri ratio concedat, lectionibus relinquenda.

7. In Romanorum autem statu enarrando, libri in binas sectiones et sectionum in capita divisionem sequentes, in priore sectione, quæ publicis civitatis institutis continentur, in posteriore privatam Romanorum vitam exponemus. Prioris igitur sectionis sena capita erunt:

I. de incolarum in Imperio et civitate Romana distinctione variaque conditione,

II. de reipublicæ regendæ et administrandæ,

III. de legum et justitiæ ratione,

IV. de religione et ludis,

V. de re militari,

VI. de agricultura, mercatura, quæstibus (artes, opifices), navigatione, numis, ponderibus, mensuris, idem vectigalia complectens. Posterioris sectionis capitum.

I. de indole Romanorum et ingenii cultura, deque literis, disciplinis et artibus,

II. de moribus ac domesticæ vitæ consuedine.

ANTIQUITATUM ROMANARUM

PARS I.

IMPERII ROMANI REGIONUM CONSPECTUS.

8. Imperium Romanorum a minima circum urbem ditione, sub regibus magnopere aucta, sed Porsenæ fœderis conditionibus, ut quidam volunt, non parum imminuta, 1) mox perpetuo quidem fere, sed modice, a sæculo autem quinto extremo, subjecta jam Italia, ad Cæsarum principatus initia eo crevit, ut trium orbis circum mediterraneum mare partium regiones complecteretur, a Septentrione ad Danubium et Rhenum, ab Oriente ad Euphraten, a Meridie ad Libyæ deserta, ab Occidente ad oceanum Atlanticum patens. Limites ex parte ultra etiam protulere Cæsares : e quibus Augustus Imperii accuratiorem divisionem instituit, ab Adriano et Constantino M. varie mutatam 2). Igitur Imperii Romani, quo tempore latissime patuit, regiones in Europa distinguimus Hispaniam, Galliam, Britanniam, Italiam, regiones cis Danubium, regiones circa Ægeum et nigrum mare.

1) Cf. Beaufort *sur l'Incertitude de l'hist. rom.* p. 2. c. 8. et Niebuhr *rœm. Gesch.* prioris edit. t. 1. p. 257. 352.—2) Cf. Jos. Scal. *Notit. Gall.* initium.

9. Hispania (a flumine Ibèria, a situ occidentali Hesperia) inter mare et Pyrenæum, ab Africa freto Gaditano (Herculeo) dirimitur. Ex ejus fluminibus Iberus, in mediterraneum, Minius, Durius, Tagus, Anas (*Guadiana*),

Bætis (*Guadalquivir*), in Atlanticum mare influentes; in montibus Pyrenæi, Idubeda, Orospeda, Marianus (*Sierra Morena*), in promontoriis Artabrum (Nerium, *Finisterræ*), Barbarium (*de Espichel*), Sacrum (*S. Vincentii*), Calpe (*Gibraltar*), Abylæ adversa, Charidemi (*de Gates*), Scombraria (*de Palos*), Dianium (*Martin*), Aphrodisium (*de Creus*). Partes Hispaniæ citerior sive Tarraconensis, Lusitania et Bætica. Lusitaniæ 1) quæ inter Durium et Anam, Vettones, Lusitani et Celtici, urbes Salamantica, Norba Cæsarea (*Alcantara*), Emerita Augusta (*Merida*), Pax Julia (*Beja*), Ebora, Lacobriga (*Lagos*), Olysippo (*Lisboa, Lisbonne*), Scalabis, Conimbriga; Bæticæ, inter Anam et Orospedam, Bæturia, Turdetani, Turduli et Bastuli, urbes Corduba, Hispalis (*Sevilla*), Malaca, Munda, Asta, Gades. Hispaniæ citerioris cæteræ Hispaniarum regiones, in iisque Celtiberia; populi in parte Boreali Callaici v. Gallæci, Astures, Cantabri, Vascones, interius Celtiberi, Carpetani, Ilergetes; ad Mediterraneum mare Indigetes, Cosetani, alii; urbes Barcino (*Barcelone*), Tarraco, Saguntum (*Murviedro*), Valentia, Carthago Nova, Lucentum (*Alicante*) Toletum, Mantua (*Madrid*), Bilbilis (*Baubola*), Cæsar Augusta v. Salduba (*Saragoce*), Ilerda, Numantia, Pompelon, Juliobriga, Brigantium, Bracara Augusta (*Bruga*), Asturica Augusta (*Astorga*), Segovia. Hispaniæ accedunt insulæ (major et minor) Baleares, et Pityusæ, Ebusus et Ophiusa.

10. Gallia antiquitus in Cisalpinam (citerior, subalpina) et Transalpinam a Romanis divisa; sed Cisalpina, civitatem Romanam consecuta, mox Italiæ accessit 2). Transalpina, præter recentiorem Galliam (*Francia*), Helvetios

1) Quæ post *Portugal*, a Cale (*Porto*), portu Gallæciæ.—2) V. Cellar. *Georgr. Ant.* l. 2. c. 9. §. 31.

quoque et Belgas Batavosque complexa. In ea flumina Garumna, Liger (Loire), Sequana et Scaldis, in oceanum, Rhodanus, Arare (*Saône*) recepto, in mare mediterraneum, Mosella in Rhenum, Galliam a Germania dividentem, Mosa, Vahali, Rheni parte, aucta in oceanum influens. Inter minora Matrona, Isara v. Osia (*Oise*), Sabis (*Sambre*), Druentia, Meduana (*Mayenne*). Montes, præter Alpes et Pyrenæum, Jura, Vogesus et Cebenna v. Gebenna. Partes Galliæ primariæ Gallia Narbonensis (braccata, provincia) inter Cisalpinam, Cebennam et Pyrenæos, in qua Allobroges, Volcæ, Salyes, civitates Narbo, Tolosa, Nemausus (*Nîmes*), Massilia, Vienna; Gallia Aquitanica, inter Pyrenæum et Ligerim, in qua Aquitani, Santones, Pictones, Bituriges, Arverni, Cadurci, Lemovices, urbes Burdegala (*Bordeaux*), Mediolanum (*Saintes*), Limonum (*Poitiers*), Augustoritum (*Limoges*), Divona (*Cahors*), Climberrum (*Auch*); Gallia Lugdunensis (Celtica), inter Ligerim, Sequanam et Ararim, in qua Ædui, Lingones, Tricasses, Parisii, Senones Carnutes, Cenomani, Redones, Veneti, urbes Lugdunum, Augustodunum (Bibracte, *Autun*), Alesia (*Alise*, vicus), Divio (*Dijon*), Automatunum (*Langres*), Augustobona (*Troyes*), Lutetia (Parisiorum), Mediolanum (*Evreux*), Rotomagus (*Rouen*), Noviomagus (*Lizieux*), Autricum (*Chartres*), Genabum Aureliani. (*Orléans*), Cæsarodunum (prope *Tours*), Juliomagus (*Angers*), Condate (*Rennes*), Dariorigum. Gallia Belgica, inter Narbonensem, Lugdunensem, Rhenum et mare, Helvetiam, et initio regiones quoque cis Rhenum, in iisque Batavos, comprehendens, post Germaniæ superioris et inferioris nomine divisas. In populis Morini, Atrebates, Ambiani, Suessones, Remi, Catalauni, Leuci, Mediomatrici, Treveri, Tungri (Eburones, Adua-

tici), Nervii, Menapii, Sequani, Helvetii; in urbibus Solodurum (*Solothurn*), Aventicum, Turega (Turicum, *Zürch*), Constantia, Basilea, Vesontio (*Besançon*), Tullum, Divodurum (*Metz*), Virodunum, Augusta Suessonum (*Soissons*), Durocatalaunum (*Chalons* sur Marne) Durocortorum (*Reims*), Argentoratum (*Strasbourg*), Moguntiacum (*Mayence*), Treveri (Augusta Treverorum), Confluentes (*Coblence*), Colonia Agrippina, Novesium (*Nuys*), Vetera Castra, (*Santen*), Aduatuca (*Tungri*), Noviomagus (*Nimègue*), Trajectum (Ultrajectum), Lugdunum (Batavorum, *Leyde.*)

11. Supra Galliam insulæ, quæ etiam nunc Britannicæ dicuntur. Ex his *Anglia* (Angli) et Scotiæ pars exigua, sub Nerone Imperio Romano adjectæ, Britannia Romana adpellatæ sunt, reliqua pars Britannia barbara, eademque Caledonia. Inter Britanniæ Romanæ flumina Tamesis, Sabrina (*Savern*), Tina, Glota (*Clyd*); in populis Cantii, Belgæ, Dumnonii, Atrebates, Trinobantes, Coritani, Brigantes, Cornavii, Demetæ, Silures, Dobuni, in Scotiæ parte Damnii, Ottadini, Selgovæ; in urbibus Darvernum (*Canterburg*), Sorbiodunum (*Salisbury*), Isca (*Excester*), Londinium, Colonia (*Colchester*), Lindum (*Lincoln*), Alone (*Lancaster*), Eboracum (*York*), Deva (Legio XX. Victrix, *Chester*), Clevum (*Glocester*), Alata Castra (*Edinburgh.*) In Caledonia Caledonii et Picti. Hibernia (Jerne), cujus urbs Eblana (*Dublin*), Romanis commercio, non bello cognita (cf. Tac. *Agric.* 24.), extra Imperium relicta. Inter insulas minores Vectis, Mona (*Man*), Cassiterides, Ebudes, Orcades. Supra Caledoniam fabulosa, incertum, ubi ponenda, Thule.

12. Italia (a Saturno Saturnia, a situ Hesperia, a populis Ausonia et OEnotria) ad Cæsaris ætatem Rubicone et Macra

a Septentrione finita, exinde in Italiam superiorem, mediam er inferiorem, superior autem in Galliam Cisalpinam (§. 10.) vel togatam, et Liguriam divisa. Galliam Cisalpinam Padus (Eridanus), Adriam petens, in Cispadanam et transpadanam partitur. E reliquis fluminibus in Padum a Septentrione Duria, Ticinus, Addua (*Adda*), Mincius, a Meridie Tanarus et Trebia, in mare Adriaticum Athesis Plavis et Timavus influunt. In lacubus Benacus (*Lago di Guarda*), Larius (*Lagò di Como*), Verbanus (*Lago Maggiore*); in montibus Cottiæ, Grajæ et Penninæ Alpes, in populis Taurini, Insubres, Cenomani, Senones, Boji Lingones; In urbibus, quæ maximam partem coloniæ Romanæ, trans Padum Tergeste, Aquileja, Patavium, Vicentia, Verona, Mantua, Cremona, Brixia, Mediolanum, Ticinum (*Pavia*), Augusta Taurinorum (*Turin*), Vercellæ, cis Padum Ravenna, Felsina (Bononia, *Bologna*), Mutina, Parma, Placentia. Liguria (Ligures), inter Macram et Varum, urbes habet Genuam, Astam, Nicæam, Albam Pompejam, Libarnam.

13. Italiæ antiquioris pars superior, quam mediam fecit accedens Gallia Cisalpina, a Rubicone et Macra ad Silarum et Frentonem pertinens, præter hæc, flumina habet Arnum, Tiberim (Albula), Anionem (*Teverone*), Lirim, Vulturnum, Aternum, Metaurum, Tifernum, lacus Volsiniensem, Trasimenum et Regillum, montem Apenninum. In eadem partes distinguimus ad Occidentem, sive mare Tyrrhenum (Tuscum, inferum), Etruriam (Tuscia, Tyrrhenia), Latium, Campaniam, ad Adriaticum (Adria, superum, Ionium) Umbriam, Picenum, Vestinos, Marrucinos, Frentanos, medios Sabinos, Marsos, Pelignos, Samnium, Hirpinos. Etruriæ flumen primarium Arnus; ex urbibus, quarum duodecim fœderatæ a vetustissimo

tempore civitates, inter Macram et Arnum Pistoria, Luca, Pisæ, Florentia, Fesulæ, inter Arnum et Tiberim Herculis liburni Portus (*Livourne*), Volaterræ, Sena, Rusellæ, Cortona, Arretium, Clusium, Perusia, Vulsinii, Forum Aurelii, Tarquinii, Fescennia, Falerii, Cære, Veji. In Latii fluviis Tiberis, Anio, Liris, in populis Latini, Hernici, Æqui, Volsci, Rutuli, Aurunci; cæterum vetere et novo distinguitur. Vetus, inter Etruriam et Circejum promontorium, urbes habet Romam, Tibur, Gabios, Tusculum, Ostiam, Præneste, Albam Longam (ad lacum albanum), Ariciam, Ardeam, Lavinium, Velitras, Suessam Pometiam, Antium, Forum Appi. In Latio novo, a Circejo promontorio ad Lirim, Fundi, Tarracina (Anxur), Formiæ, Cajeta, Minturnæ, Privernum, Arpinum, Aquinum. A Suessa Pometia inter Ufentem et Nymphæum paludes Pomtinæ. Campania, a Liri ad Silarum, præter hos fluvium habet Vulturnum, montes Massicum, Falernum, Vesuvium, insignis et lacu Averno, Lucrino, palude Acherusia, campisque Phlegræis. Urbes primariæ Capua et Neapolis; in reliquis Venafrum, Cales, Atella, Nola, Herculanum, Pompeji, Stabiæ, Liternum, Cumæ, Puteoli, Bajæ, Misenum, Surrentum, Salernum. In Umbria, a Rubicone ad Æsin et Narem, urbes Ariminum, Pisaurum, Tifernum Tiberinum, Fulginium, Spoletium, Interamna, Ameria, Narnia, Mevania, Ocriculum; in Piceno (Picentes), Ancona, Asculum Picenum, Hadria; in Vestinis Pinna, Angulum, in Marrucinis Teate, Aternum; in Frentanis Ortona, Auxanum, Histonium, Teanum; in Sabinis Fidenæ, Cures, Reate, Amiternum; in Marsis Marrubium; in Pelignis Corfinium, Sulmo; in Samnio (Sabini, Samnites) Aufidena, Bovianum, Sæpinum, Treventum; in Hirpinis Beneventum, Caudium.

15. Inferior Italiæ pars, a Silaro et Frentone ad fretum Siculum, coloniis Græcis fere tota occupata, hinc Magnæ Græciæ nomen traxit. In ea fluvii Silarus, Acheron, Aufidus, promontoria Scyllæum, Leucopetra, Herculis, Salentinum, alia; regiones ad Orientem Apulia et Calabria, ad Occidentem Lucania et Bruttii. Apulia, a Frentone ad sinum Tarentinum pertinens, Aufido flumine in Dauniam et Peucetiam divisa; præterea flumen habet Cerbalum, montem Garganum; in Daunia Arpi (urbs Diomedis), Luceria, Sipontum, in Peucetia Venusia, Barium, Cannæ. Supra Apuliam insulæ Diomedeæ. Calabria (Japygia, Messapia) supra sinum Tarentinum, ab nonnullis Apuliæ adjecta. Ejus populi Calabri et, ad promontorium Japygium, Salentini; Urbes Brundusium, Rudiæ, Tarentum, Callipolis. Lucaniæ (Lucani), inter Silarum et Laudem, urbes Pæstum (Posidonia), Velia (Elia), Atinum, Buxentum, Thurii (Sybaris), Heraclea (Ciris), Metapontum; in Bruttiis, a Laude ad fretum Siculum, urbes Pandosia, Consentia, Terina, Vibo, Valentia, Rhegium, Locri, Mamertum, Scylacium, Croton.

16. Extremæ Italiæ adjacet Sicilia (Siculi, Sicani; Sicania, Trinacria, Triquetra), multos inter populos Græcæ plerosque originis divisa, in qua fluvii Onobola, Symethus, Himera, Acragas, Hypsa, Halæsus, montes Ætna, Heræi, Nebrodes, Cratas, Eryx, promontoria Pelorum, Pachynum, Lilybæum, urbes, in parte orientali Messana, Catana, Leontini, Syracusæ, in meridionali Camarina, Gela, Agrigentum, Selinus, Lilybæum, in septentrionali Drepanum, Eryx, Segesta, Panormus (*Palermo*), Himera, interius Entella, Enna, Herbita, Hybla major, Menæ. Siciliæ adjacent insulæ Æoliæ (Vulcaniæ), Ægates, aliæ; paulo remotior Melita. Ad Occidentem Etruriæ Corsica, cui mons

Aureus, promontoria Marianum et sacrum (*capo Corso*), urbes Mantini, Mariana, Aleria. Infra Corsicam Sardinia, cui fluvius Thyrsus, urbes Cornus, Caralis (*Cagliari*), Olbia. E parvis inferi maris insulis Etruriæ adjacet Ilva (*Elba*), et prope hanc Planasia (*Pianosa*), Campaniæ Capreæ et Ænaria v. Pithecusa; remotiores Pontia et Pandataria.

17. In regionibus cis Danubium, sub Augusto maximam partem Imperio Romano adjectis, distinguuntur Rhætia, Vindelicia, Noricum, Pannonia, Illyricum; nonnulli Mœsiam quoque huc trahunt. Rhætia, supra Galliam transpadanam, Helvetiis ab Oriente, tota fere montosa (Alpes rhæticæ); flumina Rhenus, Ænus (OEnus, *Inn.*), Ticinus, Athesis; lacus attingit Verbanum et Larium (§. 12.); oppida Veldidena (*Wilten*), Æni Pons (*Inspruck.*) 1) Terioli (unde *Tirol*), Curia, Tridentum, Belunum. Vindelicia, inter Danubium, Ænum, Rhætos et Helvetios, præterea flumina habet Licum (Lichus, *Lech*) et Isargum (Isère); oppida Augusta Vindelicorum (*Augsburg*), Brigantium (ad lacum Acronium, *lac de Constance*), Batava castra (*Passau*), Regina Castra (Reginum, *Regensburg*), Isinisca (*München?*) Noricum, a Danubio ad Alpes Noricas et Savum; inter cætera flumina Anisus (*Ens*), Murus et Dravus; urbes Bojodurum (*Innstadt*), Lentia (*Linz*), Juvavia (*Salzburg*), Virunum (*Volkmark*). Pannoniæ, Savum inter et Danubium, in reliquis fluviis Arrabo et Dravus, in montibus Cetius, in populis Scordisci, Taurisci. Dividitur in superiorem, ubi Vindobona (*Wien*), Arrabona (*Raab*), Sabaria, Aquæ (*Baden*), Nauportum, (*Ober-Laubach*), et inferiorem, ubi Bregetio, Acincum (*Buda, Ofen*), Sirmium, Mursa (*Essek*). Illyricum, alias plures inter Danubium et Adriam regiones, arctiore limite oram

1) V. Cellar. *Geogr. Ant.* l. 2. c. 7. §. 44.

maris Adriatici ab Histria ad Savum et Drinum, flumina, complectitur. Latius patentis partes faciunt Liburniam, Dalmatiam et Illyrin Græcam, quæ post Macedoniæ (§. 24.) accessit. In fluviis Arsia, Titius, Naro, in montibus Albius, Scardus. In Liburniæ oppidis Metulum, Flanona, Senia (*Zeng*), Scardona, in Dalmatiæ Tragurium, Salona, Epidaurus (*Ragusa Vecchia*), Rhizinium (*Risino*), Scodra, Olcinium (*Dulcigno*). In insulis Illyrii Scardona, Corcyra Nigra (*Curzola*), Melita (*Meleda*). De Mœsia v. §. 24. E regionibus trans Danubium sub Trajano accessit provincia Dacia (§. 25.), post omissa. De Sarmatia v. §. 25.

18. Ultra Danubium et Rhenum late patentis Germaniæ interiora fere ignota manserunt Romanis; finibus proxima notiora; sed pauca Imperio adjecta 1). Inter Germaniæ flumina, præter Rhenum et Danubium, Menus, Nicer, Luppia, Visurgis, Amisis, Sala, Albis, Viadrus (*Oder*), Vistula; inter montes Taunus, Abnoba, Asciburgius, Melibocus, Rhetico (*Siebengebirge*), Sevo; inter sylvas Hercynia (*Harz*), Marciana v. nigra (*Schwarz-Wald*), Teutoburgensis, Cæsia, Bacenis. Partes faciunt Transrhenanam (magnam, barbaram), Meridionalem, regiones inter Albim et Vistulam, Germaniam trans Vistulam, et Transmarinam. In Transrhenana Frisi, quorum urbs Amisia, Marsi, Bructeri, Tencteri, Usipetes, Sicambri, Catti, quorum Mattium (*Marburg*), Cherusci, Chamavi, Tubantes; in meridionali Allemanni, Marcomanni, Narisii, Hermunduri, Quadi; inter Albim et Vistulam Suevi, in quibus Angli, Fosi, Teutones, Cimbri, Longobardi, Varini, Rugii, Semnones, Vandali, Gothones, Lygii, Æstii, Venedi. Germaniæ Transmarinæ faciunt, sinus Codani (maris Baltici), quas veteres fingebant, insulas orasque habi-

1) Cf. Tac. *Germ*. §. 29.

tantes 1), quo Scandinavia et Eningia (*Finnland*), e populis Sitones, Suiones, Fenni referuntur.

19. Regiones circa Ægeum et nigrum mare (pontus Euxinus) Imperio Romano continentur Achaia, insulæ Græcæ, Macedonia, Thracia, Mœsia et Dacia. Achaiam provinciam Romani dixerunt, quæ Græcia, latioribus finibus, exclusa tamen Macedonia, vocatur, inter Macedoniam, Illyricum et Ægeum Ioniumque maria patens, tribusque partibus primariis constans, Peloponneso, Græcia media, et Græcia Septentrionali.

In Peloponneso distinguimus Achaiam, Argolida, Laconiam, Messeniam, Elida s. Eleam, et in media peninsula Arcadiam.

Achaiæ, in Boreali Peloponnesi latere, princeps fluvius Melas, in cæteris Selinus; partes Achaia (Ionia, Ægialos), unde nomen, in qua urbes duodecim, in iisque Dyme, Patræ, Ægion, Ægira, Pellene; Sicyonia, in qua Sicyon et Phlius; Corinthiorum regio, cujus Corinthus (Ephyre) in Isthmo, inter sinus Corinthiacum et Saronicum, cum arce Acrocorintho, fonte Pirene, portubus Lechæo et Cenchreis. Argolidis, inter sinus Saronicum et Argolicum longe porrectæ, fluvii Inachus, Phryxus, lacus Lerne, urbes Argos cum portu Nauplia, Mycenæ, Epidaurus, Hermione; in parvis memorabiles Lerna, Nemea, Tiryns, Trœzen. Partem Argolidis faciunt Cynuriam, cujus urbs Thyrea.

20. Laconia et Messenia Meridionalis Peloponnesi partis, sinus Laconicum, inter Tænarum et Maleam promontoria, et Messenium efficientes. Laconiæ primarius fluvius Eurotas, montes insignes duo, alter, Taygetus, in Tænarum (*Matapan*), alter in Maleam desinens; urbs princeps Lacedæmon v. Sparta; inter cæteras Amyclæ, Therapnæ, Sellasia, Leuctrum, Tænarum (Cænepolis), Achil-

1) Cf. ib. §. 44.

leus et Psamathus, promontoria, Teuthrone, Gythion, Asopus, Epidaurus Limera. Messeniæ, ad Occidentem Laconiæ, fluvius Pamisus major, in montibus Ægaleos, Temathea; urbes Messene, Ithome, Thuria, in littore Pheræ, Corone, Methone (*Modon*), Pylos, cui objecta Sphacteria insula, Cyparissæ. In Elide, supra Messeniam, fluvii Alpheus, Peneus, et ab Achaia separans Larissus; urbes Elis, Cyllene, Pylos Eliaca, ad Alpheum Pisa, vicina Olympiæ, Pylos Triphyliaca. Memoratæ Peloponnesi partes includunt Arcadiam. Hujus in fluviis Alpheus, Erymanthos, Stymphalos; in montibus Cyllene, Erymanthos, Mænalus, Parrhasius; urbes Mantinea (*Trapolizza*), Tegea, Megalopolis, Heræa, Psophis, Orchomenos. In minoribus Stymphalos, Pallantium, Lycoa.

21. Græcia media, quæ et Hellas (Ἑλλάς) proprie dicta, ab Attica ad Thesprotiam patente, regiones continentur Attica, Megaris, Bœotia, Phocis, utraque Locris, Doris, Ætolia, Acarnania.

Attica (Actæa, Acte, ἀκτή), ad Septentrionem Bœotiæ contermina, cæterum mari circumflua, fluvios habet Ilissum et Cephissum, montes Hymettum, Pentelicum, promontoria Sunium, Cynosuram. Regionis caput Athenæ (Cecropia), cui conjuncti portus Pyræus, Phalereus et Munychia. In cæteris oppidis Eleusis, Sunium, Panormos, Marathon, Rhamnus, Decelia, Phyle. Atticæ ad Occidentem adhæret Megaris, cujus urbs Megara. In Bœotia, supra Atticam, fluvii Asopus, Ismenus, fontes Dirce, Aganippe, lacus Copais, montes Helicon, Cythæron, urbs primaria Thebæ; inter cæteras Tanagra, Platææ, Leuctra, Thespiæ, Lebadia, Chæronea, Orchomenos. Phocis, ad Occidentem Bœotiæ, fluvium habet Cephissum, montem Parnassum, urbes Delphos, Crissam (sinus Crissæus), Cyrrham, An-

ticyram, Elateam. Phocidos ex altera parte ad Euripum Locri Opuntii, quorum Opus, et Epicnemidii, ex altera Locri Ozolæ, quorum Naupactus (*Lepanto*) et Amphissa. Supra Locros Ozolas Doris (Tetrapolis Dorica) cis OEtam montem. Locris Ozolis ab Occidente Ætolia, in qua flumina Achelous et Evenus, mons Aracynthus, urbes Chalcis, Calydon et Lysimachia. Ætoliæ ab Occidente Acarnania, inter Acheloum et sinum Ambracium, in qua Argos Amphilochicum, Actium et Anactorium, urbes et promontoria, Stratos, Metropolis, Astacos. Acarnaniæ olim adhærebat (§ 23.) Leucadia, cujus urbs Leuca et promontorium Leucate.

22. Græcia Septentrionali continentur Thessalia et Epirus. Thessalia (Thessali; Æmonia, Pelasgia) ab Occidente Pindum, ab Oriente Olympum, Ossam, Pelion, à Meridie OEtam complectens, montibus Cambuniis Macedonia separatnr. Inter flumina Apidanus, Spercheios, et his celebratior etiam Peneus, qui vallem Tempe, inter Olympum et Ossam, percurrit. Inter partes Thessaliæ Phthiotis, Magnesia, Pelasgiotis, Perrhæbia, Hestiæotis; partibus cognomines populi, Thessali, Magnetes, Ænianes, Dolopes, Perrhæbi, Dryopes; inter urbes Hypata, Melitæa, Pharsalus, Lamia, Thebæ, Pheræ, Demetrias, Larissa, Azorum, Ithome, Gomphi, Tricca. Epiri, quæ ad Occidentem Thessaliæ, flumina Thyamis, et major Acheron, recepto Cocyto, in lacum Acherusium, Arethon, in sinum Ambracium influens; montes Ceraunii (Acroceraunia); partes Molossis, Thesprotia, Chaonia; in populis Molossi, Chaones; urbes ad oram Ambracia, Nicopolis, Buthroton, interius Dodona.

23. Tribus Græciæ partibus addimus insulas Græcas, partim Ægæi, partim Ionii maris, e quibus cum pro-

vincia insularum conjunctas infra (§. 30.), hic cæteras memoramus. In his majores Eubœa (*Negroponte*) et Creta (*Candia*). Eubœæ promontoria Caphareum et Artemisium, oppida Carystus, Eretria, Chalcis; Cretæ montes Ida, Dicte (unde Idæi, Dictæi), promontoria Samonium, Corycium, Psacum; urbes Cnossus, Cydonia, Gortyna, Minoa. Inter minores maris Ægei insulas Cyclades et Sporades; in illis Delos, Paros, Naxos (Dia), Andros, Melos, Seriphos, Gyaros, Ceos. E Sporadibus (§. 30.) ad Europam refertur Amorgos. In singulis autem insulis Samothrace, Thasos, Lemnos, (cujus oppida Myrina et Hephæstia,) Halonnesos, Scyros, et in sinu Saronico Salamis et Ægina. Maris Ionii Cephallenia, Leucadia (*S. Maura*), Acarnaniæ (§. 21.) olim peninsula, Corcyra (*Corfu*), Epiro proxima; in minoribus Cythera, Laconiæ, Zacynthus (*Zante*) Elidi vicina, Ithaca (Dulichium?) inter Cephalleniam et Leucadiam; minimæ sunt OEnussæ et Sphagiæ proxime Messeniam, Strophades infra Zacynthum, Echinades ad Acheloi Ostia.

24. Macedonia, supra Thessaliam ad montes Scardum et Hæmum, in Occidentem, antiquioris Thraciæ partem (Macedonia adjecta) complectens, a Thracia ad Illyriam, et, adjecta Illyride Græca (§. 17.), ad mare Ionium patens, Ægeum sinubus Singitico, Toronaico, Thermaico attingit. E fluminibus ejus Nestus, Strymon et Haliacmon in Ægeum, Apsus et Aous in Adriam influunt; inter montes, præter Scardum et Hæmum, Athos, Pangæus, et a Meridie Cambunii, in partibus Pieria, Æmathia, Mygdonia, Pæonia, quibus cognomines populi; in urbibus Pydna, Pella, Thessalonice (Therme), Potidæa, Olynthus, Chalcis, Stagira, Amphipolis, Plilippi, in ora Occidentali Dyrrachium (olim Epidamnus; *Durazzo*) et Apollonia.

Thracia inter Macedoniam, (olim a Strymone, post a Nesto flumine), Hæmum, Euxinum, Propontidem, Hellespontum, cujus altera ora Chersonesi Thracicæ, et mare Ægeum porrigitur. Montes notissimi Hæmus et Rhodope, flumina Nestus, Panysus, et plurimos recipiens Hebrus; inter populos Triballi, Bessi, Odrysæ, Cicones, Bistones; urbs primaria Byzantium (Constantinopolis); e cæteris in ora Euxini Apollonia et Halmydessus, in Propontidis Sestos, Heraclea, Lysimachia, in Ægea Abdera, ad Hebrum Trajanopolis, Adrianopolis, Philippopolis. Mœsia, *Serviæ, Bosniæ* et *Bulgariæ* pars, inter Danubium et Scardum Hæmumque montes, ad Euxinum extenditur, flumine Cebro (Ciabrus) in superiorem, cujus Dardania, et inferiorem divisa. In populis Triballi, Scordisci, ad Pontum Euxinum Scythæ et Getæ. In superiore urbes Singidunum (*Belgrad*), Viminacium et Naissus; in inferiore Nicopolis, Odessus, Marcianopolis, Tomi, Istropolis.

25. Dacia supra Danubium ad Carpates (pars *Hungariæ, Transilvania, Valachia, Moldavia* patens, a Trajano, qui Imperio addidit, provincia Trajani adpellata. Ex ejus fluminibus in Danubium incidentes Tibiscus (*Teiss*), qui Mariscum recipit, Aluta et Hierasus (Poretus, *Pruth*), in Euxinum incidens Tyras (*Dniester*). Partes distinguuntur Dacia Alpestris, Ripensis, Mediterranea, populi Anarti, Teurisci, Iassii, Getæ. In urbibus Tibiscum (*Temeswar*), Ulpianum s. Claudìopolis, Napoca (*Clausenburg?*), Augusta Prætoria, Ulpia Trajana, Zeugma, Apulum (Alba Julia), Singidava (*Engedin*), Petrodava (*Iassy*). Daciæ pars ad Sarmatiæ regiones trahenda.

Sarmatiarum alteram faciunt Asiæ (§. 33.), alteram Europæ. Hæc, inter Vistulam et Tanain (*Don*), non certis ad Septentrionem limitibus, Romanis ex parte bello co-

gnita, sed non subjecta. In cæteris ejus fluminibus Tyras, Hypanis (*Bog*), Borysthenes; in montibus Budini, Hyperboræi, Riphæi, in populis et alii, et inter Germanos quandoque relati, Venedi, Peucini, Bastarnæ, Geloni, Budini, Agathyrsi, Roxolani, Iazyges. Sarmatiæ Europææ adhæret Chersonesus Taurica (*Crimée*), cujus incolæ Tauri v. Tauroscythæ, etiam Græci, promontorium Criumetopon, oppida Taphræ, Eupatorium, Theodosia (*Caffa*), Panticapeum, Cimmerium.

26. Regiones Asiaticæ Imperii Romani Syria et Asia minore continentur. Provinciis jam non adnumerandæ Romanorum Parthorumque armis interjecta Armenia major, et supra hanc inter Euxinum et Caspium mare regiones. Infra Syriam Arabia Romanis parte exigua subjecta; Syriæ et Armeniæ contermina imperii Parthorum ab Euphrate ad Indum patentis.

Ad Asiam minorem referuntur Asia proconsularis, Pontus, Cicilia, et provincia insularum. Asiæ proconsularis (Asia propria) partes Mysia major et minor, Troas, coloniæ Græcæ, Lydia, Caria, Phrygia. In Mysia majore fluvius Caicus, promontorium Gargara, urbes Pergamus, Pytane, Adramyttium, Thebe, Antandros, Assos; in minore Granicus, Æsepus, Rhyndacus, mons Olympus, populi Mygdones et Doliones, urbes Lampsacus, Parium, Apollonia, Miletopolis. Troadis, ad Hellespontum, Simois et Scamander, Ilium, Abydos, Troas Alexandria, Rhœteum, Sigeum. Coloniæ, Æolis, Ionia, Doris, in ora maris vicinisque insulis; in Æolia Larissa, Cyme, Grynium, Elea, in insula Lesbo Mitylene; in Ionia fluvii Hermus, Caistrus, Mæander, montes Mycale, Latmus, Corycus, urbes Miletos, Priene, Magnesia, Ephesus, Colophon, Teos, Erythræ, Clazomenæ, Smyrna, quæ olim Æolidis, Phocæa, in in-

sulis Samos et Chios; in Doride (Pentapolis) Cnidus, Halicarnassus, in insula Rhodo (§. 30.) Ialysos, Camiros, Lindos, queis posterior Rhodos. Lydiæ (Mæonia) flumina, quæ Ioniæ, et Pactolus in Hermum incidens, montes Tmolus et Sipylus, urbes Thyatira, Apollonis, Hierocæsarea, Magnesia ad Sipylum, Sardes, Tmolus, Philadelphia, Metropolis. Caria infra Ioniam; fluvius Calbis, urbes Myndus, Iassus, Mylasa, Caunus, Alabanda, Antiochia Mæandri, e Doride Cnidus et Halicarnassus.

27. Phrygiæ pars major ad Orientem Lydiæ, minor supra Lydiam ad Hellespontum pertinet, Troadem etiam complectens (§. 26.) Phrygiam majorem (magna) plura insuper nomina distinguunt, Salutaris, Epictetos, Catacecaumene (κατακεκαυμένη). Inter flumina Lycus, Mæandros, Marsyas, Sangarius; urbes in Epicteto Dorilæum, Cotyæum, Nacolea, in cæteris Cibyra, Laodicea ad Lycum, Colossæ, Hierapolis, Apamea (Celænæ), Juliopolis, Synnada, Docymæum, Peltæ, Lysias, Ancyra.

Provincia Pontus (Pontica) in ora Meridionali Ponti Euxini Pontum, Bithyniam, Paphlagoniam, inferius Cappadociam et Galatiam complectitur. Pontus (Pontica, parva Cappadocia) a flumine Haly ad Trapezunta. In hujus fluviis Iris et Thermodon, in montibus Amazonius, in partibus Themiscyra et Sidena, in populis Chalybes (Chaldæi), Tibareni, Philyres, Macrones, in urbibus Ibera, Amisus, Ancon, Polemonion, Pharnacia (Cerasus), Trapezus (*Trébisonde, Tarabosan*), Amasia, Sebastopolis, Beresa, Comana, Neocæsarea.

28. Cappadocia, infra Ponticam, sub Tiberio provinciis accessit. Hujus flumina Halys, Melas, et, per Ciliciam in mare influentes, Sarus et Pyramus, montes Argæus, Antitaurus, Amanus; inter regiones Morimena, Garsau–

ritis Commanena, Tyanitis, Cataonia, Cilicia; urbes Diocæsarea, Nyssa, Mazaca (Cæsarea), Tyana, et in Armenia minore, quam Cappadociæ partem faciunt, Melitene et Nicopolis. Bithyniæ (Bebrycia) flumina Sangarius, Gallum recipiens, et Billæus, in Euxinum influentes, in cæteris Hylas et Lycus; inter populos Mariandyni, Thyni, Caucones; inter urbes in ora Myrlea (Apamea), Nicomedia, Drepanum, Chalcedon, Heraclea, Tium, interius Prusa, ad Olympum, Nicæa, Hadrianopolis, Bithynium (Claudiopolis.) Paphlagoniæ, inter Bithyniam et Pontum, a Parthenio flumine ad Halyn, mons Olgasis, promontoria Carambis et Zephyrium, urbes in ora Sinope, Harmene, Limotis, Amastris, Cytorum, interius Pompejopolis, Germanicopolis, Sangra. Galatiæ (Gallo-Græcia, pars Phrygiæ majoris) flumina Halys et Sangarius, montes Olympus et Dindymus; in populis Tectosages, urbes Pessinus, Ancyra (*Angura*), Tavium, Aspona.

29. Ad Ciliciam referuntur Cilicia trans Taurum, Lycaonia, Pamphylia, Pisidia, Isauria, Lycia. Ciliciæ trans Taurum partes prima v. aspera (τραχεῖα), quæ post Isauria dicta, et secunda v. campestris; flumina Calycadnus, Cydnus, Pyramus, Pinarus, montes Cragus, Taurus, Amanus, urbes in ora Issus, Soli (Pompejopolis), Mallos, Tarsus, interius Anazarbus (Cæsarea), Epiphania, Nicopolis, in ora *tracheæ* Selinus, Anemurium, Arsinoe. Lycaoniæ, inter Phrygiam et Cappadociam, urbes Iconium, Laodicea combusta, Claudiopolis. Pamphyliæ fluvii Eurymedon et Cataractes, mons Taurus, urbes in vel prope oram Olbia, Attalea, Perga, Aspendos, Side. Pisidiæ, supra Pamphyliam, pars in Tauro; in populis Solymi, in oppidis Sagalassus, Cremna, Selga, Termessus. Isauriæ, supra Pisidiam, Isaura (Isaurus), et, ad Lycaoniam quoque relatæ,

Lystra et Derbe. Similis in aliis ratio, limitibus non una causa ambiguis. Lyciæ, inter Cariam et Pamphyliam, fluvii Xanthus et Limyrus, montes Cragus et Chimæra; urbes in ora, Telmessus, Patara (Arsinoe), Myra, Olympus, interius Pinara.

30. Ternis Asiæ minoris sub Vespasiano addita provincia circumjacentium insularum, quas, ex parte coloniis Græcorum Asiaticis comprehensas, hac serie conjungimus. In Propontide Cyzicus, cujus mons Dindymus, Proconnesus, aliæ minimæ; in Ægeo Lesbos, cujus urbes Mytilene, Methymna, Pyrrha; Chios, cujus promontorium Ariusium, urbs Chios; Samos, cujus mons Ampelus, urbes Samos et Heræum; Sporades, in quibus Patmus, Cos, Icaria, Syme; in mari Carpathio Carpathus, Rhodus, (olim Atabyria, Ophiusa, Trinacria), cujus mons Atabyrius, urbes supra memoratæ (§ 26.); in mari Pamphylio (Ionio) Cyprus, infra Ciliciam, cujus mons Olympus, promontoria Drepanum, Zephyrium, Dinaretum, Pedalium: oppida Paphos, Curium, Amathus, Citium, Arsinoe, Salamis, Aphrodisium, Lapathus, Solæ, interius Chytrus, Trimithus, Idalium.

31. Syria supra Arabiam a mari interno ad Orientem extenditur, modo conjuncta, modo exclusa Mesopotamia. Cæterum ejus partes cis Euphraten distinguuntur Syria arctiore limite, Cœlesyria, Phœnice, Palæstina. Syriæ angustioris flumina Orontes, Singas, Marsyas, montes Casius, Amanus, Pierius, regiones Commagene sive Syria Euphratensis, ad Orientem Ciliciæ, cujus urbes Samosata, Germanicia (Germanica Cæsarea), Zeugma; Seleucis (Tetrapolis, Syria Seleucidica), cujus in ora Laodicea ad mare, Posidonium, Seleucia Pieria, Alexandria ad Issum, ad Orontem autem Antiochia, Syriæ caput, Daphne,

Apamea, Larissa, Epiphania; Palmyrene (Syria Salutaris), cujus Palmyre (*Tadmor*); Chalcidice, cujus Chalcis ad Belum; Cyrrhestica, cujus Cyrrhus, Hierapolis (Bambyce), Berœa. Cœlesyriæ, a situ inter Libanon et Antilibanon dictæ, Syrophœnices, urbes Abila, Damascus, Gerra, Laodicea ad Libanum, Heliopolis. Phœnice (Canaan), ora Syriæ ab Eleuthero ad Cherseum. In cæteris ejus fluviis Adonis et Leontes; montes Libanus et Antilibanus; urbes Ptolemais (Aco), Tyrus (Sor, Tzor), Sidon (Zidon), Berythus, Byblus, Botrys, Tripolis.

32. Palæstinæ (Judæa, Canaan) fluvius Jordanes, lacus Genesareth et Asphaltiten (mare mortuum) conjungens. In rivis celebratns Ridron; in montibus Libanus, Carmel, Thabor, Gelboe, Hermon. Regiones cis Jordanem Judæa, ubi ad mare Gaza, Ascalon, Ioppe, Antipatris, Cæsarea Palæstinæ, interius Eleutheropolis, Hebron, Ephrata, Bethlehem, Hierichus, Archelais, Emmaus (Nicopolis), et, Judææ caput, Hierosolyma (Ælia); Idumæa, infra Judæam, ubi Zoara, Elusa; Samaria, supra Judæam, ubi Samaria (Sebaste), Iezrael, Sichem (Neapolis), Bethoron; Galilæa, supra Samariam, ubi Sepphoris (Diocæsarea), Capernaum, Tiberias, Endor, Nazareth, Bethlehem. In regionibus trans Jordanem Moabitis, ubi Moab (Aræopolis), Ammonitis, ubi Ammon (Philadelphia); Gadarene, ubi gadara; Arabiæ (desertæ) pars, ubi Bostra. In cæteris trans Jordanem urbibus Scythopolis et Callirrhoe.

Mesopotamia, Euphrate et Tigride inclusa; in cæteris ejus fluminibus Mygdonius et Chaboras; in montibus Singaras et Masius; urbes ad Euphraten Nicephorium (Callinicum), Circesium, Anatho, Cunaxa; ad Tigrin Cænæ et Apamea, inter cæteras Resaina, Carræ, Edessa (Callirrhoe), Tela (Constantia), Singara, Nisibis, Dara (Anastasiopolis).

33. In conterminis Mesopotamiæ regionibus a Septentrione Armeniæ, a Meridie Arabia, ab Oriente imperium Parthorum. Ex Armeniis minorem Cappadociæ partem (§. 28.), majorem armis Parthorum et Romanorum interjectam diximus (§. 26.) Hujus flumina Euphrates, Tigris, Araxes, Phasis, Cyrus, (*Kur*), Teleboas, montes Taurus et Niphates; inter regiones Sophene, Phasiane, Caranitis; urbes Artaxata, Tigranocerta, Amida, Arsamosata. Supra Armeniam Colchis (Lazica), Iberia et Albania, a Septentrione Sarmatiam Asiaticam attingentes. Colchis ad Euxinum, a Phasi ad Coracem; ejus populi Lazi, Heniochi, Sanni, urbes Æa, Phasis, Dioscurias, Dandari (Sebastopolis), Pityus. Iberia Colchidi ad Orientem, Caucaso inclusa; flumina Cyrus, Aragus, Iberus, urbes Zalissa, Harmozica. Albaniæ, inter Iberiam et Caspium mare, flumina Araxes, Casius, Cyrus, montes Ceraunii, urbes Cabalaca, Albana, Camechia. Sarmatia Asiatica, a palude Mæotide et Tanai, qui ab Europa dividit, ad Rham (*Wolga*); in cæteris fluminibus Hypanis, inter populos Alani, Mæotæ, Hamaxobii; urbes Achillæum, ad Tanain Rhombites, Tanais, Navaris. Eadem Bosphoro Cimmerio dirimitur a Chersoneso Taurica, quam §. 25. attigimus.

Arabia parte exiga Romanis subjecta. Ejus partes Arabia deserta, cujus incolæ nomades sive Arabes Scenitæ, inter urbes Barathena, Sabe, Themma, Dapha, Thumata, ad sinum Persicum Ammæa, Gerra; Arabia petræa, cujus montes Melanes et Sina, regiones Nabathæa, et, quam Palæstinæ addidimus, Idumæa (§ 32.), urbes ad sinum Ælaniten Ælana, Asiongaber (Berenice), et Phœnicum oppidum, ad Heroopoliten Medeia, in cæteris Pharan, Madian, Petra; Arabia Felix, infra Petræam, ad Mare Rubrum (sinus Arabicus), cujus mons Cassanites; in populis

Sabæi et Homeritæ, in urbibus Leucæ Comæ, Iatrippa (Medina) Macoraba (*Mecca*), Mariaba (Saba), Muza, Ocelis.

34. E regionibus Asiæ extra Imperium Romanum, a Mesopotamia, quam supra memoravimus, ad Indos, remotiores, ut ipsa India, fama tantum et commercio cognitæ Romanis. Cæterum a conterminis ad ulteriora progredienti occurrunt, olim Persarum, post Parthorum regno comprehensœ: Babylonia et Chaldæa, inter Mesopotamiam et sinum Persicum, cujus urbes Babylon, Sura, Apamea, Orchoe, Teredon; Assyria, ultra Mesopotamiam, cujus præter Tigrin flumina Lycus et Caprus, mons Zagrus, regiones in aliis Adiabene, Garamæi, Chalonite, urbes Ninive, Arbela, Gaugamela, Demetrias, Apollonia, Seleucia, Ctesiphon; Persia (Persis), cujus partes Persis, ubi Persepolis et Aspadana (Ispahan), Susiana et Elemais, ubi Susa, Charax, Elemais, Carmania, ubi Carmana, Gedrosia, ubi Ora et Arbis; Media magna, ubi Ecbatana (Hamedan), Ragæ (Arsacia), Tabas; Media Atropatene, ubi Mardi, Tapuri, ad mare Caspium, urbes Gazæ, Cyropolis, Praaspa; Hircania, ad Orientem Caspii, ubi Dahæ, flumen Ochus, urbs Syrinx, cujusque pars Parthiene, ubi Nisæa. Hircaniæ conterminæ Aria et Margiana; his ad Orientem Bactriana, ubi Bactra, et Arachosia, infra quam Gedrosia, cum utrisque Indiam attingens. Supra Bactrianam Sogdiana, ubi Maracanda, ejusdemque faciunt Chorasmios ad Caspium, infra quos Barcani, supra Hyrcaniam.

Indiæ partes India cis v. intra Gangen, et India extra Gangen. In illa flumina Indus, Iomanes, Hydaspes, montes Emodi, Imaus, Taurus, urbes Barygaza, Nyssa (Nagara), Taxila, Bucephala, Serinda, Palibothra, Colchis, Comar. Imæ cis Gangen Indiæ vicina Taprobana v. Salice (*Ceylan*).

Extra Gangen aurea Chersonesus (*Malaya*) et insula Iabadii (*Sumatra*). Indis ab Oriente Sinas, a Septentrione Seras, his ab Occidente, vagis limitibus, Scythas, a Septentrione et Oriente ignotas terras veteres ponebant. Scytharum pars extra, pars cis Imaum montem; his ab Occidente Sarmatæ (§ 25), et ipsi quandoque Scytharum regionibus inclusi.

35. Regionibus Africanis continentur Ægyptus, a veteribus plerumque, certe pars, Asiæ adjecta, Libya (Cyrenaica), Africa propria, Numidia, Mauritania. Ægypti flumen præcipuum Nilus, inter cujus brachia ostiaque Pelusiacum et ad Occidentem Canopicum; his intermedia quinque (septem ostia Nili); inter lacus Mœris, Tennis, Mareotis. Partes Ægypti Thebais (Ægyptus superior), ubi Syene, Apollinopolis magna, Thebæ (Diospolis magna), Tentyra (*Dendera*), Abydus, Ptolemais, Panopolis, (Chemmis) Antæopolis, Lycopolis; Heptanomis, ubi Antinoe (Besa), Hermopolis magna, Cynopolis, Oxyrynchus, Heracleopolis, Aphroditopolis, Memphis. Heptanomidis etiam Oasis parva, et longe superius sita Oasis magna. Ægyptus inferior (Delta) in Delta et partes extra hanc, Occidentalem et Orientalem, divisa. In Delta ad mare Tanis, Diospolis, Paralus, Bolbitin (*Rosette*), interius Busiris, Sais, Naucratis, Hermopolis, Meletis. In parte Occidentali Plinthine, Momemphis, Apis, Nicopolis, Alexandria, cujus portui objecta Pharos insula; in Orientali Pelusium (*Damiette*), Casium, Rhinocorura, Bubastus, Heroopolis, et, ad sinum Heroopoliten, Arsinoe (Cleopatris).

Libyæ, inter Ægyptum et Syrtin majorem, ab Ægypto incipienti populi Adrimachidæ, Ammonii, Marmaridæ, Nasamones, Psylli; partes Libycus Nomus (Libya), cujus montes Ogdamus et Aspis, urbes ad mare Apis et Parætonium, interius Mareotis; Marmarica, Cretæ adversa,

cujus montes Bascisi, flumen Paliurus, urbes (in *charta D'Anvill.*) ad mare Gonia, Heracleum, Hippon, interius Ammon et Alexandri Castra; Cyrenaïca (propria, Pentapolis), a Marmarica ad Syrtin majorem, infra Peloponnesum, cujus urbes Cyrene, ad mare Berenice (Hesperis), Arsinoe, Ptolemais, Apolinia, Darnis.

36. Africæ (propriæ) faciunt, quæ inter Cyrenaicam, flumen Tuscam et Libyæ deserta. Flumina Cyniphus, Triton, Bagrada, lacus Zuchis, Tritonis palus, Libyæ palus. In regionibus Tripolis (Tripolitana), inter Syrtes majorem et minorem, ubi Leptis magna et OEa, Zeugitana, ubi Hippo Diarrhytos, Utica, Carthago, Tunes, Aspis, Neapolis; Bizacium, ubi Adrumetum, Leptis minor, Thapsus, Sicca, Zama, Tysdrus. Bizacio vicina insula Cerina, Tripolitanæ Meninx. Numidia a Zeugitana ad flumen Ampsagam; hujus gens Massyli, urbes Hippo Regius, Cirta, Tibili, Tipasa, Lambæsa. Mauritania a Claudio in provincias Cæsariensem et Tingitanam divisa. Cæsariensis (Massæsylia) inter Ampsagam et Maluam; in cæteris fluminibus Mulucha et Savus, gentes Massæsyli et Numidæ, urbes ad mare Igilgili, Saldæ, Cæsarea, Cartenna, Siga, interius Hippa, Auzea, Thubuna, Sitifi. Tingitanæ (Mauritania propria, *Fetz* et *Marocco*), a Malua ad mare Atlanticum, mons Atlas, fluvii Laud, Subur, Sala, gens Mauri (Maurusii), montes Abyla (*Ceute*, contra Calpen), Arsinarium; urbes ad fretum Gaditanum Tingis, in ora Atlantici Zilis, Banasa, Sala. Prope Tingitanam in Atlantico insulæ Purpurariæ (Gorgades fortasse et Hesperides), quarum altera Cerne (*Madera*); his ad Meridiem fortunatæ, in quibus Ombrios, Capraria, Canaria.

Supra Numidiam et Mauritaniam Gætulia. Interioris Africæ flumina Cyniphus et Bagrada, a memoratis supra

diversa, Nigir, Gir, urbes Nigira, Thabudis, Garama, Gyra; populi Garamantes, Nigritæ, Æthiopes Hesperii. Diversi Æthiopes supra Ægyptum intra Libyam et sinum Arabicum, quorum flumina Nilus, Astapus, Astaboras, populi Blemmyes, Sebridæ, Nubæ, urbes ad Nilum Napata, Premis magna et parva, Meroe, ad Astaboram Eser et Auxuma. In ora sinus Arabici Troglodytæ (Troglodytice), ubi Ptolemais ferarum, Sabæ, Adulis, Berenice Epidires, et inter insulas Orine. Supra Æthiopiam regio cinnamomifera, et ad mare Erythræum Azania, in Elephantem et Aromata, promontoria, procurrens. Trans lineam æquinoctialem Agizymba, et Æthiopes anthropophagi.

ROMA.

37. Nascentis Romæ historia, quamvis vulgo aliquot sæculis post mythicam Græcorum ætatem incipiens, fabulis referta, in quibus ficta a veris discernere non difficile jam, sed desperandum videtur. Etenim et veteres, qui supersunt, scriptores, obscuram famam, et ab antiquioribus varie narrata, repetentes, mire dissentiunt, et recentiores, e veteribus sua haurientes, monumentis, quorum illis in promptu copia, innumeris amissis, quamlibet critica arte glorientur, non tam vera invenere, quam, inveniri non posse, docuerunt, magis nonnulli laudandi, si a conjecturis sive futilibus sive speciosis abstinuissent. Sic de conditore, de anno, de nomine, neque minus de primis Romæ incolis eadem, quæ veterum, controversia relinquitur.

Cæterum vulgaris opinio conditorem Romulum, Sylviæ Vestalis filium, vel solum vel cum fratre Remo fecit. Ad eos enim referuntur urbis in Palatino monte initia 1): quem locum aliquot ante sæculis Evandrum, ex Ardia migrantem, cum suis tenuisse, ibidemque urbem (Pallantium) con-

didisse, fama obstinebat. 2) Ac fuere, qui illam urbem a Romulo inventam neque adeo conditam ab eo Romam, sed auctam modo vellent. Ipsius autem Evandri historia fabulosa (§. 308); et quidam, an omnino in Latio fuerit, dubitavere; alii 3) rem tot veterum testimoniis monumentisque celebratam, in queis Ara Evandri et Porta Carmentalis, a Græcis confictam esse, persuasum habent, vereor, ne nimium acumini suo tribuentes.

1) Cf. Ovid. *Trist.* 3, 1, 31. — 2) Cf. Dionys. hal. 1, 31, Liv. 1, 7, Virg. *Æn.* 8, 98. sqq. 341. 359, Ovid. *Fast.* 1, 470. sqq. — 3) In his Niebuhr (*Rœm. Gesch.* v. I. p. 124.) et Wachsmuth (*Ælt. Gesch. d. Rœm. Staates* p. 102.)

38. De tempore, quo Roma condita, veteres certa tenuisse, idonea causa non est, cur credamus 1); in anno tamen constituendo haud magno numero dissentiunt. Recentiores autem Romæ conditæ annum alii a. Chr. 752, alii 754. faciunt, hi Varronianam, illi Catonianam rationem sequentes 2). Diem urbis natalem fama ferebat XI. Kal. Maj. 3).

Nominis autem Romæ, si Græcum fingimus, notio est *robur*, sane conveniens terrarum victrici; et vetus opinio, Valentiam in monte Palatino urbem ab advenis Græcis Romam esse, verso latino nomine, adpellatam 4); ac par fuit, in diversa abire eos, qui, relicta vulgari fama 5), Romam non a Romulo dictam existimarent. Ex his quidam Romulum ab urbe, urbem alii a *Rumon* vel *Rumo*, antiquo Tiberis nomine 6), alii et flumen et regionem, utpote pecorosam, a *Ruma* (mamma 7); guttur), sicque Romam quasi ruminantium aut lactentium pecudum urbem vocatam esse volunt, ab eadem voce deducentes ficum ruminalem, sub qua geminos lactentes inventos, narrabatur 8) Alii æque audacia aut futilia comminiscuntur.

1) Cf. Beauf. *sur l'Incertit. de l'Hist. Rom.* p. 2. c. 2. — 2) Catoniana (vel Verrii Flacci) conditam facit a. post Trojam deletam 432., unde Dionysius, I, 74, a. 1. Olympiadis 7., qui est ante Christum 751-2., Varroniana, quam e Plutarcho et Censorino restituit Petavius, a. 3. Olymp. 6. V. Petav *Doctr. Tempp.* lib. IX. c. L. sqq. A Catone aut Varrone veteres, qui plurimum, paucis tamen annis differunt. E recentissimis cf. Niebuhr. v. I. pag. 168. sqq. 183. sqq. — 3) Prop. 4, 4, 71, *Urbi festus erat, dixere Palilia patres: Hic cœpit primus mœnibus ire dies.* Cf. Scalig. ad Manilii *Hesperiam sua libra tenet, qua condita* Roma. — 4) Solin., *Polyh.* c. 1., *Sunt qui videri velint Romæ vocabulum ab Evandro primum datum, quum oppidum ibi offendisset,* etc. Cf. Fest. in *Romam.* — 5) Cf. Cic. *de Div.* 1, 48, *de Rep.* 2, 7. — 6) Cf. Serv. ad *Æn.* 8, 63. 90. — 7) Cf. Aug. de *Civit Dei* 4, 11, 7, 11, Wachsm. p. 129, — 8) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 411, *quæque vocatur rumina nunc ficus, romula ficus erat.*

39. Præter vulgare, vel, ut Creuzer vocat, civile, arcanum sive mysticum Romæ nomen veteres memorant 1); recentiores tertium insuper, sacerdotale, nescio an satis idonea auctoritate, adjiciunt 2). Arcanum, quod pronuntiare nefas habebatur, *Valentiam* esse, nonnulli conjecerunt; sed Creuzero est Eros sive Amor; eidem sacerdotale Flora sive Anthusa. Cæterum Roma a conditore urbs Romulea, eademque propter excellentiam, ut Athenæ interdum ἄστυ, urbs simpliciter 3), quasi sola urbs, ac solemnibus insuper et alias et in numis cognominibus adpellatur, ut felix, æterna, victrix, regina; cui apud Græcos scriptores respondet βασιλὶς, βασιλεύουσα πόλις; eaque de Constantinopoli quoque usurpata, quæ minor etiam et altera Roma vocari solet. Denique dea quoque adpellata est Roma, suaque templa cum in provinciis, tum Romæ etiam 4) habuit.

1) Cf. Macrob. *Saturn.* 3, 9., Plin. *H. N.* 3, 5., Serv. ad *Æn.* 1, 277. — 2) Cf. Creuz. *Abriss* d. rœm. *Antiqq.* § 14. — 3) Cf. Cæs. *B. G.* 1, 7., Hor. *Epod.* 9, 9. Ad rem etiam *ad urbem esse* (§ .179.) — 4) Cf. Tac. *Ann.* 4, 37. 56., Claud. *de Laud. Stil.* 2, 242, et Rutil. *Itiner.* v. 47.

40. De primis Romæ incolis nec inter veteres convenit; quanquam vulgares sententiæ, coloniam fuisse Albæ Longæ 1), aut collectam e prædonibus multitudinem 2). Recentiores, nusquam vehementius discordantes, alius Celticæ, alius Græcæ vel Pelasgæ, quidam Etruscæ originis Romam esse conjiciunt; quod nuper, favente imprimis Niebuhrio 3), qui jam sese hic damnavit, multi contendebant.

Cæterum, urbis Romæ initium, satis constat, tam exiguum fuisse, ut uno monte Palatino contineretur: quæ gentium dominæ tenuitas suavissimis poetarum versibus celebrata 4). Formam ejus quadratam 5), mœnia (circuitum) ab Romulo aratro, junctis bove et vacca, antiquo Etruscorum ritu designata esse, veteres tradiderunt 6); utrumque Romanos in fundandis coloniis servasse, castra quoque quadrata hinc semper fecisse, antiquarii docent 7). Quæsitum etiam, an oppidum proprie dicta sit prima illa pars Romæ 8).

1) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 2., Creuz. §. 13. — 2) Cf. Juven. 8, 272. — 3) Celeberrimus Creuzer, in *Antiquitatibus* suis sæpe multa interrogando defungens, eoque etiamnunc dubitantibus non parum utilis, hic §. 13. in aliis quærit, an Roma sit colonia urbis Cære; an hinc nomen *Quirites?* an patricii vere Etruscus sacerdotum ordo (*Priestercaste*. Cf. compend. §. 183.); an Etrusci soli sint primi Romuli cives, anne Roma Græcæ, Pelasgæ originis.— 4) V. Ovid. *Fast.* 1, 197. sqq., Prop. l. 4. eleg. 1. et 4. —5) Hinc Ennii celebratus antiquariis versus: *Ecquis nunc curat Romæ regnare quadratæ?* Cf. Solin. c. 2. Nard. *R. vetus* 1, 2. — 6) Cf. Ovid. *Fast.* 4, 819, seqq., Plut. *Rom.* pag. 23, Fest. in *Rituales*. — 7) Cf. Nieb. v. 1. p. 157. —8) Cf. Liv. 42, 20. 36.

41. Roma in Latio (§. 13.), in confinio Etruriæ et Sabinorum regionis sedecim a mari passuum millibus sita 1). Locus condendæ casu, an consilio captus, an fertilis, salubris, omnino, quæ ejus natura fuerit, a veteribus, nec parva sententiarum discrepantia, disceptatum 2). Tiberis

amnis, qui ex Apennino oriens mari thusco ad Ostiam miscetur, urbem sinuosus, insulamque Tiberinam efficiens, interfluit; sed exigua pars, quæ in dextra ripa, et sero adjecta. Sub regibus vicini Palatino colles, dubium, quo quisque tempore, accesserunt. Septem mœnibus inclusit Servius Tullius, unde Septimontium (sc. sacrum.) 3), et urbs septicollis; isque situs a poetis celebratur 4).

Nomina illorum collium, incertæ pleraque originis, Palatinus, Capitolinus, Cœlius, Aventinus, Esquilinus, Viminalis, Quirinalis. Palatinus Palatium quoque dictus, corrupta, ut quidam putant, voce *Pallanteum* (§. 37.), cujus nominis urbs in eo monte fuisse ferebatur, eaque vel a cognomine Arcadiæ urbe, vel a Pallante, Evandri filio, adpellata. Qui famam de Evandro hæc loca colente spernunt, his, consentaneum est, alia magis placere; in quibus derivatio a balante pecore et a dea Pale 5). In Palatio Romæ incunabula, ibidemque inde ab Augusto Cæsarum domus, ubi nunc horti Farnesiani, a monte adpellata 6); unde post palatia principum domicilia, et latius usque patens vocabuli (*palais*) significatio.

1) V. Plin *H. N.* 3, 5. — 2) Cf. Cic. *de Republ.* 2, 3. 6., Dionys. 8, 8., Creuz. §. 16. — 3) Cf. Varro *de L. L.* l. 5. p. 49, Plut. *Q. R.* 69, Fest. in *Septimontio* et *Septimontium*. — 4) V. Tib. 2, 5, 57, Ovid. *Trist.* 1, 4, 67. sqq., Virg. *Georg.* 2, 534. — 5) Cf. Fest. in *Palatium*, Varro de *L. L.* l. 4. p. 16. Hic in aliis: *quod palantes cum Evandro venerunt, aut quod Palatini, qui et Aborigines, ex agro reatino, qui adpellatur palatium, ibi consederunt. Sed hoc alii a Palatia, uxore Latini, putarunt. Eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam. Itaque Nævius Balantium adpellat.* — 6) V. Ros. l. 1. c. 4. *paralip.*

42. Mons Capitolinus, Foro Romano a Palatino diremtus, a Capitolio, Jovis templo, dictus. Ipsum Capitolium a capite humano, in locandis fundamentis invento, nominatum veteres retulerunt 1). Idem mons a Saturno

Saturnius, a virgine Tarpeja Tarpejus vocatur 2). Partes ejus saxum Tarpejum (Saxum), rupes a parte Tiberis 3), culmina Arx et Capitolium, Intermontio conjuncta, post Arcis nomine comprehensa 4).

Cœlius ad Orientem maxime Palatino, a Cœle Vibenna, Etrusco 5), sub Tiberio Augustus quoque dictus 6). Nunc a templo divi Laterani et gentis vetustæ nomine Lateranus vocatur 7). A Cœlio distinguitur Cœliolus, Cœlius minor 8).

1) Cf. Varro *de L. L.* 4. p. 15, Arnob. *adv. Gent.* l. 6.) — 2) V. Prop. l. 4. eleg. 4., Liv. 1, 11. — 3) Cf. Plut. *Rom.* 17. — 4) Cf. Creuz. §. 19. — 5) Cf. Varro p. 14., Tac. *Ann.* 4, 64. — 6) V. Tac. ib. et Suet. *Tib.* 48. — 7) Cf. Juven *Sat.* 10, 17. — 8) Cf. Mart. 12, 18. De tempore, quo Cœlius urbi additus, apud Creuzerum §. 20. hæc opinionum varietas: *per Romulum* (Dionys. 2. p. 113), *per Tullum Hostilium* (Liv. 1, 30), *per Ancum Martium* (Strabo 5. p. 358, p. 162; Cic. *de Republ.* 2, 18.), *vel adeo per Tarquinium Priscum* (Tac. *Ann.* 4, 64. 65.) Hinc colligamus de reliquis montibus, omnino de urbe nascente, reputemusque, quam arduum in antiquitatibus, id scire velle, quod et sciri queat, et cognitionis labore non sit indignum.

43. Aventinum, inter Cœlium, Tiberim et Palatinum, Ancus Martius devictis Latinis concessisse fertur. Primis Romæ mœnibus, an sub Claudio demum pomœrio inclusus, etiam nunc quærit Creuzer 1). Antiquius ejus nomen Murcius a templo Murciæ 2). Aventinum ab Aventino, Albanorum rege, ab avibus, ab Avente flumine, aliisque adpellatum voluere 3). A templo Dianæ collis Dianæ dictus 4). In memorandis Aventini antrum Caci, et ara Evandri.

Esquilinus (Exq.; Esquiliæ) collium Romæ maximus, inter Cœlium, Viminalem et Palatium, ab Oriente mœnia attingens, a Servio Tullio, ut volunt, urbi adjectus. Dictum in aliis faciunt ab excubiis Romuli, a quisquiliis 5),

et, quod rectius puto, ab æsculis, quibus olim tegebatur. Nunc Palatiis templisque insignis.

Viminalis, inter Esquilinum et Quirinalem, dictus putatur a viminibus 6), vel a Jove Vimineo, quem potius a monte dictum crederes.

Quirinalis Viminali a Septentrione, ab Oriente ad mœnia pertinens. Hunc alii a Curetibus (e Curibus, oppido Sabinorum), alii a Quirino (v. §. 286.) dictum volunt, cujus in eo templum; unde et collis Quirini vocatus. 7) Nec desunt qui aliter conjiciant. Antiquiora nomina Agonius et Collinus. Hodie ab equis binis antiquis *Monte Cavallo* adpellatur.

1) §. 21. Cf. Cic. *de Republ.* 2, 18, Gell. 13, 14, Liv. 1, 33. — 2) Cf. Fest. in *Murciæ*. — 3) V. Varro 4. p. 14., Serv. ad *Æn.* 7, 657. — 4) V. Mart. 12, 18, 3. — 5) V. Varro *de L. L.* 4. p. 12 et 15. — 6) Cf. Juven. 3, 71, *Esquilias dictumque petunt a vimine collem*. Cf. Varro p. 15. — 7) Hor. *Ep.* 2, 2, 68, *Cubat hic in colle Quirini, hic extremo in Aventino.*

44. Ab Aureliano imperatore demum mœnibus inclusi collis Hortulorum, et a dextera Tiberis siti Vaticanus et Janiculum.

Collis Hortulorum, inter Quirinalem et mœnia Aurelianea, ab hortis Sallustianis, idem posterius a Pinciæ familiæ palatio Pincius adpellatus. Vaticanus, valle a Janiculo, quod latioribus limitibus complectitur 1), separatus. Dictum alii a vatibus sive vaticiniis, alii a deo quodam Vaticano finxere 2). Idem hodie palatio Vaticano et templo S. Petri insignis. Mons Janiculensis, Capitolino adversus 3), altissima urbis superat, cui pons Sublicius jungebat. Urbis munimentis inclusus, an extra justos ejus limites manserit, quærit Creuser § 25. Nomen, vix dubium, quin a Jano (§. 287.); sunt tamen, queis alia placuerint.

1) V. Plin. *H. N.* 3, 5. — 2) Cf. Gell. 16, 17., Fest. in *Vaticanus.* — 3) V. Virg. *Aen* 8, 355.

43. Urbem Septicollem (§. 40.) Servii mœnibus inclusam, et quæ amplioribus complexus Aurelianus, diximus. A mœnibus antiquarii discernunt pomœrium (*pone* v. *post murum*), ante Aurelianum sæpe, non mutatis mœnibus, prolatum 1). Muri Serviani ambitum Dionysius (IV, 13) parem fere tradit Athænarum, sed urbem non certis limibus latissime extendi. Cæterum alius muri quam pomœrii circuitus, ac recentiores mire dissentiunt, locos Plinii, ubi codices XIII, Vopisci, ubi novis Aureliani mœnibus L passuum millia tribuunt, emendando suæ quisque sententiæ accommodantes 2).

Intra latissimum ambitum quot privata ædificia, insularum et domuum nomine distincta, fuerint, nec satis reperiri potest, et, nisi tempora discernas, absurdum quærere. Quidam ad 48000 numerum confecerunt; aliis minor placuit. In P. Victoris *descriptione Urbis* (*Thes. Græv.* vol. III.) insulæ et domus in singulis regionibus separatim indicatæ; insulæ omnes 46602, domus 1780; Onuphrius Panvinius (ib. p. 381.) insulas facit 41912, domos 2117.

Incolarum Romæ numerus alius exclusis servis et peregrinis, alius adjectis. Quantus in amplissima et florente urbe fuerit, e veterum notitiis recte constitui nequit; inter recentiores Lipsius 4000000 3), Is. Vossius, comparata cum Romæ Lutetiæ et Londini amplitudine et incolarum numero, 14000000 confecit. 4) De censu civium cf. Beaufort v. 1. p. 317.

(1) Liv. 1, 44, de Servio Tullio, *aggere et fossis et muro circumdat urbem; ita pomœrium profert. Pomœrium, verbi vim solam intuentes, postmœrium interpretantur esse. Est autem magis circa murum locus;*

quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt, et intrinsecus (extr ?) *puri aliquid ab humano cultu pateret soli*, etc. Cf. Festus in *prosimurium* et Creuz. § 24. De pomœrio prolato cf. Tac. *Ann.* 12, 23, *et pomerium auxit Cæsar* (Claudius), *more prisco; quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen duces romani, quanquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L. Sylla et D. Augustus.* — 2) Cf. Creuz. §. 26. — 3) *De Magnit Rom.* l. 3. c. 3. Cf. ibi locum Aristidis. In Vossii numerum, ut incredibilem, jocatur Richard, *Description de l'Italie* vol. 5. præf. — 4) *Obss. de ant. Romæ* magnit. c. 1.

46. Romulus Romam in tres partes, tribus, divisisse narratur, de quibus vide §. 142. Servius Tullius, servato tribuum nomine, quatuor partes, tribum Palatinam, a monte Palatino, Suburranam, a vico Suburra, Collinam, a collibus Qurinali et Viminali, Esquilinam ab Esquiliis fecit: quam divisionem Augustus demum sustulit, urbem in hasce quatuordecim regiones 1) partitus:

I. Porta Capena, a porta.
II. Cœlimontana, a monte Cœlio.
III. Isis et Serapis v. Isis et Moneta, a templis.
IV. Via Sacra, vel Templum pacis.
V. Esquilina, ab Esquiliis.
VI. Alta Semita.
VII. Via lata.
VIII. Forum Romanum.
IX. Circus Flaminius.
X. Palatium, a monte.
XI. Circus Maximus.
XII. Piscina Publica.
XIII. Aventinus, a monte.
XIV. Transtiberina.

Regionum partes vici sive plateæ primariæ, numero ultra quadringentos 2). In his Suburra 3), Camœnarum, Fabricii, Albus, Ursi Pileati, Lanarius, Unguentarius, Sceleratus 4), Tuscus 5). Iidem viæ adpellatæ (via et vicus sacer, via lata, etc.), sed diversi a viis, de quibus §. 48, ad urbem, partimque per ipsam continuatis. Viæ angustiores angiportuum, altera parte occlusæ fundularum nomine distinguuntur. In qualibet regione duos curatores, in quolibet vico quatuor vicomagistros instituit Augustus 6). Regionum insuper denuntiatores, in P. Victoris et S. Rufi descriptionibus bini in singulis, memorantur 7). Singulis vicis sua ædicula, proprio numini dicata.

1) Tac. *Ann.* 15, 40. — 2) Cf. Suet. *Aug.* 30. — 3) Juven. 3, 5, *ego vel Prochytam præpono Suburræ.* Clamosam vocat Mart. 12, 18. — 4) A Tulliæ impietate. V. Liv. 1, 48. — 5) Hor. *Sat.* 2, 3, 228, *tusci turba impia vici.* — 6) V. Suet *Aug.* 30. Cf. Liv. 34, 7. — 7) Cf. Græv. *Inscriptt.* p. 250. 251.

47. Urbis Romæ antiquitatum alteram partem non absurde dicemus, quæ vulgo Romæ memoranda vel admiranda antiquarii vocant. In his ponuntur: Portæ, Plinii majoris ætate XXXVII, Justiniano imperante, XIV superantes 1); tres, an quatuor urbis quadratæ fuerint (Romanula, Mugonia, Trigonia, Carmentalis, a matre Evandri, aliaque nomina), hodieque inquirunt harum rerum curiosi 2). Inter XXXVII, quarum plures viis per eas ducentibus cognomines, Capena, quæ et Triumphalis, Cœlimontana, Esquilina, Tiburtina, Viminalis, Collina, Pinciana, Flumentana (Flaminia), Carmentalis, Triumphalis (altera), Janiculensis, Portuensis, Trigemina. De multis nunc, ubi fuerint, controversia.

Pontes, non omnes hodie superantes, octo; quorum ab infimo numeranti hæc series: Sublicius, inter Aventinum et Janiculum, antiquissimus, olim ligneus (e sublicis),

Palatinus (Senatorius), a Foro ad Janiculum eunti proximus, Fabricius 3) et Cestius, per insulam in Janiculum transeunti, Janiculensis, Vaticanus (Triumphalis, Aurelius), Ælius, ad molem Adriani ducens, Milvius 4), extra urbem et portam Flaminiam.

1) V. Plin. 3, 5, 9, Procop. *de Bello Goth.* 1. p. 194. — 2) Cf. Nard. *R. Vet.* I, 3. — 3) Hor. *Sat.* 1, 3, 36, — *a Fabricio non tristem ponte reverti.* — 4) Idem Æmilius dictus. Juven., 6, 32, *quum tibi vicinum se præbeat Æmilius pons.*

48. Viæ, aliæ ab urbibus, quo ducebant, aliæ, ut Appia, a conditoribus adpellatæ, intra urbem silice, extra glarea stratæ 1), eædem lapidibus, mille passuum intervallo, a primariis locis distantiam inscriptam, (quo etiam trahenda columna milliaria, §. 50,) velut M. P.XX, exhibentes; unde *ad primum, ad centesimum ab urbe lapidem,* et similia. Ad structuram referuntur statumen, rudus, nucleus, dorsum 2); miram firmitatem reliquiis hodieque multæ testantur. Inter vias celebratiores Appia 3), Latina, Tiburtina, Flaminia. Diversæ ab aliis militares.

Fora, non pauca, ut in amplissima civitate. Ex his alia rebus publicis, porticibus, certe pleraque, ornata; omnium celeberrimum, quod Romanum, vel simpliciter Forum dicitur; in cæteris Cæsaris (Iulium) et Trajani. Alia sunt rerum venalium, velut Olitorium, Boarium 4), Suarium, Piscarium, Pistorium.

Campi, (quos Onuphrius septendecim, Creuzer octo facit,) graminei, cœtibus, oblectationi, juvenum, tironum exercitationi, aliisque dicati. Notissimus Campus Martius, vel simpliciter Campus 5), ut Certamina Campi, Campus venalis, etc., extra mœnia Serviana ad Tiberim (§. 161.); e cæteris Agrippæ, Viminalis, Cœlimontanus, Trigeminorum, Jovis, Vulcani. Luci, sylvæ numinibus sacræ, cum

aliæ, tum templis conjunctæ, cæterum multæ, in quibus Jovis Viminei, Junonis Lucinæ, Camœnarum, Veneris Lubentinæ, Egeriæ, Mavortianus, Vaticanus, Pœtilinus. Memorantur et areæ, velut ante templa cum ara hostiis cremandis (§. 330.); alias, nec usu multum differentes 6), cum campis sæpe confusas crederes. Inter areas occurrunt Apollinis, Mercurii, Vulcani, Sancta, Galli, area in Campo Martio 7).

1) Cf. Liv. 41, 32., Juven. 3, 270., Tib. 1, 7, 59.— 2) V. Champoll. *Résumé d'Archéol.* v. 1. p. 10. — 3) Cf. Proc. *de B. Goth.* I. Hor. *Sat.* 1, 5. — 4) Ovid. *Fast.* 6, 478, *area, quæ posito de bove nomen habet.* Cf. Tac. *Ann.* 12, 24. — 5)Cf. Hor. *A. P.* 162, *Ep.* 1, 7, 59. — 6) Cf. Hor. *Od.* 1, 9, 18.— 7) Cf. Pitiscus in *Area.*

49. Templa (ædes, ædicula, sacellum. §. 330.) ingenti numero. Inter celebratiora Pantheôn (omnium deorum), templum Apollinis Palatini, Æsculapii, in insula Tiberina, Concordiæ (ædes), Honoris et Virtutis, Jani, plura Jovis, ut Feretrii, Statoris, et, omnium longe celeberrimum, Jovis Optimi Maximi vel Capitolini, Capitolium, Junonis Lucinæ, Junonis Reginæ, Martis Ultoris, Martis Quirini, Pacis, Solis, Veneris Genitricis, Vestæ.

Theatra (§. 350.), Pompeji, Marcelli, Balbi. Amphitheatra (ib.), Statilii Tauri, Vespasiani (Colosseum). Circi (§. 348.) multi, notissimus idem et antiquissimus, qui Maximus vel simpliciter Circus vocatur, cum Foro et Campo inter loca urbis celebratissima 1). In aliis Flaminius, Agonalis, Neronis, Caracallæ. Naumachiæ, certamini navali ludicro (§. 349.), Domitiani, Neronis, aliæ. Ludi (palæstræ, gymnasia), armorum, luctæ, cursus, balneis etiam, et privatis adeo ædibus additi. Xysti, arborum vel columnarum, pariter inter balneorum partes. Odæa, musicorum, poetarum, certamini, recitationibus.

Porticus vel solæ, vel ædificiis, etiam privatis, conjunctæ, Apollinis 2), Isidis, Libertatis, Pompeji 3), Agrippæ, Æmilia, Liviæ, Faustinæ, Argonautarum, Margaritaria. Basilicæ, mercatoribus, senatui congregando, imprimis judiciis dicatæ, Porcia, Julia, Ulpia, Argentaria, aliæ 4). Curiæ, curiis (§. 142.), senatui congregando; notissima, quæ Hostilia et simpliciter Curia dicitur, in Foro; inter alias Calabra, Pompeja, Julia.

1) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 113, *fallacem circum vespertinumque pererro sæpe forum.* Cf. Juven. *Sat.* 3, 65. — 2) De hac Prop. 2, 23. Cf. Ovid. *Trist.* 3, 1, 59. — 3) Prop. 2, 23, 45, *porticus aulæis nobilis attalicis.* — 4) A basilicis in templa mutatis christianorum ecclesiis nomen inditum.

50. Thermæ (balnea, balinea) ingenti numero (§ 472.) Agrippæ, Titi, Trajani, Diocletiani, Constantini. Aquæductus vel aquæ, aqua virgo, Appia, Marcia, Julia, Claudia, Anio Vetus et Novus, Trajana. Aqua aquæductibus in castella (dividicula) influens, hinc per vicos dividebatur (calices, tubuli, fistulæ), lacubus in publicum usum excepta 1). Nymphæa, nymphis sacra, aquarum lusu, saxis antrisque amœna. Cloacæ, quædam e regum tempore, admiranda firmitate hodie superstites. A cæteris distinguitur Cloaca Maxima. Arcus Triumphales (arcus), Titi, Septimii Severi, Gallieni, Constantini. Columnæ (cochlides), Rostrata (§. 426.), Milliaria, Trajani, Antonini. Obelisci, ex Ægypto Romam transvecti, mole et notis hieroglyphicis memorabiles, et alias et in circis (§. 348.) positi. In singulis (v. Pitiscus) Augustæus, Cajanus, Sullustianus. Statuæ colossales (colossi), in iis Neronis, quem Soli dicavit Vespasianus. Sepuchra (monumenta), Mausoleum Augusti, Moles Adriani (*Castellum S. Angeli*), Pyramis Cæstii.

— 1) Cf. Hor. *Sat.* 1, 4, 37.

ANTIQUITATUM ROMANARUM

PARS II.

SECTIONIS I. CAPUT I.

INCOLARUM IN IMPERIO ROMANO DISTINCTIO.

DE SERVIS.

51. Simplicissima incolarum in Imperio et republica Romana divisio est in servos et liberos 1). Liberi vel liberi nati sive ingenui sunt, vel servitute liberati sive manumissi, qui domini liberti, conditione libertini dicuntur; idque nomen, non tamen, opinor, conditio olim liberis quoque eorum adhærebat 2). Liberis hominibus varia, servis nulla jura. Libertatis autem amissæ causam nemo non videt esse vim fortioris; quum natura servum non fecerit 3). Sed legitimæ quodammodo servitutis origo, certe antiquissima, et apud plerasque nationes prima libertatis ereptæ causa captivitas in bello; victi enim jure gentium victoris res habebantur, qui, quos servos esse volebat, aut suos aut vendendo aliorum faciebat. Sic in antiquissimis causis captivitas et venditio (§ 100.) Ab altera vel utraque pendent vocabula *servus* et *mancipium*. Servum quasi a victore servatum, et quidam a Græco etymo ἔρω, ἐρύω, servo, cui favet apud Festum *eritudo* 4), mancipium quasi manu captum adpellatum voluere 5). Sed et servi vocabuli varia est insuper derivatio (εἴρω, necto, εἷρμος, etc.), et mancipium, qui doc-

tiores hodie visi, servum ut rem mancipi (§. 97) vel mancipatione acquisitam, dici existimant.

1) Cf. *Institt.* 1, 3. Caj. *Institt.* 1, 3, *Summa itaque divisio de jure personarum hæc est, quod omnes homines aut liberi sunt, aut servi.* —2) Cf. Suet. *Claud.* 24., Caj. *Institt.* 1, 10., Liv. 4, 3, 10, 8., Hor. *Sat.* 1, 6, 6, Heind. ad Hor. *Sat.* 1, 6, 79.—3) *Institt.* 1, 3, 2, *servitus est, constitutio juris gentium, qua quis domino alieno contra naturam subjicitur.* Cf. §. 54. locum Caji *Institt.* 1, 52. — 4) Cf. Creuz. § 34. — 5) V. Don. ad Ter. *Adelp.* 2, 1, 28., Lyd. *de Magg.* 1, 11., Isid. *Origg.* 9, 4. — 6) Cf. Cic. *Parad.* 5, 1, *non enim ita dicunt eos* (improbos) *esse servos, ut mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu aut aliquo jure civili.*

52. In causis autem servitutis, præter captivitatem, quam diximus, cum aliis apud Romanos ponuntur ortus servilis et pœna. Alia est venditionis et commercii, si in causis servitutis ponantur, ratio. De ortu, par erat, ejusdem domini esse liberos rem, cujus parentes. E liberi autem servique hominis consuetudine, ut omnino extra connubium 1), nati lege matris conditionem sequuntur, nec inter servos aut liberis cum servis matrimonium, sed contubernium, nec servæ uxores, sed contubernales proprie dicebantur (§. 82.)

Pœna (servus pœnæ) aut omnino jure civili inter alios, sed non omni omnes tempore, et quidam, dubito, an satis recte, memorantur censui 2) sese aut militiæ subrahentes, a patre 3) venditi, aut a Patre Patrato (§ 323.) dediti 4), furti manifesti crimine damnati, solvendo impares (nexi. §. 72.), sui (suæ personæ) usum fructum cedentes 5), liberi inventi et a servis educati, ad metalla, ad bestias damnati.

1) Cic. *Top.* 4. Caj., *Institt.* 1, 67.— 2) Cic. *p. Cæc.* 34, *cum autem incensum vendit* (populus), *hoc judicat: cum is, qui in servitute justa fuerit, censu liberetur, eum, qui, cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem adjudicasse.* — 3) Cf. Dionys. 2, 27. — 4) Cf. Cic. l. c. — 5) V. Hugo *Gesch. d. Ræm. R.* ed. 6. §. 190.

53. Commercium servorum, (quo trahuntur venalicia-ria 1), venaliciarius, i. e. mango; venalis; venalicii 2); venalicium; venalicia 3) familia,) quatenus et liberi homines vendendi conquiruntur, in causis servitutis ponendum, in florente et luxuriante Roma, ut nusquam, viguit 4), quidquid ex eo genere egregium rarumque in caput terrarum undique, sed e Græcia inprimis et Asia, confluente.

De ritu autem et lege vendendi hæc notamus. Venales, a mangonibus in catasta 5), vel lapide 6) exponebantur: unde *de catasta, de lapide emti* 7). E transmarinis regionibus advectos, mos aut lex, gypsatis pedibus 8) venire, pileatos autem, de quibus nil cavebat venditor 9). In cæteris lex jubebat vitia graviora, et in his fugam, emtori dicere, aut fraude venditum (vitiosum), si emtor reddere (redhibere) vellet, recipere 10). Titulum etiam de collo venalis suspendi mos fuit, dotes, certe vitia indicanda continentem 11). De nudato et contrectato corpore cf. Sen. *Ep.* 80, Suet. *Aug.* 69 8), Sen. *Rhet. Controv.* I, 2., de auribus perforatis Juven. I, 105.

1) *Pandd.* 32, 1, 73. — 2) Cic. *Orat.* 70.— 3) Cf. Suet. *Aug.* 42., *Pandd* 24, 1, 31. — 4) V. §. 493. Cf. Creuz. §. 35. — 5) Cf. Suet. *de Gramm.* 13, Pers. 6, 77, Mart, 6, 29, Tib. 2, 6, 21, *regnum ipse tenet, quem sæpe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes.* — 6) V. Plaut. *Bacch.* 4, 7, 17, Cic. *in Pis.* 15. — 7) Suet. et Cic. l. c. — 8) Cf. Tib. l. c., Ovid. *Am.* 1, 8, 64, Prop. 4, 5, 51. sqq., Plin. 35, 17, Cic. *ad. div.* 7, 6, Juven. 1, 110, *Vincant divitiæ, sacro nec cedat honori, Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.* Cf. ib. 7, 16, *Altera quos nudo traducit Gallia talo.* — 9) V. Gell. 7, 4. — 10) Cic. *de Off.* 3, 23, *in mancipio vendendo dicendane vitia, non ea* (al. *nec ne*), *quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili, sed hæc: mendacem esse, aleatorem, furacem, ebriosum.* Cf. ib. 16. 17, Hor. *Ep.* 2, 2, 17. sqq., Gell. 4, 2. — 11) V. Prop. et Gell. l. c. — 12) *Conditiones quæsitas per*

amicos (Augusti), *qui matres familias et adultas ætate virgines denudarent, atque perspicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.*

54. Servi dividuntur in publicos et privatos 1). In illis operæ publicæ, velut helciarii, aquarii, metallis, latumiis adhibiti, a mancipibus conducti, item magistratuum, etiam in provinciis, non tamen omnes (cf. §. 217.) ministri. Privati, quorum immensa Romæ copia, munerum habita ratione familia urbana et rustica distinguebantur. Nos de muneribus §. 494–5., hic autem de servorum conditione, postremo de manumissione explicabimus.

Servi apud Romanos, non in personarum, sed in rerum sive bonorum numero habiti, ex arbitrio domini vendebantur, pignerabantur 2), plectebantur, primis reipublicæ temporibus impune etiam necabantur 3). Sed juris acerbitatem mos et clementia dominorum temperabant; et quæsitum, olimne, ut Creuzero placet (§. 45.), an in dominante Roma tolerabilior fuerit servorum conditio. Sub Cæsaribus legibus etiam, ut Antonini Pii 4), postremo, suadente insuper religione Christiana, coercita dominorum libido. Cæterum, nec omnes eodem numero apud dominum, et ex munere quoque acerbior mitiorve sors. Vernæ, sub oculis dominorum educti, plerumque melius, quam cæteri, sæpe etiam, si dociles, eruditi, si candidi moris, liberaliter habebantur, indulgentia dominorum multi procaciores, unde verniles joci, dicta, blanditiæ, vernilitas 5). Asperrima conditio rure servientium, qui, compedibus inter opus vincti, reversi cameris subterraneis, ergastulis (εἴργω, ἐργάζω) includebantur 6).

1) Cf. Liv. 26, 47., Plin. *Ep.* 10, 30. — 2) *Pandd.* 40, 5, 24. — 3) Caj. *Inst.* 1, 52, *In potestate itaque sunt servi dominorum, quæ quidem potestas juris gentium est; nam apud omnes peræque gentes*

animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisque potestatem esse; et quodcunque per servum adquiritur, id domino adquiritur. Cf. Juven. 6, 219, 14, 18, Sen. *de Ira* 2, 40, *Ep.* 47.— 4) V. *Pandd.* 1, 6. Cf. Suet *Claud.* 25. — 5) Mart. 1, 42, *Urbanus tibi, Cæcili, videris. Non es, crede mihi. Quid ergo? Verna es.* Cf. Tac. *Hist.* 2, 59, 3, 32, Hor. *Sat.* 2, 6, 108, Sen. *de Const.* c. 11 — *pueros quidem in hoc mercantur procaces, et eorum impudentiam acuunt et sub magistro habent, qui probra meditate effundant,* etc. Cf. idem *Ep.* 95. — 6) Hinc catenati cultores, Flor. 3, 19, vincti fossores, Luc. 7, 402. Cf. Tib. 2, 6, 25, Plin. 18, 3.

55. Levioribus servorum peccatis usitata pœna flagellum sive lorum 1), unde lorarii, loris cædentes, et probrosa verba mastigia et verbero. Furcam quoque, unde furcifer 2), ad leviora trahunt antiquarii. Gravior pœna stigmata, qua adfecti litterati, inscripti, stigmatici, dicuntur 3). Sæpe etiam puniendi in ergastula 4), aut, cujus frequens mentio, in pistrinum (a *pinso*; Græcis μυλών) dabantur, ubi, molam versantes, jumentorum vicem implebant 5). Memorantur et publice ad metalla vel ad bestias (bestiarii) damnati 6). Summum supplicium crux 7). De suspectis aut reis usitatissima quæstio, de qua §. 277. 8). Legum quanta in noxios severitas sub Cæsaribus etiam fuerit, hinc colligere licet, quod, domino *per insidias serviles* interemto, universa familia necabatur 9). In gravibus servorum delictis fuga 10). Retrahendi fugitivos 11) curam habentes fugitivarii adpellati 12).

1) Hor. *Ep.* 2, 2, 15, *semel hic cessavit, et, ut fit, in scalis latuit, metuens pendentis habenæ.* Cf. Ovid. *Am.* 1, 6, 19, Juven. 14, 19. Ad suspensos, dum cæduntur, adligato et pedibus pondere, loc. Plauti *Asin.* 2, 2, 23, et *Aul.* 4, 4, 16. — 2) Cf. Plaut. *Cas.* 2, 6, 37, *Persa* 5, 2, 72, Liv. 1, 26, Suet. *Nero* 49. — 3) Cf. Juven. 14, 24, *inscripta ergastula*, Plin. 18, 3, *inscripti voltus*, Mart. 8, 75, 9, Prudent. *Hymn.* 10. v. 1079. — 4) Cf. Juven. l. c. et 8, 180. — 5) Cf. Ter. *Andr.* 1, 2, 28, Plaut.

Asin. 1, 1, 16. Apul. *Met.* 8. *Ibi complurium jumentorum multivii circuitus intorquebant molas ambage varia*, etc. Idem de operis pistrini: *Di boni, quales hi homunculi, vibicibus livedinis totam cutem depicti, — sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, frontes litterati, et capillum semirasi, et pedes annulati.* — 6) Cf. Caj. 1, 13. — 7) Cf. Hor. *Sat.* 1, 3, 80, Juven. 6, 219, Cic. *Verr.* 5, 64. — 8) Cf. Tac. *Ann.* 14, 42, Beauf. v. 2, p. 157. — 9) V. Tac. *Ann.* 14, 43. — 10) Cf. Apul. *Metam.* 6, 114. — 11) Cf. Ter. *Heaut.* 4, 2, 11. — 12) Flor. 3, 19, Varro *de R. R.* 3, 14, *Cod. Theod.* 10, 12, 1, Creuz. §. 45.

56. Servi nec ad militiam admittebantur 1), nec testimonium dicere 2, nec testamentum facere 3), neque aut hereditate quidquam, nisi domino 4), aut omnino acquirere quidquam aut possidere, nisi volente domino, poterant; cui quidem in ea quoque jus manebat, quæ ipsius consensu possidebant, peculium adpellata 5). Peculio sæpe ad libertatem redimendam utebantur, quandoque pretium cum domino pacti 6). Mos etiam, munera hero herique liberis dare 7); et ipsi a clientibus ejus accipiebant 8). Victus autem servis in singulos menses, certum frumentum et pecunia, dimensum, menstruum 9), aut in singulos dies, diarium, dabatur 10).

1) V. Liv. 22, 57, 24, 16, Plin. *Ep.* 10, 39. — 2) Ter. *Phorm.* 2, 1, 59. — 3) Cf. Plin. *Ep.* 8, 16. — 4) V. Hein. *Antiqq. Rom. Synt.* 2, 14, 1. Cf. Caj. 1, 52. — 5) *Pandd.* 15, 1, *de Peculio.* Cf. Virg. *Ecl.* 1, 33, Hor. *A. P.* 330, *Pandd.* 32, 1, 79. — 6) Cf. Sen. Ep. 80. — 7) Cf. Ter. *Phorm.* 1, 1, 7. — 8) Cf. Juven. 3, 188. — 9) Cf. Donat. ad Ter. l. c., Sen. *Ep.* 80. — 10) Cf. Hor. *Ep.* 1, 14, 40, Mart 11, 109, 3, Petron. 24.

57. In servis admodum memorabilis, qua liberantur, manumissio, i. e. e manu sive potestate missio 1): Hanc justa, ut vocat Cajus, et minus justa distinguunt antiquarii; unde et libertas justa et minus justa. Justæ triplex modus, per vindictam, per censum, per testamentum 2).

Per vindictam manumissionis ritum recentiores e sparsis

veterum notitiis, non parum dissentientes, collegerunt, inter quos Adam in hunc fere modum. Servum liberaturus dominus, coram Prætore aut Consule, in provinciis coram Proconsule aut Proprætore (v. § 244.) pronuntiabat : ***hunc hominem liberum esse volo more vel jure Quiritium.*** Prætor, si recusandi causa non esset, servi caput virga percutiebat 3), dicens : ***Ajo hunc hominem liberum esse more Romanorum*** (Quiritium.) Tum lictor aut dominus servum in gyrum agebat, genamque ejus percutiens, manu significabat, (hinc scilicet ***manumittere,***) licere ei, quo placeret, ire.

1) Hinc manumissor, *Pandd.* 27, 15, 3. — 2) Cic. *Top.* 2. *Si neque censu, neque vindicta, nec testamento liber factus est, non est liber.* Caj. 1, 17, *in cujus persona tria hæc concurrunt, ut major sit annorum triginta, et ex jure Quiritium domini, et justa ac legitima manumissione liberetur, id est, vindicta aut censu aut testamento, is civis Romanus sit : sin vero aliquid eorum deerit, Latinus erit.* — 3) Hor. *Sat.* 2, 7, 75. — *quem ter vincdicta quaterque Imposita haud unquam misera formidine privet.*

58. Ab Adamo quantum discrepent alii, e duobus in nota subjecta intelligimus 1); eamque discrepantiam intuentes, satius putamus, misso, quo singula fiebant, ordine, in ritu occurrentia tenere. Apud magistratum vindictam fieri, veterum consensu extra controversiam est 2). Virga (vindicta, festuca) percussum servi caput, multis locis constat; hinc vindictam imponere 3); lictorem percussisse, e Persio V, 175. 4) colligimus. Festucæ vice postremo mera rhapismata fuisse, Creuzer monet §. 48. Caput aut aliud membrum servi tetigisse dominum, auctor est Festus in ***manumitti.*** De alapa cf. præter alios Phædri, II, 5, 25, ***multo majoris alapæ mecum veneunt;*** unde conficies a domino datam, et Claudianum ***Hon. Cons.*** IV, 615, ubi manumissus ***grato remeat securior ictu.*** De

gyro insignis locus Persii V, 75, 5) ubi ***una quiritem vertigo facit***, et, a domino servum verti, declarant verba ***verterit hunc dominus***. Verba solennia a domino pronuntiata testatur Hermogenianus 6). Posterius dominum tacere, moris fuisse, idem Hermogenianus, a lictore solennia pronuntiata, idem Boethius docet. Nempe lictor, neglecto jam antiquitatis rigore, solus rem, præsente tamen magistratu, et tangente fortasse etiam tum servum domino, peregisse videtur. Sic utique suadet Hermogenianus. Hinc et personarum in ritu peragendo partes easdem non semper iisdem tribui, facile crederes.

1) Heinecc. *Synt.* I, 4, 5, vol. 1. p. 102: ***Fiebat hæc manumissio coram Consule, Prætore, Proconsule, adhibito lictore, qui, servo percusso, addebat verba : hunc hominem liberum esse volo. Quo facto in gyrum actus servus, inflicta alapa liber dimittebatur. Hinc Pers. Sat.*** 5, 75, ***de Dama servo, in gyrum acto : heu steriles*** etc.

Contra Ruperti (*Grundr. d. Gesch. — der Ræm.* p. 483.), servum, eumque raso capite, ad tribunal Prætoris, a domino, capite vel manuprehensum, ter verti, formulaque ***hunc hominem liberum esse volo***, data simul alapa, e manu emitti; quo facto, Prætorem servi caput virga (vindicta) tangere, liberumque formula *ajo te liberum more Quiritium* declarare; postremo caput servi a lictore eademque virga aliquot ictibus percussum. — 2) V. Plin. *Ep.* 7, 16. — 3) Hor. l. c. Cf. Pers *Sat.* 5, 88. — 4) ***Hic, hic, quem quærimus, hic est*** (homo liber.), ***Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.*** — 5) ***Heu, steriles veri! quibus una Quiritem Vertigo facit. Hic Dama est non tressis agaso, vappa et lippus, et in tenui farragine mendax. Verterit hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama.*** Sen., *Ep.* 8, de philosopho ***non differtur in diem, statim circumagitur.*** — 6) ***Pandd.*** 40, 2, 23., ubi ***Manumissio per lictores hodie, domino tacente, expediri solet, et verba solennia, licet non dicantur, ut dicta accipiuntur.*** Cf. Boeth. in *Top.* Cic. 2. V. Briss. ***de Formulis*** l. 8. p. 724.

59. Vindicta primum liberatum, fama erat, servum Vindicem v. Vindicium, qui Bruti filiorum conjurationem indicaverit; et quidam ab illo vindictam adpellari puta–

bant 1). Veriorem derivationem post alios Creuzer §. 48. existimat a *vindicare in libertatem* 2), ac sunt, qui, ut Unterholzner, morem quoque vindictæ ad in jure cessionis ritum (§. 99.), in vindicatione occurrentem, referant.

Manumissionem per censum vindicta antiquiorem, et sub servio Tullio institutam ferunt 3). Censu (v. §. 52.) liberatur, qui jussu domini in censum relatus 4). Per testamentum ex legibus XII Tabb. 5) manumittitur, quem dominus testamento liberum pronuntiat. Sic liberati, utpote patronum apud inferos habentes, orcini et charonitæ 6), adpellati sunt. Si verbis precativis testatoris morem gerit hæres, ipse servi liberati patronus fit.

1) Liv. 2, 4. 5. Cf. Claud. *Hon. Cons.* 4, 613, *deductum Vindice morem lex celebrat*, etc. — 2) Cf. Liv. 41, 9. — 3) V. Hein *Synt.* 1, 4, 5. — 4) Cic. *de Orat.* 1, 40, *Quid? de libertate, quo judicium gravius esse nullum potest, nonne ex jure civili potest esse contentio, quum quæritur, is, qui domini voluntate census sit, continuone, an, ubi lustrum conditum, liber sit?* Cf. Cic. *p. Cæc.* 34, Boeth. in Cic. *Top.* 2. — 5) V. Hein. *Synt.* 1, 4, 6. — 6) Cf. Suet *Aug.* 35, *Institt.* 2, 24, Ulp. *Fragmm.* 2, 8.

60. In justis manumissionibus distinguunt, quæ dicitur sacrorum causa, soluto, ut in aliis, vicesimæ (aurum vicesimarium. §. 250.) tributo 1), servo autem manumisso, ut in domini gentilia sacra (§. 79.) transeat; nisi mavis alia sequi 2). In vicem vero manumissionis per censum introducta sub Constantino 3), in sacrosanctis ecclesiis, atque, ut quidam putant, imitato gentilium more 4) facta manumissio, qua, secundum Heineccium, *Synt.* 1, 4, 7, recitatis jussu domini tabulis a clero signatis, servus liberabatur 5). Denique justis, si non ritu, vi certe, adnumerandæ, quæ Principum arbitrio 6), et quæ ipso jure civili, invito domino, fiebat 7.)

1) Cf. Arr. *Dissertt. Epictett.* 2, 1, 26. — 2) Cf. nott. Scalig. et Dacier. ad Festi *manumitti dicebantur* et *puri*, *probi*. — 3) Cf. *Cod. Theod.* 4, 7.

— 4) Creuz. §. 49. confert Suidam, t. 2, p. 370. et Serv. ad *Æn.* 8, 564. Cf. Hein. 1, 4, 7. — 5) Cf. Sozom. *Hist. Eccles.* 1, 9, *Cod. Just.* 1, 13, 1. — 6) Cf. Suet *Claud.* 25. — 7) V. Hein. 1, 4, 9.

61. Minus justæ manumissionis multi modi, iique ab extrema libertate paulatim inducti. In his frequentius memorati tres: inter amicos, domino coram amicis quinque declarante, se servum liberare; per mensam s. convivium 1), servo mensæ a domino adhibito 2), per epistolam, domino servum absentem missis litteris liberum declarante. In reliquis liberandi e dominorum arbitrio modis, quos innumerabiles esse ait Justinianus 3), servo puero injecta bulla, filii nomen sæpius datum; nec alio trahenda est emta a servo, non accedente ritu legitimo, libertas. Cæterum in modis minus justis par erat, quandoque libertatem a tempore quodam dicto, aut in tempus, aut omnino sub conditione quadam concedi, idque frequens etiam in manusmissione per testamentum; unde dicuntur statu liberi 4).

1) V. Hein. 1, 4, 8. — 2) Cf. Sen. *Ep.* 47. — 3) *Cod.* 7, 6, *de latina libertate tollenda.* — 4) Cf. Fest. in *statu liber*, et *Pandd.* tit. *de statu liberis.*

62. Manumissi tonso (§.288.), ut ajunt, capite 1), pileo, tanquam libertatis signo 2), iidemque veste alba et annulo 3), a domino donabantur, nomen etiam illius nomine vel prænomine insuper augentes 4). De servorum autem propriis nominibus, constat, antiquitus dominorum prænomine vocatos esse, unde Marcipores, Lucipores, et similia 5). Cæterum a variis causis nomina, in iisque a regionibus habebant, ut Davus, Geta, etc. Domino, cui serviebant, nati vernæ tanquam indigenæ (οἰκογενεῖς) sive vernaculi 6), vocabantur. Distinguuntur etiam novitii 7) et veteratores 8).

1) Cf. Plaut. *Amphitr.* 1, 1, 306. V. Hein. 1, 4 et 5, 18. — 2) Cf. Plaut.

ib, Pers. 5, 82, Liv. 30, 45, 45, 44 extr. Suet., *Nero* 57, *tantumque gaudium publice præbuit* (mors Neronis), *ut plebs pileata tota urbe discurreret.* Sen., *Ep.* 47, *dicet nunc aliquis, me vocare ad pileum servos.* — 3) De utroque cf. Stuck. *Antiqq. Convival.* pag. 362. ibique loc. Tertull. *de resurrect. carnis.* — 4) Cf. Pers. *Sat.* 5, 77, Juven *Sat.* 5, 125. — 5) V. Plin. *H N.* 33, 1. Quint. 1, 4, 162 ed. Capper. — 6) Cf. Mart. 1, 50, 24, 3, 1, 6. — 7) Cf. Ter. *Eun.* 3, 5, 33, Cic. *in Pis.* 1, Plaut. *Capt.* 3, 5, 60. — 8) V. *Pandd.* 21, 1, 65, §. 2, Ter. *Andr.* 2, 6, 26.

63. De effectu autem manumissionis obscura est non uno nomine quæstio; illud tamen certum, justa manumissos non solum domini potestate et serviendi necessitate exemtos, sed simul, quæ justa libertas dicitur 1), civitatis jura consecutos esse 2), non tamen ideo ingenuis conditione prorsus æquatos 3); quo trahendum ingenuorum jus et alias libertinis, et a Justiniano demum omnibus concessum 4).

Minus justa manumissio, quippe quam lex non agnosceret, servi conditionem civilem adeo non mutabat, ut liberatos servitio denuo subjicere domino liceret 5), quibusdam tamen in casibus paulatim concesso, ut auxilium Prætoris implorarent, non eo minus, quantum intelligo, a justa libertate exclusi manentes 6). Sub Tiberio demum lege Julia Norbana (a. 771.) non justo modo manumissi Latini (§. 120.) facti, et ab eadem lege Latini Juniani adpellati sunt, nonnunquam vindicta, aut Principis (§. 70.) beneficio 7), aut aliis insuper modis justam libertatem assecuti 8).

1) Suet. *Aug.* 40, *Servos non contentus multis difficultatibus a libertate et multo pluribus a libertate justa removisse*, etc. — 2) V. Hein. 1, 4 et 5, 10. Cf. Dionys. 4, 22. Cic. *p. Corn. Balbo* 9, *Servos denique, quorum vis, fortuna et conditio infima est, bene de republica meritos, per sæpe libertate, id est, civitate, publice donari videbamus.* — 3) Cf. Liv. 45, 14. V. Creuz. §. 51. Nieb. v. 1. p. 387. sqq. — 4) V. *Cod. Just.* 7, 5, 6. Cf. Gori, *Columb.* pag. 80, 81. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 13, 26, 27. V Hugo, ed. 6. p. 313. — 6) Caj. 1, 22, latinos junianos adpellatos ait,

quia per legem juniam libertatem acceperunt, quum olim servi viderentur esse.— 7) Cf. Plin. *Ep.* 7, 16. — 8) V. Uulp. *Fragm.* 3, 1. sqq., Hein. 1, 4 et 5, 12.

64. Lex Junia Norbana non justo modo manumissorum incertam antea, atque, ut conjicias, non parum implicitam conditionem definiens, civium libertinorum numerum imminuisse magis, quam auxisse, videtur, quo ne nequissimorum copia in perniciem reipublicæ cresceret, sub Augusto etiam, libertati, præsertim justæ 1), minime faventi, caverunt leges Ælia sentia (a. 757.) et Fusia Caninia (a. 761 ?), illa inter alia vetans, ne minores triginta annis cives fierent aliter, quam vindicta apud consilium justa causa manumissi 2), ne solvendo impar dominus, neve viginti annis minor manumitteret. Eadem lex servo graviori pœna, velut stigmate, adfecto nonnisi dedititiorum conditionem concedebat 3), et ingratos libertos ad latumias damnabat 4). Numerum, qui testamento liberari posset, cautius circumscripsit lex Fusia Caninia 5). Cæterum inde ab Augusto restricta impensius atque impedita, ut omnino civitas (§. 65.), sic justa libertas, seriore Cæsarum ætate variis de causis facillime impetrari cæpit; donec Justinianus, Junianam abolens latinitatem, minus justæ manumissionis, quas diximus, species plures effectu justis æquavit, cæteras autem omnes ad mutandam civilem servi conditionem inutiles reddidit 6), idem tamen patronatus jura (§. 140.) dominis servans 7). Libertus enim, licet civis, tum aliis nonnullis ingenuo inferior jure, tum vero, utpote ejus cliens factus, erga dominum, a quo manumissus erat, solito inter patronum et clientem nexu tenebatur. Quin etiam sæpe servi sub conditione præstandorum post officiorum liberabantur 8). Adversus libertum ingratum actiones dabat lex Ælia Sentia 9);

in casu atroci patrono in servitutem reddebat constitutio Commodi 10). Sed et patroni injuriam et libidinem leges reprimebant, patronatus jure privantes, qui officia liberto præstanda, veluti alimenta inopi præbenda, neglexisset, aut iniqua, vel in leges peccanti conditione manumisisset 11).

1) V. Suet. *Aug.* 40. Cf. Hein. 1, 6, 3. — 2) V. Caj. 1, 18. Cf. Hein. 1, 6, 5 et 12. — 3.) V. Hein. 1, 6, 4. Ulp. *Fragm.* 1, 11. Caj. 1, 13. 26, *pessima itaque libertas eorum est, qui dedititiorum numero sunt, nec ulla lege aut senatusconsulto aut constitutione principali aditus illis ad civitatem romanam datur.* — 4) Hein. 1, 6, 9. — 5) Cf. Hugo §. 293, Bach. *Hist. Jurispr. Rom.* l. 3, c. 1, §. 6, Hein. 1, 7, 2. — 6.) V. *Cod.* 7, 6. — 7) V. Hein. 1, 4 et 5, 17, 3, 8, 1. sqq. — 8) Cf. Gorii *Columb.* pag. 67. — 9) V. Hein. 1, 6, 9. — 10) V. l. 6. *Digg. de agnosc. et alend. lib.* Cf. Hein. l. c. A Claudio, de quibus patroni quererentur, in servitutem revocatos esse, auctor est Suetonius (*Claud.* 25); sed unam modo culpam designat l. 5. *Digg. de jure patron.*, et, posterius hanc pœnam inductam esse, etiam suadet senatus de male meritis libertis apud Tacitum (*Ann.* 13, 26 et 27.) deliberatio. V. Creuz. §. 23. — 11) V. Hein. lib. 1. tit. 6.

Civitas.

65. Hominum liberorum in Imperio Romano non eadem omnium civilis conditio; quatenus nec omnes cives Romani sunt, et aliorum alius cum populo Romano juris nexus, aliis plura, sive fœdere sive beneficio, aliis minora concedenti, aliis mitius, aliis acerbius imperanti. De hocce conditionis discrimine jam expposituri, a civitate sive civium jure incipimus, præposterum existimantes, quod nonnullis vidimus placuisse, ab infima potius conditione ad summam, sive a partibus ad integram, quam ab integra civitate ad partes transire.

Parva etiam Romanorum circa urbem ditione, omnes in eorum finibus considentes 1) eo ipso civitatem adipiscebantur 2). Potentiæ augendæ et firmandæ necessitas

invitis potius dare civitatem, quam petentibus negare suadebat. Hinc sub Regibus, neque minus primo libertatis sæculo, e vicinis populis bello divicti Romam, sive integri sive pars, translati civium numerum auxerunt 3). Paulatim vero, crescente jam in majus Romanorum potentia et nomine, extra agrum quoque Romanum, in tribus divisum (§. 142.), multis urbibus, aut amicitiæ gratia, aut ob merita in rempublicam Romanam, sed aliis omnia aut præcipua civitatis jura, aliis inferiora tantum, quinetiam aliquando singula, velut Campanis connubium 4), donata sunt; unde varii, si non civitatis, certe juris quasi gradus (plena, optima, optimo jure, optima lege civitas, etc.), et municipiorum discrimen (§. 115.) Neque minus ex vetere instituto singuli tum quoque, sive bene meriti, sive utilitatis ratione civibus Romanis, interdum suis in civitatibus manentes, adscripti 5).

1) De civibus urbis nascentis vulgarem famam sequitur Livius 1, 8: *Ne vana urbis magnitudo esset, adjiciendæ multitudinis causa, — asylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit.* Certior fama de Sabinis in urbem receptis. — 2) Cf. Dionys. 2, 15, Liv. 1, 8. — 3) Cf. Liv. 1, 29. 33, 6, 4, 26, 24, Tac. *Ann.* 11, 24. — 4) Cf. Creuz. pag. 244. — 5) Insignis hic locus Taciti *Ann.* 11, 24; sed idem non una difficultate obscurus.

66. Hæc, et quæ de manumissis nobis dicta, intuentes, cives Romanos invenimus alios natos, eosque vel connubio, utroque parente, vel extra connubium, matre cive 1), alios manumissos sive libertinos, alios receptos. In his distinguendi jussu populi, aut magistratu ex populi decretis statuente cives facti 2). Posteriore ætate, bello sociali (circa a. 663.) ob eam rem a sociis Romanorum Italiæ populis gesto, legibus Julia et Plotia primum Latini (§. 119.), mox (a. 670.) cæteri omnes, certe, qui oblata sub conditione 3) vellent (cf. §. 116.), postremo Gallia quoque

Cisalpina (§. 10), exin togata adpellata, civitatem, Cispadana quidem prior, Transpadana autem a. 707. a Julio Cæsare impetravit 4). Quæ sub Imperatoribus, quanquam ab Augusto parcius concessa, extra Italiam latius usque diffusa, tandem ab Antonino Caracalla omnibus ingenuæ conditionis Imperii incolis communicata est 5).

1) Cf. Ulp. *fragmm.* 5, 8, *connubio interveniente liberi semper patrem sequuntur, non interveniente connubio, matris conditioni accedunt*, etc. Cf. Hugo *Gesch. d. Ræm. Rechts* §. 65. et 191, Schulze *von den Volksversammll. d. Ræmer* p. 89, Creuz. p. 244. — 2) Cf. Cic. *Verr.* 1, 5, *p. Balbo* 14. — 3) Cf. Creuz. §. 206. 219. — 4) V. Dio. Cass. 41, 36. — 5) V. l. 17. *de St. hom.*, Hein. *Synt.*, *App.* 1, 1, 15. sqq.

67. Quoad gradus autem civitatis, nec levis, et difficillima quæstio, quo cives pleno jure ab aliis differant, et, quo civitatis jure carentes cives non sint dicendi 1). Sed hac difficultate inter recentiores scriptores plerique ita se expediunt, ut aut dubitantem relinquant 2), aut magis implicent certum scire cupientem, nonnulli de verbo litigantes. In libera tamen civitate duplex, nisi malis multiplex, civium genus, alios scilicet cum suffragii, alios sine suffragii jure, fuisse, vel unus Livii locus, VIII, 14, 3) dubitare vetat. Sed hoc publico jure carens, nec videmus, quomodo cæteris omnibus, veluti jure census et libertatis, carere potuerit, nec, cur cætera cuncta, veluti jus honorum, habuerit. Nec vero videmus, quomodo civis adpellatus ab ipsis Romanis sit, cui ne privata quidem civitatis jura fuerint; quæ licet ex parte certe haberent Latini, tamen peregrini dicuntur. At de verbo lis est, quum ex suo quisque ingenio cives Romanos facit, quoscunque nonnunquam cives adpellatos, utpote aliqua civitatis parte gaudentes, reperit. De Cæsarum vero ætate, comitiis a Tiberio plane sublatis (§. 228.), obscurior adeo quæstio est, quid proprium civi Romano, et quodnam inter ipsos cives sit juris discrimen. Nam et cives tum fuisse sine jure Quiritium, non uno e loco colligimus,

et ipsum jus Quritium quo contineatur, dubito sane, an quisquam liquide expedierit. Ac, ne de singulis plura hic adferantur, apud Tacitum, *Ann.* XI, 23, 4) legimus, primores Galliæ, civitatem pridem assecutos, jus adipiscendorum Romæ honorum expetere.

1) Cf. Macieiowski, *Hist. jur. rom.* p. 73, et Haubold (v. not. 6. ad §. 70.), qui, Savignyi sententiam prædicantes, neminem sine jure connubii et jure commercii in civium numero fuisse, adfirmant. — 2) Cf. in aliis Car. Sigon. *de Ant. Jure civium R.* pluribus locis. — 3) *Lanuvinis* (a. 417,) *civitas data, sacraque sua reddita. — Aricini Nomentanique et Pedani, eodem jure, quo Lanuvini, in civitatem accepti. Tusculanis servata civitas, quam habebant. — interdictumque mari Antiati populo est, et civitas data. — Campanis Fundanisque et Formianis civitas sine suffragio data.* Hæc cui tandem sapienti non erunt plena tenebrarum? — 4) Cf. id. *Hist.* 1, 8.

68. Privari civitate neminem posse invitum, sive, ut ajunt, nisi auctor ipse fiat, juris publici principium faciunt antiquarii 1), Ciceronis maxime locis quibusdam nitentes, ideoque, vel eos, quibus aqua et igne interdictum, civitatem Romanam non prius, quam in aliam essent recepti 2), tum vero altero juris principio amisisse; civem enim Romanum non posse alius simul civitatis esse 3): quod principium non sine exceptione 4) valuisse, jam e Corn. Nepote, *Att.* 3, colligeres 5). Addunt 6), fictionem, ut aliis quoque in rebus, legi scilicet illudendæ, intercessisse, quoties vel pœnæ loco, vel aliam ob causam civitas alicui ademta 7).

In iis autem, qui civitatem amittunt, præter receptos in alienam, ponuntur, qui, capti, in hostium sunt potestate, qui judicio publico pœnæ nomine vel in alius pœnæ vicem 8) civitate privantur, qui exilio cum aquæ et ignis interdictione damnati 9), vel, more ab Augusto inducto, deportati sunt 10), iidem et alias acerbiore sorte, quam relegati 11). E captivitate reversi postliminio 12) civitatem recipiebant 13), quod jus ad alia quoque, velut ad servos e cap-

tivitate sub domini potestatem redeuntes, refertur. Eodem excludebantur a patre suo aut a populo venditi, et a Patre Patrato (§. 52. 323.) hostibus dediti 14).

1) V. Hein. 1, 16, 10, et *Append.* 1, 73, Spanhem. *Orbis Rom.* 1, 1, 6. — 2) Contra suadet Caj. 1, 128. — 3) Cf. Hein. *App.* 1, 72. — 4) Cf. Hugo §. 191. — 5) V. Cic. *p. Balbo* 11, *p. Domo* 30, *p. Caec.* 33. 35, *p. Arch.* 4. 5. et aliis locis. — 6) V. Hein. *App.* 73.— 7) V. Hein. 1, 16, 4, et *App.* 25. — 8) Cf. Hugo §. 191. — 9) Cf. Caj. *Institt.* 1, 8 et 90. — 10) V. Hein. 1, 16, 11. — 11) Cf. Ovid. *Trist.* 2, 137, 5, 11, 21. — 12) De etymo cf. Cic. *Top.* 8. Hein. *Synt.* 1, 16, 4 : — *non ideo, quod captivus ex hostico ad limina vel fines imperii revertisset, ut ait Tribonianus* (*Institt.* 1, 12, 5.) — *sed a limine, ædium parte. Reversi enim ex captivitate non per limen admittebantur in ædes, si jam diem eos obiisse nuntiatum fuerat, quia id mali ominis putabatur, sed post limen per tegulas et impluvium intro se ipsos demittebant, teste Plut. Q. R.* 5. Cf. interpretes ad Fest. *postliminium receptus.* — 13) Caj. 1, 129, *Quod si ab hostibus captus fuerit parens, quamvis servus interim hostium fiat, pendet jus liberorum propter jus postliminii, quia hi, qui ab hostibus capti sunt, si reversi fuerint, omnia pristina jura recipiunt.* Cf. Fest. l. c., Gell. 7, 18. — 14) V. Cic. *de Orat.* 1, 40.

69. Jurium civilium jacturam Romani capitis, tanquam vitæ civilis, deminutionem 1) vocabant 2), nec alio sensu servi ac peregrini, quin etiam filiifamilias, ut pote non sui juris, capite destituti dicuntur. Hanc deminutionem in maximam mediam et minimam dividunt, maximam facientes eorum, qui, ut incensi, ut liberti ingrati, ut ad metella, ad bestias damnati (§. 55.), libertatem cum civitate, mediam eorum, qui civitatem modo amittunt, minimam 3) autem ad statum personalem, velut adoptione aut in manum conventione, mutatum referentes 4).

1) Cf. Hor. *Od.* 3, 5, 42, *ut capitis minor.* — 2) V. Hein. 1, 16, 1, sqq. *Pandd.* 4, 5, 1, *capitis minutio est status permutatio.* — 3) V. Hein. 1, 16, 12. — 4) Cf. Hugo §. 67, Mackeld. *Lehrb. des heut. Ræm. Rechts* §. 112.

70. In civitate Romana vulgo distinguuntur jura publica et privata 1); publica, ne inanis sit distinctio, censenda,

quibus civis, ut civis, non, quibus privatæ, velut patris, mariti, domini, conditionis ratione gaudet 2); unde sequitur, ad privata quænam sint trahenda. Civitatis jura modo omnia, optima civitate comprehensa (§. 65.), modo pars eorum juris Quiritium et civitatis, vel juris civitatis, nomine a veteribus adpellata reperiuntur. Hinc recentiorum æternum, puto, duratura dissensio. Quidam ut Sigonius, Spanhemius, Schultingius, Heineccius, ubi non sit plena civitas, civitatis vocabulo publica jura, vel sola vel maxime, jure Quiritium autem privata significari volunt. Aliis jus Quiritium nunquam non est plena civitas, quibus adeo hoc jure donati, sive antea nulla, sive quædam jura habentes, optima lege cives fiunt. Non erit igitur, cur miremur, aut Creuzerum, §. 203., insertis primariis veterum locis, Suet. *Claud.* 19. 3), Ulp. *Fragmm.* III. §. 2. 4), Plin. *Ep.* X, 4 et 6. 5), quæstionibus tantum lectores docere, aut, ipsius Savignyi doctrina 6) si cui, omnem, de qua hic et §. 66. agitur, difficultatem penitus jam sublatam esse, nequeat persuadere. Publica jura aliis plura, aliis pauciora, et quædam aliis publica, aliis privata sunt. Atque eo magis par fuit ita accidere, quoniam nec in omnibus perinde liquet, cur jura idonee vocentur, et nonnulla, certe jus sacrorum et connubii, ex iis, quæ supra de hac divisione diximus, haud absurde parte ad privata, parte ad publica traxeris. Cæterum, ne subtiliore, quam necesse est, distinctione implicemur, ad publica libertatem, censum, militiam, tributa et vectigalia, suffragia, honores, sacra, ad privata gentilitatem, agnationem, connubium, patriam potetatem, dominium legitimum, testamenta, hereditatem, et tutelam referimus.

1) Cf. Creuz. p. 240. — 2) Cic. *Agr.* 2, 19, *Retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, cæterorum omnium commodorum.* Cf. Beauf. *Rep.*

Rom. v. 2. p. 122. Sigon. *de Ant. Jure civium Rom.* l. 1. c. 6. init. — 3) *Civi* (constituit) *vacationem legis Papiæ Poppææ, Latino jus Quiritium.* — 4) *Beneficio Principali Latinus civitatem Romanam accipit, si ab Imperatoribus jus Quiritium impetravit.* — 5) *Quare rogo, des ei civitatem Romanam; est enim peregrinæ conditionis, manumissus a peregrina.* — *Idem rogo, des jus Quiritium libertis Antoniæ Maximillæ, ornatissimæ feminæ, Heliæ et Antoniæ Harmeridi. Quod a te, petente patrona, peto.* Cf. epistolam 22. Idem in ep. 6. propinquis medici sui conjugibus civitatem, eandemque liberis eorum petit, *ita ut sint in patris potestate, utque iis in libertos servetur jus patronorum.* (§. 64.) Deinde et libertis quibusdam, volentibus patronis, jus Quiritium petit.

Hisce locis aliisque expensis, in hanc sententiam pronior sum: primum libertos, quibus jus Quiritium petit Plinius, civitatem, sed, quod manifestum est, non plenam habere. Quanquam, an Latini Juniani sint, sane dubitari possit; sed, non esse, potius crederem, comparato loco ep. 105, ubi Latinis (sc. Junianis) jus Quiritium petit, nec satis habet *libertis* dicere. Peregrinos autem, quibus idem Plinius civitatem petit, eam peti arbitror, quæ sit sine jure Quiritium, qualem habebant memorati liberti, quam contra manifestum est Latinos non habuisse. Porro civitatem non plenam habenti ad eam defuisse jus Quiritium existimo, neque hoc sine civitate, sed aut simul cum ea, aut jam habenti civitatem datum esse, ideoque jus Quiritium non habere nisi optima lege civem. Singula vero sive plena, sive illa, quæ sine jure Quiritium erat, civitate, sive hoc ipso jure comprehensa, atque, ut res suadet, accurate definita, nunc, quænam fuerint, ita, ut doctorum dubitatio tollatur, docere, ea demum desperanda opera videtur. Ego nec illud satis intelligo, cur Plinii ætate civitatem non plenam adepti manumissi tanti fecerint jus Quiritium; siquidem eo, ut post alios Mart. Ernestio visum, inter alia jus militiæ, quo neminem tum libertum caruisse puto, et jus honorum, cujus longe alia quam in libera civitate ratio, et jus suffragii, quod diu nullum superabat, contineantur. At enim nec, privata jura cuncta quomodo jure Quiritium includantur, cum Heineccio video, qui *App.* §. 23. *ad ea, quæ juris sunt privati, pertinet.* Sic enim civibus hoc jure carentibus paucissima, imo vix quidquam, quo se peregrinos non esse gaudeant, relinquemus. — 6) Is quæstionem nostram tum in commentationibus, altera de latinitate (*über die Entstehung und Fortbild. der Latinitæt* etc.), altera de jure italico (*über das Jus Italicum*), tum in historia juris romani per medium ævum (*Geschichte des ræm. Rechts im Mittelalter*), v. 1. c. 2. p. 22., ita tractavit, ut Hauboldium sane omni dubitatione liberasse videatur, qui, in *epicrisi Syntagm.* Heinecciani, ad *App.* §. 24., Savignyi sententiam amplexus, *Rem*, inquit, *paucis sic tene. Jus civitatis partim ad jus*

publicum, sed potissimum ad jus privatum spectavit. Nam hujus quidem sunt jus connubii et jus commercii; quibus qui carent, nullo modo in civium numero habentur. Illius sunt jus suffragiorum in comitiis et jus honorum; quibus qui gaudent, optimo jure cives vocantur; ut tamen non minus civium loco sint, qui utraque juris publici prærogativa destituuntur; licet negentur esse optimo jure cives.

Jura publica.

71. Ad jus libertatis trahunt statum civium Romanorum, liberam rempublicam, et leges civem a magistratuum libidine, a creditorum quoque sævitia vindicantes. Quod ad statum, cum peregrinorum, quæ servituti apponitur, libertate 1) non confundenda est quiritium, ut vocant, qua cives Romani gaudent, libertas, quamque, nisi ipsi auctores essent, non amittebant; ejusque amissionis similis est ratio atque amissæ civitatis (§. 68.); unde etiam ad utramque refertur memorata nobis fictio 2).

Libera respublica (libertas) populi Romani, expulsis Regibus, a Junio Bruto 3), lege tribunicia (?), ne quem Romæ regnare paterentur, simulque obstrictis jurejurando civibus, instituta 4), mox duabus legibus Valerii Publicolæ firmata est, altera, ut indicta causa necaretur (sacer Dis Manibus, sacrum caput), qui regnum adfectasset 5), altera 6), qua plebi a magistratibus provocatio concessa, nec in provocantem aut flagris aut multa adeo, nisi populi suffragiis damnatum, animadvertere licebat 7): quæ lex, ut aliæ patriciorum dominationi inimicæ, eorum artibus elusa, primum (a. 305.) Valerii Publicolæ et Horatii 8), deinde (a. 453.) Valerii Corvi 9), postremo autem (a. 557.), et sancita graviore pœna, rogatione M. Porcii Lecæ 10) repetita est. Sed et Porciam legem, cujus monumentum superstes numus 11), qua damnatis (a magistratu?) exilium permissum esse, e Sallustio 12) colligeres, neglectam, et a Sempronio Graccho demum revocatam e

Gellio (10, 3) suspicantur. Ad legem de provocatione non multo post accesserunt quæ leges sacratæ 13) dicuntur, in quibus, ut Tribuni Plebis et Ædiles Plebeji 14) sacrosancti, et qui eos violasset, sacer esset 15), utque de plebe tantum crearentur, et lex XII Tabb., *de capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto*, ne de capite civis aliter nisi comitiis centuriatis rogaretur 16). Posterior (a. 631.) lex C. Sempronii, ne de capite civis injussu populi Romani judicaretur 17).

1) Cf. Cic. P. *Cæc.* 33. — 2) V. Hein. *App.* 25. — 3) Cf. Tac. Ann. 1, 1. — 4) Cf. Dionys. 4, 85, 5, 1, Liv. 2, 1. — 5) Cf. Dionys. 2, 10, Liv. 2, 8, *Latæ deinde leges, non solum quæ regni suspicione Consulem absolverent, sed quæ adeo in contrarium verterent, ut popularem etiam facerent, (inde cognomen factum Publicolæ est,) ante omnes de provocatione adversus magistratus ad populum* (Cf. 1, 26.), *sacrandoque cum bonis capite ejus, qui regni occupandi consilia iniisset.* — 6) V. Hein. *App.* 27, Schulze *Volksvers. d. Ræmer* p. 82. — 7) V. Dionys. 5, 19, p. 292, Liv. l. c. et 3, 55, *ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet, qui creasset, eum jus fasque esset occidi; neve ea cædes capitalis noxæ haberetur.* Cf. id. 10, 9, et Plut. *Publ.* 11. — 8) Liv. 3, 55. — 9) Id. 10, 9. — 10) Liv. 10, 9, *causam renovandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant. Porcia tamen lex sola pro tergo civium lata videtur; quod gravi pœna, si quis verberasset necassetve civem Romanum, sanxit. Valeria lex, quum eum, qui provocasset, virgis cædi securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum, adjecit.* — 11) V. Hein. *App.* 27. — 12) *B. C.* 47. Cf. Cic. *Cat.* 1, 11, 4, 5, *p. Rab.* 44, *Verr.* 5, 63. — 13) Cf. Cic. *p. Domo* 17. — 14) Cf. Schulze p. 86. — 15) V. Liv. 3, 55. — 16) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 19, *p. Sextio* 13. 34. — 17) Cf. Cic. *p. Rab. perd.* 4. V. Beauf. v. 1. p. 123.

72. Hæc universe de civium libertate, legibus defensa. De obæratis autem et coercita creditorum sævitia sequentia notamus 1). Vetustum atque, auctore Dionysio (IV, 9.), a Servio Tullio jam mitigatum morem revocans lex XII Tabb., cujus verba 2) servavit Gellius XX, 1, damnatum judicio debitorem, nisi aut justo tempore 3) solvisset, aut

vindicem, judicatum solvi satisdantem 4) reperisset, creditori addicebat 5), qui, si vellet, addictum domi suæ sexaginta dies nervo aut compede vinctum (nexum) teneret, operam quamcunque servilem præstare coactum, de suo, si vellet, aut a creditore alendum, cæterum tribus nundinis continuis in Comitium producendum, si quis forte miserans solveret. Sexaginta diebus, quin satisfactum, exactis, tertiis, si Gellio credimus, nundinis ***capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant***, 6) ac, si plures creditores, partes secare iis permissum 7). Addicti an servi fuerint, veteribus etiam quæsitum video; Heineccius, cur a servi conditione longe absint, docet; certum est, non uno nomine dubitari posse, et cavendum, ne de verbo litigetur 8). Trans Tiberim venditos servos fuisse, manifestum.

(1 V. Schulze p. 91. — 2) Quæ vide in tabula tertia Dirksenii fragmentorum XII Tabb., quem §. 261. inseruimus, conspectus. — 3) V. Hein. 3, 30, 4. — 4) Cf. Dupont. *Disquiss. in comment. Gaji* p. 32. — 5) Cf. Cic. p. *Flacco* 19 et 20, *de Orat.* 2, 63. — 6) Cf. August. *de Legg.* c. 38, *in Thes. Græv.* v. 2 p. 298. — 7) Lex XII Tabb. *tertiis nundinis partes secanto. Si plus minusve secuerint, se fraude esto. Corpus* tamen non dicit lex apud Gellium, sed *partes*; ac dubitet quis, *partes* sintne corporis addicti (rei, damnati), an rei ejus sive bonorum partes. Cæterum ab Heineccio aliisque vox ad bona refertur; ac sane tum immanitas fide major videri potest, si membra divisa, tum bona quandoque, ut idem monet, corpus dicta sunt, et *sectio* venditionis, certe publicæ sive auctionis vim habet. Sed enim, bona, nota quidem, non esse crederes addicto, et, quæ fuerint, jam creditori lege permissa; cur enim, corpus dans, bona negaret? Deinde veteres, in iisque Cæcilius apud Gellium (XX, 1), contrariam sententiam haud ambigue sequuntur; de qua ne dubitans quidem Quint. 3, 6, pag. 180, *sunt etiam quædam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut in XII tabb. debitoris corpus inter creditores dividi licuit, quam legem mos publicus repudiavit.* Quantum autem in addictos lege licuerit, e Livio 2, 27, et magis 8, 28, discimus; quosque capite pœnas lege dedisse, eosdem dividi concessum, non incredibile diceres; cæterum aliud licuisse, aliud factum esse. — 8) V. Hein.

3, 30, 2, Hugo §. 62, Sigon. *de Ant. Jure civ. rom.* l. 1. c. 6. ibique loc. Quint. 7, 3, p. 434 ed. Capper. Idem Quint. 3, 6, p. 165, *quæstio, an is, quem, dum addicta est, mater peperit, servus sit natus.*

73. Decemviralis legis immanitatem a. 428. mutavit lex petillia papiria, occasionem præbente fœneratoris libidinosi crudelitate, quam narrans Liv., 8, 28, addit *jussique consules ferre ad populum: ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur, pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset.* Ubi nonnihil ambiguum, utrum corpus antea vinculis tantum verberibusque Livius, an etiam memoratæ trans Tiberim venditioni et membrorum divisioni obnoxium crediderit. Illud autem manifesto testatur, et nectendi et omne in corpus obærati jus creditoribus ea lege ademtum, inque addictionis 1) locum successisse bonorum venditionem. Simile Solonis apud Athenienses institutum σεισάχθεια, creditoribus jus obærati corpus pignori habendi adimens 2). At enim legem petilliam, qua ipse Livius *ingens vinculum fidei* solutum fatetur, ne diu, certe, ad extremam libertatem ne viguisse putemus, et Sallustii, Cat. 30, locus 3) suadet, et sub Cæsaribus addictos denuo vinctosque esse obæratos, testem habemus Gellium 4). Denique æs alienum, ut a Regibus expulsis inter præcipuas plebejorum miseriæ et civilis discordiæ causas, sic extrema jam libertate inter gravissima reipublicæ mala invenimus, obæratos vero tum aliis modis, tum novis tabulis 5), sive suadente necessitate, sive ab novarum rerum studiosis relevatos 6); qua re, dubito, fœnusne, an omnino summæ debitorum partem, ac quandoque integram pæne remissam existimem. Quam enim metuendæ creditoribus novæ tabulæ fuerint, et aliis, et uno Cæsaris loco satis intelligimus, ubi simul, quam ipse debitoribus gratiam præstiterit,

docet 7). Semel pro argento æs solutum esse, testatur Sallustius 8).

Paucis complexi sumus præcipua civium tuendæ libertati paulatim inducta: quæ, etsi elusa sæpe aut neglecta, tamen inprimis extulit sanctumque reddidit civis Romani cum Romæ, tum, aucto jam immensum Imperio, in provinciis nomen; unde celebratum illud Ciceronis *civis Romanus sum* 9). Sub Cæsaribus imminuta quidem indies magis illa libertas, sed sero penitus extincta 10). Legibus accedebat tribunitia potestas, primum patriciorum impotentiæ opposita, post populi contra senatum jura defendens.

1) Varro *de L. L.* 6. p. 82, *liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat,* (*dat?*) *dum solveret, nexus vocatur, ut ab ære obæratus. Hoc C. Popilio rogante Sylla dictatore* (Cf. Bach. *Hist. Jurisprud. rom.* 2, 2, 20) *sublatum ne fieret, et omnes, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti.* Cf. Tertull. *Apol. advers. gent.* § 4. — 2) Cf. Diod. Sic. 1, 79, Plut. *Sol.* 15. — 3) *Neque cuiquam nostrum licuit more majorum lege uti, neque, amisso patrimonio, corpus liberum habere.* Cf. Varro l. c. — 4) Is, 20, 1, *addici namque nunc et vinciri multos videmus; quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. Dissectum esse antiquitus neminem equidem neque legi neque audivi.* — 5) De vocabulo cf. Liv. 32, 38. — 6) V. Hein. *Synt.* 3, 30, 6. — 7) *De B. C.* 3, 1. Cf. Suet. *Cæs.* 42, Cic. *Cat.* 2, 8, *Phil.* 6, 4, Vell. 2, 23. et 68, Sen. *de Benef.* 1, 4. — 8) *Cat.* 3o. Cf. Vell. 2, 23, *Flaccus turpissimæ legis auctor, qui creditoribus quadrantem solvi jusserat.* — 9) V. *Verr.* 5, 54. 57. 62. — 10) Cf. Paul. *Act.* 22, 24, Euseb. *Hist. Eccles.* 5, 1. V. Hein. *App.* 28, Roth, *de Re Municip.* p. 83.

75. De censu, sive jure civium sive instituto publico, cætera alibi, hic sequentia teneamus. More a Servio Tullio introducto civium nomina, status, uxor, liberi, facultates, in iisque servi in censum 1) sive tabulas publicas (tabulæ censuales) inferebantur 2): quæ ipsi cives jurati apud eum, penes quem jus populi censendi, profitebantur. A fortunis pendet civium in classes et centurias divisio (§. 144). Civis igitur non habebatur nisi in censum relatus; incensi cum

civitate libertatem amittebant (§. 52.) Census quinto quoque anno, interdum et longiore intervallo renovabatur (§. 199) 3). Magnam in tabulas irrependi facilitatem, et interdum furto illatos Latinos, conquisitione facta, in suas reverti civitates coactos esse, apud Livium discimus 4). Civitate Romana nondum per totam Italiam diffusa, nec incredibile est, cives Romæ tantum censos esse, et scriptorum quoque veterum testimonio colligunt recentiores 5). Post tabulæ censuales, si non ex agro Romano, certe e remotioribus civitatibus, manente tamen in urbe census sive lustri condendi ritu (§. 145.), Romam missæ 6). Cæterum a civium lustrali censu distinguendus qui, hoc neglecto, servatus 7), et ab utroque differens tributorum causa introducta, et ab Equitibus Romanis maxime procurata, provincialium censualis professio, et ipsa census quandoque adpellata 8), sublato, ut conjiceres, discrimine post Caracallæ (§. 66.) constitutionem 9). Hinc censitores, et sub his ducenarii, scribæ, chalcologi, alia census colligentium nomina 10).

1) A *censere*, i. e. numerare, æstimare; unde et census pro reditibus aut fortunis, ut census equester, senatorius, et censor tanquam æstimator, ideoque Græcis τιμητὴς adpellatus. — 2) V. Dionys. 4, 22, Liv. 1, 42. sqq., Gell. 16, 10, Hein 1, 16, 1, Hegewisch *Rœm. Finanzen* p. 50. — 3) Cf. Hein. *App.* 53. — 4) 39, 3, 41, 8. — 5) V. Hein. *App.* 53, Paul. Manut. *de Civit. Rom.*, in *Thes. Græv.* v. 1. p. 59. — 6) Cf. Gell. 5, 19, Vell. 2, 15.—7) Cf. Plin. *Ep.* 10, 22.—8) Cf. Tac. *Ann.* 1, 31 et 33, Beauf. v. 2, p. 127. — 9) V. Hein. *App.* 53. — 10) V. Hein. ib. Cf. Hegew. p. 275. sqq.

76. Jure militiæ cives Romani in legione militabant, exclusis tamen, sive lex ea sive consuetudo, manumissis, et ex ingenuis sexta civium classe (§. 144.), quæ coacta, quum necessitas suaderet, non jure militaret 1). Inferior legionariæ militia sociorum, inferior et classiariorum, in quibus cum sociis mixti infimi ordinis cives (§. 373) Pri-

mus, imminuto jam veteris militiæ honore, cives promiscue legit Marius 2), quæ mox et his 3), et postremo sociis quoque remissa. Sic copiæ utcunque e civibus et peregrinis, exteris etiam 4), et labentis Imperii tempore e barbaris maxime lectæ 5), servis tamen tum quoque exclusis 6).

Tributa et vectigalia complexi sumus capite de vectigalibus (§. 389): quæ quum alia essent civium, alia peregrinorum Imperii incolarum, atque alia his, alia illis imponendi et jus et ratio, sic non absurde ad civitatis jura trahuntur, a nonnullis tamen non adnumerata.

1) Cf. Gell. 16, 10. — 2) Cf. Sall. *B. J.* 82, Gell. l. c. — 3) Cf. Herodianus 2, 2. — 4) V. Hein. *App.* 138. — 5) Cf. Spanh. *Orb. Rom.* 2, 21, Amm. Marc. 26, 1, Claud. *Eutr.* 1, 58, Zosimus 4, 30, 31. — 6) Cf. Plin. *Ep.* 10, 39.

77. Jure suffragii cives Romani participes erant reipublicæ regendæ, comitiis (§. 147.) de rebus ad populi potestatem pertinentibus suffragium ferentes. Pulcherrimum hoc et nonnisi optimæ civitatis jus, quo municipes etiam distinguuntur (§. 115), quanquam et ante eum Syllæ libidini subjectis comitiis, primus imminuit Cæsar Dictator, Consules, et reliquorum magistratuum partem ipse legens 1). Augustus magistratus populo, non tamen integro jure reddidit (§. 228.), a Tiberio ad senatum translatos 2); postremo in brevissimum tempus restituit Caligula 3). Leges comitiis sub Augusto etiam latæ plurimæ, sub Tiberio duæ tantum, Junia Norbana et Visellia, occurrunt; quæ autem post Tiberium paucissimæ memorantur, de his dubitatum, verene leges sive populi jussa, an potius senatusconsulta fuerint 4).

Jus honorum, vulgo inter primaria cum suffragiis positum, ad magistratus et sacerdotia referunt; de quibus singulis nos aliis locis exposuimus. Tertium genus cum Nitschio fingere possis sine magistratu imperium (§. 245.)

Ab utrisque sub regibus 5), et aliquamdiu in libera etiam civitate exclusi plebeji, nec minus a senatu, quem mireris jure honorum non comprehensum ab antiquariis. Sed post Tribunos plebi Ædilesque concessos, acriore usque ordinum contentione, patricii quoque magistratus, in iisque a. 387. consulatûs, præter Interregem omnes, et sacerdotia quoque, exceptis tamen cum aliis nonnullis, tum Rege sacrorum et Flaminibus majoribus 6), cum plebe communicata. Ab honoribus, inprimis in libera civitate, excludi par erat peregrinos 7).

1) V. Suet. *Cæs.* 41.—2) Tac. *Ann.* 1, 15, Dio Cass. 58, 20.—3) Suet. *Cal.* 16. Cf. Dio Cass. 59, 9.—4) V. Bach. l. 3. c. 1. §. 1. et 17. Hugo §. 299. et 300. Cf. Mackeldey §. 35. Ut Bachius hic leges post Tiberium veras nullas agnoscit, ita sub Augusto non magistratuum modo, sed legum quoque comitiis pristinam populi in suffragiis ferendis libertatem abfuisse, rerum, quæ tum erat, conditioni consentaneum (cf. Dio Cass. 5, 3, 21.) Cæterum nec cum Schulzio, *von d. Volksversamml. d. Ræmer* pag. 173, recte contendes, leges sub Augusto prorsus nullas latas, sive, ut ipse ait, a populo datas esse; et nos quoque, in prioribus hujus libri editionibus, suppressa tum legum comitia, perperam diximus: quod si ad leges vere populo propositas referatur, falsum, sin ad liberum ejus in jubendis arbitrium, non absurde adfirmatum esse, invenias. — 5) Cf. Dionys. 2, 9. — 6) V. Hein. *App.* 66. — 7) V. Hein. ib. et 69. Cf. Tac. *Ann.* 11, 24.

78. Jus sacrorum deorum cultu ritibusque sacris sive religiosis civium Romanorum continetur. In sacris discernenda publica a privatis, 1), illa reipublicæ nomine sumtuque publico celebrata 2), omnibus civibus communia, privata singulis gentibus familiisque propria erant, sicque privato potius civitatis juri adnumeranda. In publicis antiquarii distinguunt focum, sive sacra communia urbis, a virginibus Vestalibus, focos curiarum (§. 132.), a suis curionibus, focos pagorum, in agro Romano circa urbem, a suis sacerdotibus curatos, quo trahenda (§. 143.) paganalia 3) a servio instituta. Ab iisdem sacris paganos

Christiani dixerunt, quos *ethnicos* quoque et *gentiles*, utpote in pagis, interdicto jam idolorum cultu, furtim sua sacra, minore, quam in urbe, periculo celebrantes.

1) Cf. Liv. 5, 52. — 2) Hein. *App.* 70. Fest. in *publica: Publica sacra, quæ publico sumtu pro populo fiunt, quæque pro montibus, pagis, curiis, sacellis; at privata, quæ pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt.* — 3) Cf. Varro *de L. L.* 5. p. 49.

79. De sacris privatis constat, singulis gentibus (§. 80.), quæ ab antiquissimo Romæ tempore singulis curiis (§. 142.) certo numero comprehensæ putantur, propria quædam sacra fuisse, ob eam rem gentilitia adpellata, cæterum religiosissime observata 1); quorum sacrorum adeo sacerdotes a familiis alti memorantur 2). Eadem perpetua esse jubebat lex XII Tabb. 3); et vero tanquam bona ad heredes eodemque successionis jure transferebantur (§. 8.); unde pendet proverbium *hereditas sine sacris* 4). Ad sacra privata etiam referri possint proprii singulis civibus lares (§. 314.), domestica numina 5). Peregrinas religiones, sive a singulis sive cœtu cultas, antiquitus lege vetitas fuisse, e Livio discimus 6); sed e municipiis Romam migrantes patrios ritus servabant 7), ut Romanos quoque ex urbe missi coloni. Cæterum, severa etiam morum disciplina, nova tamen sacra jussu senatus inducta, in iis Æsculapii 8) Epidauro, et Cybeles e Phrygia petita 9). Extrema autem libertate, et sub Cæsaribus plurima ex Ægyptiorum, ut Serapidis, Anubis, et inprimis celebrata Isidis (§. 306.) sacra 10), multa insuper e Chaldæorum et Judæorum religionibus; denique quidquid in orbe terrarum superstitionis Romam confluere visum 11).

1) Cf. Liv. 5, 46 et 52, Macrob. *Sat.* 1, 16. — 2) V. Hein. *App.* 70. — 3) *Sacra privata perpetuo manento.* V. Hein. 1, 11, 1. — 4) Plaut. *Trin.* 2, 4, 83, *Capt.* 4, 1, 8. — 5) Hein. 1, 10, 4. — 6) 4, 30, *datum inde negotium Ædilibus, ut animadverterent, ne qui, nisi romani dii, neu quo*

alio more, *quam patrio*, *colerentur*. Cf. idem 25, 1, 29, 16. — 7) V. Fest. *in municipalia sacra*. — 8) Liv. 10, 47. — 9) Liv. 29, 10. et 11. — 10) Cf. Dio Cass. 40, 47, 42, 26, Cat. 10, 26, Mart. 12, 29. — 11) V. Hein. *App*. 70.

Jura privata.

80. Jus gentilitatis est, quo fruuntur cives Romani, ut gentiles, i. e. ejusdem gentis, quales sunt idem gerentes nomen, in iisque adoptati, quin etiam manumissi 1). Jus gentilitatis initio nobilioribus civium stirpibus tributum, atque adeo patriciis, qui quidem, se solos gentem habere, jactare consueverant, proprium fuisse, et res suadet, et veterum testimoniis colligitur 2). Post cum cæteris hoc quoque plebi concessum, manente tamen patriciarum et plebejarum gentium discrimine. Adoptati, utpote filiis æquati, gentilitatis juris participes, liberti patrono nomine (§. 62.), at non eodem, quo ingenui, jure gentiles 3). Inter ejusdem gentis homines agnati, quos vulgo definiunt *per virilis sexus personas cognatione conjunctos*, a cæteris gentilibus, qui et ipsi pari cognatione conjunguntur, obscuro discrimine differunt, in quo illustrando, post aliorum, in iisque Holtii conatus, laboravit Minguet 4); nec enim, quoad jus gentilitatis et agnationis, difficultatem tollunt, qui cum Heineccio agnatos non tantum ejusdem gentis, sed familiæ etiam interpretantur. Agnatis opponuntur cognati per fœminini sexus stirpem conjuncti. Gentiles ab ingenuis oriundos esse oportere, nec capite deminutos, e Ciceronis loco (*Top*. 6.) colligunt.

1) Fest.: *Gentilis dicitur et ex eodem genere ortus, et is, qui simili nomine adpellatur; ut ait Cincius: gentiles mihi sunt, qui meo nomine adpellantur*. Cf. Hugo §. 69. Aliter Heineccius 3, 2, 2. Cic. *Top*. 6, *gentiles sunt, qui inter se eodem sunt nomine. Non est satis. Qui ab ingenuis oriundi sunt. Ne id quidem satis. Quorum majorum nemo servitutem*

servüt. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt deminuti. Hoc fortasse satis est; nil enim video Scævolam pontificem ad hanc definitionem addidisse. — 2) Liv. 10, 8, *Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium domi militiæque.* — 3) Cf. Hugo §. 69. — 4) In dissert. *de Hered. legit.*

81. Cum jure gentilitatis, licet patriciis proprium olim fuerit, non confundenda sunt 1) alia patriciorum præ plebejis jura; cæterum, ad illud hæc referuntur. Plebis jura cum civitate impetrabantur; patriciis contra in libera civitate nemo, nisi populo rogato, adscribebatur; post creandi jus a principibus usurpatum, aut senatui permissum 2). E patricia ad plebejam gentem adoptione transire concessum; an e plebeja ad pratriciam, certe, an eodem adoptionis jure, graves causæ sunt, cur dubitemus 3). Patricii interdum, ut Clodius et Dolabella, tribunatus gratia (§. 206.) transibant 4). Comitiis curiatis adoptionem fieri debuisse, colligunt e Suetonio 5). Lege XII Tab. 6), ut sacra privata, sic bona intestato morientis, cui suus heres non esset (§. 106.), jure agnationis (legitima successio agnatorum) ad proximum agnatum, si agnatus deesset, jure gentilitatis ad gentiles, exclusis cognatis, deferebantur 7). Hinc gentilitiæ hereditates apud Suetonium 8). Hoc gentilitatis jus, extrema libertate etiam vigens 9), Ulpiani tempore obsoleverat 10). Ad jus agnationis, præter, quam diximus, successionem, refertur legitima agnatorum tutela (§. 112.)

1) Cf. Hein. *App.* 32, qui, dubito, an recte. — 2) Cf. idem ib. — 3) Cf. Hein. 1, 11, 11, Cic. *de Orat.* 1, 38, 39, *p. Domo* 14. Manut. *de Legg. Rom.*, in *Thes. Græv.* 2. p. 44, Sigon. *de nominibus Roman.*, ib. p. 992. — 4) V. Cic. p. *Domo* 13, Suet. *Tib.* 2, Dio Cass. 37, 51, Hein. 1, 11, 3. — 5) *Aug.* 65. Cf. Gruch. *de Comit. in Thes Græv.* v. 1. p. 805, Sigon. *de Ant. Jure civ. Rom.* ib. p. 127. — 6) V. Hein. 3, 2, 7. — 7) Ulp. *Fragmm.* 26, 1, — *cautum est lege XII Tabb. Ast si intestatus moritur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto.* Ubi, ut

plerisque in locis XII tabb., non parva lectionis varietas. — 8) *Cæs.* 41. — 9) Cf. Cic. de *Orat.* 1, 38, 39, Suet. l. c. — 10) V. Hein. 3, 2, 7. Cf. Hugo. §. 69.

82. Connubii sive legitimi (justi) civium Romanorum matrimonii genera ritusque et juris discrimen ad domestica instituta relutimus (§. 476.); hic alia attingimus. Connubium 1) nec inter servos est, nec liberi hominis cum servo, nec, nisi impetrata legis exceptione 2), civis cum peregrina 3) vel peregrini cum cive. Exceptionem in libera civitate populus, post principes dabant 4). Ingenui cum libertina connubium, jam ante XII Tabb., ut e Livii loco 5) colligitur, vetitum, non sine exceptione permisit lex Papia Poppæa 6), eadem senatoribus libertinas, lenas, meretrices, scenicas etiam fœminas negans 7). Inter patricios et plebem connubium, servata antiquiori sive lege sive more, 8) vetabant XII Tabb. 9), mox (a. 309.) lege Canuleja 10) permissum. Inter diversas gentes pariter vetitum fuisse, probabilis multorum sententia 11). Hinc e patribus enubere, et gentis enuptio 12). Extra connubium concubitus commercium contubernii et concubinatus nomine adpellatur 13).

1) V. Hein. *App.* 34. — 2) V. Liv. 38, 36. Cf. 43, 3. — 3) Boeth. in Cic. *Top.* 4, *Connubium est matrimonium inter cives : inter civem autem et peregrinæ conditionis hominem aut servilis non est connubium, sed contubernium.* Sen de *Benef.* 4, 35, *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti : non est mihi cum extraneo connubium. Eadem lex me defendit, quæ vetat.* Caj. 1, 67, *si civis Romanus Latinam aut peregrinam uxorem duxerit per ignorantiam, cum eam civem Romanam esse crederet, et filium procreaverit, hic non est in potestate, quia ne quidem civis Romanus est, sed aut Latinus aut peregrinus, id est, ejus conditionis, cujus et mater fuerit, quia non aliter filius ad patris conditionem accedit, quam si inter patrem et matrem ejus connubium sit.* — 4) Cf. Liv. l. c., Spanh. *Orb. Rom.* 2, 22, Hein. 1, 10, 16. — 5) 39, 19. — 6) V. Hein. *App.* 36. — 7) Ib. 35. Cf. 36, et Mack. §. 229. — 8) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 37. — 9) *Patribus cum plebe*

servit. Abest etiam nunc. Qui capite non sunt deminuti. Hoc fortasse satis est; nil enim video Scævolam pontificem ad hanc definitionem addidisse. — 2) Liv. 10, 8, *Semper ista audita sunt eadem, penes vos auspicia esse, vos solos gentem habere, vos solos justum imperium domi militiæque.* — 3) Cf. Hugo §. 69. — 4) In dissert. *de Hered. legit.*

81. Cum jure gentilitatis, licet patriciis proprium olim fuerit, non confundenda sunt 1) alia patriciorum præ plebejis jura; cæterum, ad illud hæc referuntur. Plebis jura cum civitate impetrabantur; patriciis contra in libera civitate nemo, nisi populo rogato, adscribebatur; post creandi jus a principibus usurpatum, aut senatui permissum 2). E patricia ad plebejam gentem adoptione transire concessum; an e plebeja ad pratriciam, certe, an eodem adoptionis jure, graves causæ sunt, cur dubitemus 3). Patricii interdum, ut Clodius et Dolabella, tribunatus gratia (§. 206.) transibant 4). Comitiis curiatis adoptionem fieri debuisse, colligunt e Suetonio 5). Lege XII Tab. 6), ut sacra privata, sic bona intestato morientis, cui suus heres non esset (§. 106.), jure agnationis (legitima successio agnatorum) ad proximum agnatum, si agnatus deesset, jure gentilitatis ad gentiles, exclusis cognatis, deferebantur 7). Hinc gentilitiæ hereditates apud Suetonium 8). Hoc gentilitatis jus, extrema libertate etiam vigens 9), Ulpiani tempore obsoleverat 10). Ad jus agnationis, præter, quam diximus, successionem, refertur legitima agnatorum tutela (§. 112.)

1) Cf. Hein. *App.* 32, qui, dubito, an recte. — 2) Cf. idem ib. — 3) Cf. Hein. 1, 11, 11, Cic. *de Orat.* 1, 38, 39, *p. Domo* 14. Manut. *de Legg. Rom.*, in *Thes. Græv.* 2. p. 44, Sigon. *de nominibus Roman.*, ib. p. 992. — 4) V. Cic. p. *Domo* 13, Suet. *Tib.* 2, Dio Cass. 37, 51, Hein. 1, 11, 3. — 5) *Aug.* 65. Cf. Gruch. *de Comit. in Thes Græv.* v. 1. p. 805, Sigon. *de Ant. Jure civ. Rom.* ib. p. 127. — 6) V. Hein. 3, 2, 7. — 7) Ulp. *Fragmm.* 26, 1, — *cautum est lege XII Tabb. Ast si intestatus moritur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto.* Ubi, ut

plerisque in locis XII tabb., non parva lectionis varietas. — 8) *Cæs.* 41. — 9) Cf. Cic. de *Orat.* 1, 38, 39, Suet. l. c. — 10) V. Hein. 3, 2, 7. Cf. Hugo. §. 69.

82. Connubii sive legitimi (justi) civium Romanorum matrimonii genera ritusque et juris discrimen ad domestica instituta relutimus (§. 476.); hic alia attingimus. Connubium 1) nec inter servos est, nec liberi hominis cum servo, nec, nisi impetrata legis exceptione 2), civis cum peregrina 3) vel peregrini cum cive. Exceptionem in libera civitate populus, post principes dabant 4). Ingenui cum libertina connubium, jam ante XII Tabb., ut e Livii loco 5) colligitur, vetitum, non sine exceptione permisit lex Papia Poppæa 6), eadem senatoribus libertinas, lenas, meretrices, scenicas etiam fœminas negans 7). Inter patricios et plebem connubium, servata antiquiori sive lege sive more, 8) vetabant XII Tabb. 9), mox (a. 309.) lege Canuleja 10) permissum. Inter diversas gentes pariter vetitum fuisse, probabilis multorum sententia 11). Hinc e patribus enubere, et gentis enuptio 12). Extra connubium concubitus commercium contubernii et concubinatus nomine adpellatur 13).

1) V. Hein. *App.* 34. — 2) V. Liv. 38, 36. Cf. 43, 3. — 3) Boeth. in Cic. *Top.* 4, *Connubium est matrimonium inter cives : inter civem autem et peregrinæ conditionis hominem aut servilis non est connubium, sed contubernium.* Sen *de Benef.* 4, 35, *Promisi tibi filiam in matrimonium, postea peregrinus apparuisti : non est mihi cum extraneo connubium. Eadem lex me defendit, quæ vetat.* Caj. 1, 67, *si civis Romanus Latinam aut peregrinam uxorem duxerit per ignorantiam, cum eam civem Romanam esse crederet, et filium procreaverit, hic non est in potestate, quia ne quidem civis Romanus est, sed aut Latinus aut peregrinus, id est, ejus conditionis, cujus et mater fuerit, quia non aliter filius ad patris conditionem accedit, quam si inter patrem et matrem ejus connubium sit.* — 4) Cf. Liv. l. c., Spanh. *Orb. Rom.* 2, 22, Hein. 1, 10, 16. — 5) 39, 19. — 6) V. Hein. *App.* 36. — 7) Ib. 35. Cf. 36, et Mack. §. 229. — 8) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 37. — 9) *Patribus cum plebe*

connubi jus nec esto. — 10) V. Liv. 4, 6. — 11) Cf. Hugo. §. 83, Liv. 39, 19. — 12) Liv. ib. et 10, 23. — 13) V. §. 82. locum Boethii. Cf. Ulp. *fragmm.* 10, 3, *neque peregrinus civem romanam, neque civis romanus peregrinam in potestate habere potest.*

83. Jus patrium sive patria potestas civium Romanorum est viri, non fœminæ, in liberos suos, sive connubio natos sive adoptatos, inque omnes a filiis suis perque filios connubio vel adoptione descendentes. Extra connubium natos (spurii) patriæ potestati subjecit, quæ vocatur legitimatio, sub Constantino demum, ut vulgo existimant, inventa 1). Filia nupta cum liberis suis in viri, vel in ejus, in qua vir, potestate est.

Patria potestas eadem fere in liberos, quæ dominorum erat in servos 2); ideoque non solum vendendi eos ut res suas, sed in vitam quoque eorum jus habebant. Vitæ arbitrum patrem reddebat lex Romulo tributa 3), inque XII Tabb. recepta 4), infantem exponere, cum quadam tamen exceptione, permittens 5); cæterum quam frequenter et in libera civitate et sub Cæsaribus expositi, multis scriptorum locis conjicere licet 6). Puerum educandum mos erat humi positum a patre, vel, qui absentis vicem impleret, sublatum ad sinum admoveri 7); unde pendet solennis vocabulorum *tollere* et *sublatus* de patre et puero significatio. 8).

1) V. Hein. 1, 10, 23. — 2) V. Hein. 1, 9, 1. — 3) V. Dionys. 2, 15. Cf. Dirksen *Kritik und Ausleg. d. Quellen d. rœm. Rechts.* pag. 303. — 4) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 8. — 5) V. Hein. 1, 9, 5. — 6) Cf. Ter. *Andr.* 3, 1, *Heaut.* 4, 1. Suet. *Aug.* 65, *ex nepte Julia post damnationem editum infantem agnosci alique vetuit.* — 7) Stat. *Sylv.* 5, 5, *infantem linguaque simul salibusque protervum dilexi; meus ille, meus, tellure cadentem excepi, atque unctum genitali carmine fovi.* — 8) Cf. Juven. 9, 84, Hor. *Sat.* 2, 5, 45, Tac. *Agric.* 6.

84. Adultos quoque liberos vendere patri, et carcere in eos, flagris, aut quacunque asperrima pœna sævire licuisse, ambiguum non est; an vero necare etiam sive innoxios, sive

ipso solo judice nocentes licuerit, dubitatum. Exempla tamen, quibus, licuisse utrumque, potius persuasum habeamus, non desunt 1). Nam quod in plerisque adhibitos a patre, ut pietas fasque flagitare debuere, necessarios videmus 2), hinc non sequitur, solum cognoscendi causam, et noxium plectendi jus non habuisse. Eadem exempla satis arguunt, jus vitæ et necis sub Cæsaribus etiam diu obtinuisse. Primum imminuti auctorem Heineccius, 1, 9, 8, facit Trajanum, filium sævi patris emancipantem. Posterius morem reperimus graviter delinquentem filium magistratibus offerre, e patris tamen sententia puniendum; simulque feroces abdicandi potestas patribus ademta 3). Ita sensim multis modis restrictum jus vitæ et necis postremo penitus sustulit Constantinus M., constitutione dein Valentiniani totum in magistratus translatum 4).

1) V. §. 89. loc. Gell. 5, 19, Cic. *p. Domo* 29, Liv. 2, 41. Dionys. 8, 79. Sen. *de Clem.* 1, 15, *Erixonem, Equitem Romanum, memoria nostra, quia filium suum flagellis occiderat, populus in Foro graphiis confodit. Vix illum Augusti Cæsaris autoritas infestis tam patrum quam filiorum manibus eripuit.* Cf. Sall. *Cat.* 11, *pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse.* — 2) Exemplum memorabile apud Senecam l. c. — 3) V. l. 6. *Cod. de patr. pot.* Cf. Paul. *Sent. Recept.* 2, 24, ibiq. not. Schulting. — 4) V. Hein. 1, 9, 8.

85. De bonis constat, liberos sub patris potestate non sibi, sed patri acquisisse, quippe qui in patris, ut servi in domini, rebus essent 1), adeo, ut noxæ dari, quemadmodum pecora et servi possent 2). Sub Julio Cæsare tamen filiis possidere 3) concessum, quod bello, sive de stipendio vel præda servatum, sive præmii gratia acceptum, acquisissent, idque peculium castrense adpellatum 4). Post peculii quasi castrensis nomine accesserunt artibus liberalibus acquisita 5), et Constantinus M. bonorum maternorum usumfructum modo patribus reliquit 6); posterius alia

insuper detracta, atque in ipso exheredandi jure pauca patris arbitrio relicta sunt 7).

1) Dionys. 8, 79, Ῥωμαίοις γὰρ οὐδὲν ἴδιόν ἐςι κτῆμα ζώντων ἔτι τῶν πατέρων, ἀλλὰ καὶ τὰ χρήματα καὶ τὰ σώματα τῶν παίδων, ὅ τι βούλονται διατιθέναι τοῖς πατράσιν ἀποδέδοται. Cf. Sen. de Benef. 7, 4, Arr. *Dissertt. Epict.* 2, 10. V. Hein. 2, 9, 1. — 2) V. §. ult. *Institt. de nox. act.* Hein. 1, 9, 10. — 3) Cf. Caj 2, 106. — 4) Cf. Ulp. l. 1. pr. *de test. mil.* et Juven. *Sat.* 16, 52. sqq. — 5) V. Hein. 2, 9, 2. Cf. Mackeldey *Lehrb. des heut. ræm. Rechts* §. 402. — 6) L. 1. *Cod. de bon. mat.* — 7) V. Hein. 1, 9, 10.

86. Jure vendendi liberi servis ipsis eo erant deteriore conditione, quod nonnisi ter venditi patris potestati eximebantur. Hoc jus a Diocletiano, ut censet Heineccius 1), sublatum, Constantinus M. eatenus restituit, quod inopibus sanguinolentos (a matre rubentes) vendere permisit, mox, ne vendere cogerentur, alimentis de publico constitutis, providens. Patria potestas per vitam durans morte civili sive jactura civitatis (§. 68.) alterius hoc nexu conjunctorum 2), ideoque durante captivitate cessat. Præterea vero eadem sine emancipatione Virgo Vestalis et Flamen Dialis, sub Cæsaribus autem et aliis dignitatibus, ut patriciatus, donati eximebantur 3). Magistratus etiam, dum munere fungerentur, exemtos fuisse, e Livio, II, 41, colligunt. Denique patria potestas voluntate illius, cui erat, cessabat, eo, in quem erat, vel emancipatione liberato, vel adoptione in alterius potestatem tradito. De utroque instituto deinceps exponendum.

1) 1, 9, 9. — 2) V. Hein. 1, 12, 2. Paul. *Sent. Recept.* 2, 25, 2, *pater ab hostibus captus desinit habere filios in potestate.* — 3) V. Hein. 1, 12, 14. sq.

87. Emancipatio (emancipare), qua e patria potestate exeunt suique juris fiunt cives Romani, nomen habet a

venditione rerum mancipi sive mancipatione, in emancipationis vetustissimo ritu occurrente, quem ex Heineccii verbis 1) compendio sic proponimus. Pater filium, (ut de his dicamus, quæ omnino de emancipante et emancipando dicenda,) coram magistratu, apud quem legis actio esset, præsentibus testibus quinque puberibus civibus Romanis, nec non libripende et antestato 2), cuidam, insuper adstanti, vendebat, qui, quoniam ejus fiduciæ sive fidei emancipandus credebatur, hinc potissimum pater fiduciarius adpellatur, cæterum cum antestato, ut monet Heineccius, non confundendus. Huic igitur mancipans pater pronunciabat: *mancipo tibi hunc filium, qui meus est.* Ille respondebat: *hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emtus est hoc ære hac æneaque libra,* simul sestertium numum, percussa, quam lipripens tenebat, libra, vero patri, tanquam emti filii pretium dabat, quem deinde 3) vindicta manu mittebat. Quoniam autem filius nonnisi ter mancipatus patris potestate eximebatur 4), eodem vel alio die testibusque 5) iterum, et, manumissus a patre fiduciario, tertium mancipabatur; jamque patris potestati exemtus, si a patre fiduciario manumissus esset, eundem patronum habuisset (§. 64.); quod ne fieret, pater, tertium mancipans fiduciario declarabat, se ea conditione filium mancipare, ut sibi eum remanciparet 6). Remancipatum igitur pater vindicta ut servum manumittens, patronatus in eum jus servabat. Potuit tamen non una causa accidere, ut, patri non remancipati, sive filii sivæ filiæ, a fiduciario manumitterentur 7). Filia et nepos una mancipatione e patris potestate exibant; cæterum a fiduciario, ut filius, patri remancipati, ab hoc manumittebantur. Pater emancipari potest, quin filius, filius, quin pater emancipetur 8). Sub

Cæsaribus emancipationis ritus, ut aliæ veteris reipublicæ formulæ actionesque solennes, legibus moribusque mutatis, jam male conveniens, tamen ab Anastasio demum abolitus est, solum Principis rescriptum judici insinuandum exigente 9). Simpliciorem etiam morem concessit Justinianus, quo pater coram magistratu, præsente et consentiente filio 10), pronunciabat: *Hunc sui juris esse patior, meaque manu mitto* 11). Ritu, unde adpellabatur, mutato, mansit tamen emancipationis vocabulum.

1) 1, 12, 6. sqq. — 2) Cf. Prisc., ed. Putsch., pag. 726. Idem, pag. 729, *impubes libripens esse non potest, neque antestari.* — 3) Cf. Hugo §. 76. p. 94. et 95. —4) XII Tab.: *Si pater filium ter venum davit, filius á patre liber esto.* V Ulp. *Fragm.* 10, Caj. I, 132. Idem 135, *qui ex filio semel iterumve mancipato conceptus est, licet post tertiam mancipationem patris sui nascatur, tamen in avi potestate est, et ideo ab eo et emancipari et in adoptionem dari potest*, etc. — 5) V. Paul. *Recept. Sent.* 2, 25, 2. — 6) V. Hein. 1, 12, 9. ubi formula. Cf. Cic. *de Off.* 3, 15, *ad Fam.* 7, 12. — 7) Cf. Caj. *Institt.* Epit. 1, 6. — 8) V. Caj. *Digest.* 1, 7, 28, idem *Institt.* 1, 133. — 9) V. l. 5. C. *de emanc. lib.* Hein. 1, 12, 12. — 10) Paul. *Sent. recept.* 2, 25, 5, *filius emancipari invitus non cogitur.* Sc., nisi sit infans. Cf. Mackeldey §. 261. — 11) V. l. Ult. *C. de emanc. lib.*, Hein. 1, 12, 13.

88. Superest adoptio, qua liberos alienos lege suos 1) cives Romani faciebant. Adoptionem Romæ, credibile, ab incunabulis pæne civitatis, certum est, ante XII Tabb. institutam. An frequens jam tum fuerit, non liquet Hugoni 2); posterius frequentissimam fuisse, constat. Causam antiquissimam et crebræ et institutæ etiam adoptionis vulgo adferunt, ne sacra gentilitia (§. 79.) interirent, quibus tamen tollendis fictionem a jureconsultis, ut sæpe similibus incommodis vel difficultatibus eludendis, excogitatam esse (§. 68.), traditur. 3) Posterior ætate causa pœnæ orbitatis, et numerosæ sobolis, velut jus trium liberorum, præmia, utraque legibus Julia et Papia Poppæa (§. 391.), præmia

autem jam in libera civitate constituta 4): quæ ut consequerentur adoptatis liberis, multi quidem fraudulenter et turpissime efficiebant 5); unde apud Tacitum, XV, 19, senatus consultum; *ne simulata adoptio in ulla parte muneris publici juvaret.* In cæteris causis ponunt tribunatum (§. 81.)

1) V. Gell. 5, 19. — 2) §. 72. — 3) V. Hein. 1, 11, 1. — 4) V. Hein. 1, 11, 2. Cf. August. *de Legg.*, in *Thes. Græv.* v. 2. p. 227. — 5) Hein. l. c.

89. Adoptionis tria genera sunt, ritu et jure distinguenda. Alia enim est hominis non sui juris, quæ simpliciter adoptio, alia sui juris, quæ arrogatio, alia, quæ per testamentum dicitur adoptio, sicque adoptioni inter vivos opponitur. Qui non sui juris, eo, quo emancipandus, ritu, ter mancipatus a patre 1), et ab adoptante bis manumissus, post tertiam vero mancipationem naturali patri remancipatus, postremo ab hoc adoptanti apud Prætorem vindicanti in jure cedebatur 2). In filia et nepote una mancipatio et nulla manumissio; cætera eadem quæ in filio. Emancipationis ritu suppresso, par fuit adoptionis quoque hujus simplicissimam formam relinqui. Qui sui juris, in libera etiam civitate comitiis curiatis, atque adeo Romæ tantum, populo, simulque adoptante et adoptando, an fieri adoptionem vellent, rogatis, (unde arrogatio,) cæterum intercedente etiam Pontificis Maximi auctoritate, adoptatur 3); qua in re antiquitatis species sub Cæsaribus quoque diu servata 4), quamvis sæpe neglecta; donec, ipsa populi mentione suppressa, sola Principis auctoritas relicta est; simulque formulæ obsolevere, Justiniani edicto sublatæ 5). Formulam imprimis memorabilem arrogationis servavit Gellius V, 19. 6) Pontifex, causas adoptionis inquirens, an honestæ, legitimæ, simul, quod ad sacra privata in potestatem sese

dantis, ne forte interirent, omnino, ne quid in religionem arrogatione peccaretur, cavebat 7), et adoptandus jurejurando gentis, in quam transibat, sacris faciendis obstringebatur; quo trahenda videtur, quæ dicitur sacrorum in comitiis, Gellio 8) memorata, detestatio. Cæterum ipsius populi consensum vix in parva adhuc Roma e singulorum civium suffragiis quæsitum crederes, ac potius a lictoribus declaratum, qui, ademta jam comitiis curiatis potestate, curiarum loco congregabantur (§. 154.).

1) Suet. *Aug.* 64, *Cajum et Lucium adoptavit domi, per assem et libram emtos a patre Agrippa.* V. Hein. 1, 11, 15. — 2) Cajus, 1, 134, aut remancipari patri, aut jure mancipari, ait; sed jure mancipati quomodo adoptanti traditi sint, lacuna impedit, quominus ex eo cognoscamus. Cf. Gell. 5, 19, qui et alias satis obscure, et nil de remancipando; quia, puto, hoc addere supervacuum erat. Hugo §. 72, solam quoque aut mancipationem aut in jure cessionem suffecisse suspicatus. — 3) V. Caj. 1, 98, 99 (cf. Dirksen *Versuche* pag. 220), Tac. *Hist.* 1, 15, Suet. *Aug.* 65, *tertium nepotem Agrippam simulque privignum Tiberium adoptavit in foro lege curiata.* Hinc Cajus (I. §. 98.) etiam, adoptionem *aut populi auctoritate aut imperio magistratus* fieri; Sed in *Pandd.* I. 7. 2. *Principis auctoritas* substituta. Cf. Schult. ad Ulp. *fragmm.* 8, 2. — 4) V. Hein. 1, 11, 13. — 5) V. Hein. 1, 11, 17. — 6) *Velitis, jubeatis, ut L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius siet, quam si ex eo patre matreque familias ejus natus esset, utique ei vitæ necisque potestas siet, ut pariendo filio est. Hoc ita, ut dixi, ita vos, Quirites, rogo.* Cf. Cic. *p. Domo* 29. — 7) V. Cic. ib. 12 et 13. — 8) 15, 27. Cf. 6, 12.

90. Adoptionem per testamentum, si, quod in adoptione præcipuum, nempe, ut adoptatus sit jure filius, respicias, parum apte nominatam intelligas. Adoptans adoptatum 1) bonorum, certe partis heredem ea conditione faciebat, ut ipsius nomen ferret, cujus propagandi causa hoc adoptionis genus inductum quidam arbitrati sunt. Cæterum antiquissimus Romanis mos videtur, herredem in nomen adsciscere, atque a mulieribus adeo, adoptandi jure exclusis, hac lege heredes institutos reperimus 2);

sed in nomen adscitis, dubito, an nominis ferendi necessitatem lex imposuerit 3), et testamento adoptatos filiis jure æquatos non esse, et alias consentaneum, et eo manifestum est, quod adoptio eorum, ut ait Heineccius, nonnunquam arrogatione confirmata 4), scilicet, ut populi voluntate fruerentur iis, quæ dari adoptione non potuissent.

1) Cf. Hugo §. 195. — 2) V. Hein. 1, 11, 18. — 3) V. Hein. ib. Cf. Suet. *Tib.* 6. Hugo §. 195.— 4) Cf. App. *B. C.* 3, 14 et 94. Suet. *Tib.* 15. Hugo §. 195.

91. Arrogatione et mancipationis ritu adoptatos, filios lege factos, in familiam, gentem, sacra nomenque transiisse, nota res est; sed novi nominis usurpandi non simplex consuetudo. Alii cognomine adjecto, velut Octavius Cæsar, alii junctis gentilibus, ut Cornelius Scipio Æmilianus 1), alii promiscue novo et priore aut ipsi utebantur, aut ab aliis vocabantur 2). De gente autem (cf. §. 81 et 131.) difficillima est cum aliis quæstio, tum quoad patricios a plebejis, et magis quoad plebejos a patriciis adoptatos. Id tamen satis certum videtur, a patre adoptivo emancipatum ad gentem suam rediisse 3). Cæterum utrique adoptioni commune, quod adoptatus in novam dari poterat 4). Arrogationi proprium, quod arrogandorum potestati subjecti cum ipsis in arrogantis potestatem dabantur 5); rarius non sui juris adoptati liberos adoptionis participes fuisse, monet Hugo. Justinianus, ut ritum, sic jus adoptionis mutavit, patriam in adoptatum potestatem nonnisi adscendenti adoptanti relinquens 6).

1) Cf. Hugo §. 72. — 2) V. Hein 1, 11, 19. — 3) Cf. Caj. 2, 136-7. — 4) V. Caj. 1, 105. — 5) Caj. 1, 107. — 6) V. Hein. 2, 11, 20.

92. De personis, quibus adoptare, aut quas adoptare

concessum, e multis hæc notamus. Adoptare, nisi testamento, non poterant fœminæ; quippe ne suos quidem liberos in potestate habentes. De iis, qui aut habent liberos, aut procreare etiam possint, confer Gellium 1); Heineccius 2) habentes non exclusos fuisse, sed non temere adoptandi veniam impetrasse, idemque, sexaginta annis minori arrogare non licuisse, monet 3); spadonibus licuisse, diserte testatur Cajus 4): idem 5), quæsitum esse, an minori natu majorem. In iis, qui arrogari non possint, pupilli, fœminæ, et, quibus nec arrogare datum, muti et surdi. Impuberes aliquando non, post sub certis conditionibus arrogatos, refert Cajus 6). Contra mancipationis ritu et fœminæ et omnis ætatis personæ adoptabantur.

1 (5, 19. — 2) 1, 11, 8. — 3) Cf. Suet. *Aug.* 64. — 4) 1, 103. — 5) 1, 106. — 6) 1, 102.

93. Jus dominii legitimi est, quo rem possident et acquirunt cives Romani. Possessio enim alia est propria civibus Romanis, quæ dominium e jure Quiritium vel quiritarium dicitur, alia deterior, qua res in bonis alicujus sunt 1), quæ civi Romano cum peregrino communis. Ad jus dominii pertinent rerum distinctio et acquirendi ratio. Ac primo res vel corporales sunt, quæ scilicet tangi queunt, vel incorporales, quæ, utpote jura quædam, tangi nequeunt. Corporales porro vel mobiles sunt, ut quæ in prædio ruta cæsa 2) dicuntur, vel immobiles, ut solum, et quod solo natura vel arte adhæret, vel jure cohæret. In incorporalibus 3) Cajus ponit hereditatem, usumfructum, obligationes, servitutes sive jura prædiorum 4), ut oneris ferendi, tigni immittendi, stillicidii, luminum, cloacæ, quæ urbanorum, itineris, actus, viæ, aquæductus, quæ rusticorum prædiorum 5). Distinguuntur et res, quæ aliæ in aliarum vicem, quasi mutua vice fungentes, reddi solvique pos-

sunt, ideoque fungibiles recentiorum vocabulo adpellatæ 6).

1) Caj. 2, 40. *Sequitur, ut admoneamus, apud peregrinos quidem unum esse dominium, ita, ut dominus quisque sit, aut dominus non intelligatur. Quo jure etiam populus Romanus olim utebatur: aut enim ex jure Quiritium unusquisque dominus erat, aut non intelligebatur dominus. Sed postea divisionem accepit dominium, ut alius possit esse ex jure Quiritium dominus, alius in bonis habere. Nam si tibi rem mancipi neque mancipavero, neque in jure cessero, sed tantum tradidero, in bonis quidem tuis ea res efficietur, ex jure Quiritium vero mea permanebit, donec tu eam possidendo usucapias.* Cf. Caj. 1, 54. — 2) Cic. *de Orat.* 2, 55, *dicet, te, quum ædes venderes, ne in rutis quidem et cæsis solium tibi paternum recepisse.* Cf. idem *Top.* 26, Ulp. *Pandd.* 19, 1, 17. — 3) Cf. Cic. *Top.* 5. — 4) Urbana prædia quomodo a rusticis differant, diversis sententiis diu agitatum (v. Vinn. ad *Inst.* 2, 3, Hein. 3, 3, 1.) Cæterum duplex distinctio, altera scilicet ad servitutes prædiorum referenda, quarum ratione prædium urbanum de omni ædificio, ubicunque sito, rusticum de agro, prato, omnino de fundis sine ædificio usurpatur; altera ad usum, qua (Cf. Ulp. *Pandd.* 50, 16, 198.) et ædificia et vacua etiam, velut horti, ex usu urbana aut rustica prædia censentur. Cf. Mackeldey §. 344. V. Hein. 2, 3, 1. — 5) V. Hein. 3, 2, 2 et 9. — 6) V. Mühlenbr. *Doctr. Pandd.* part. gener. §. 91. Cf. *Pandd.* 46, 5, 7.

94. Alia divisione 1) res sunt vel divini vel humani juris: quæ divini juris, vel sacræ sunt, vel religiosæ; divini autem juris dicebantur, quia juris erant pontificii 2). Quodammodo divini juris habentur res sanctæ 3). Res sacræ sunt, quæ diis, ut templa, aræ, donaria, publica auctoritate consecratæ 4); sacrum enim nil fit privata religione 5). Exauguratione res sacra esse desinebat 6). Res religiosas Cajus 7) facit, *quæ diis manibus* (D. M.) *relictæ*, (i. e., opinor, mortuorum umbris concessæ), ideoque loca sepulturæ destinata, et ipsa sepulchra 8). Religiosum quisque suo in solo locum faciebat funus ad ipsum pertinens inferendo 9) Cenotaphia an religiosa habenda, veteres etiam dubitavere 10). In locis religiosis aut sacris bidentalis nomine

distinguitur, qui fulmine, vel ubi fulmine quis ictus et sepultus, quem muro circumdari, et bidente, ove bienni, immolata expiari, mos 11).

1) V. Caj. 2, 2. — 2) V. Hein. 2, 1, 3.' — 3) Caj. 2, 8, *Sanctæ quoque res, velut muri et portæ, quodammodo divini juris sunt.* — 4) *Institt.* 2, 1, 8. Cf. Caj. 2, 4. — 5) Cf. Liv. 1, 55. — 6) Cf. ib. §. 7. — 7) 2, 4. — 8) Cf. Cic. *de L.* 2, 24. — 9) Caj. 2, 6, *religiosum vero nostra voluntate facimus mortuum inferentes in locum nostrum, si modo ejus mortui funus ad nos pertineat.* — 10) V. Hein. 2, 1, 3. — 11) Cf. Hor. *A. P.* 471. Pers. 2, 27.

95. Res divini juris, utpote deorum in dominio positæ, privati esse non poterant 1); neque ex iis quidquam vendi; unde Heineccius 2), in commercio non fuisse sepulchra 3). Nec vero injussu Pontificis ædificia aut diis manibusve consecrare, aut consecrata restaurare licebat; eademque profanis usibus interdicta manebant 4). Quare nec sepulturæ semel dicata loca, sed jus tantum inferendi mortuum alienari permissum 5). Res sanctas veteres plerique a multa pœnave, eas violanti sancta 6), dictas putabant, ipsum vocabulum a sagminibus, herbis, quæ legati populi Romani gerebant 7), nonnulli derivantes; a sacris autem et religiosis quomodo differrent, adeo parum liquebat, ut alii sanctas utrumque, alii neutrum esse 8), et portas alii profanas, alii, ut Cajus 9), una cum mœnibus sanctas facerent. In cæteris sanctum habebatur vallum castrorum; neque absurde aquilas et Principum inter signa imagines vel sacris vel sanctis rebus addideris (cf. §. 367.)

1) Caj. 2, 9, *quod autem* divini *juris est, id nullius in bonis est*, etc. — 2) 2, 1, 6. — 3) Cf. Cic. l. c. — 4) Cf. Plin. *Ep.* 10, 58. 59. 76. — 5) V. Hein 2, 1, 6. — 6) Cf. Fest. in *sanctum*. — 7) Marcianus *Digg.* 1, 8, 8, *sanctum autem dictum est a sagminibus. Sunt autem sagmina quædam herbæ, quas legati populi romani ferre solent, ne quis eos violaret.* — 8) Cf. Fest. in *sanctum* et *religiosum*, Marc. *Digg.* I, 8, 8. — 9) 2, 8. Cf. *Digg.* I, 8, 8 et 9.

96. Res humani juris jureconsultorum distinctione vel

nullius vel privatorum sunt. Ad res nullius non ea modo, quæ, ut mare et littora, jure naturali humano generi communia, referuntur, sed etiam, quæ civitatis vinculo conjunctis communia; qualia sunt oppidorum viæ, fora, theatra, balnea. Prioris generis res communes a nonnullis et publicæ, posterioris res universitatis, utpote universorum, non singulorum, adpellantur 1); contra aliis hæ publicæ, illæ communes sunt 2). Rebus nullius adnumeratur hereditas jacens, sive res hereditariæ, durante cretionis (§. 107.) tempore 3). Ratione non absimili res nullius omnino dicitur, quæ nullo dominio comprehensa.

1) Cf. Marc. l. c. — 2) V. Hein. 2, 1, 13 — 3) V. Caj. 2, 9.

97. Res privatæ sive privatorum vel in bonis modo sunt, vel in dominio quiritario; cæterum multis modis, sive naturalibus sive Romanis, acquisitæ, a mancipio sive mancipatione 1) nobis jam memorata (§. 87) in res mancipi et res nec mancipi dividuntur. Mancipatione res præsentis a præsente coram quinque testibus Romanis et libripende atque antestato acquiruntur 2). Ritus venditionis a tempore deducendus videtur, quo pretium adpenso metallo solvebatur. In eo vidimus formulam *mancipo tibi hanc rem*, et percussam ab emtore sestertio libram; unde *per æs et libram vendere, libra et ære mercari, numo addicere* 3), etc. De antestato, a tacta testium auricula, ut volunt, adpellato, obscura est quæstio; ante XII Tabb. non occurrere, monet Hugo (§. 94. et 348.) In aliis adnotatum video, res mobiles nonnisi præsentes, nec plures, quam manu capi possent, simul, immobiles contra et plures et diversis locis mancipari 4).

1) A mancipio, quasi *manu captione*, dictum mancipare, id est mancipio tradere, et mancipatio. Sed mancipare de alia quoque venditione. Ejusdem radicis est manceps, de emtore, redemtore, de præde etiam usurpatum. De solenni alienandi specie etiam occurrunt vocabula *nexum*

et *nexus*, quibus quum insit obligationis significatio, non mireris, de mancipio iis interdum usos esse scriptores, ut sane videtur fecisse Cicero, *Top.* 5, in *aut traditio alteri nexu aut in jure cessio*. Sed idem, ne aliorum hic locos ponamus, a mancipatione sæpius distinguit, ut *Harusp.* 7, in *multæ sunt domus jure nexi, jure mancipii*, et *ad Div.* 7, 30, in *jure nexi et jure mancipii*. Cæterum ipsos veteres, nexum quid vere sit, dubitasse arguit obscurus Varronis, *de* L. L. l. 6. p. 82., locus, de quo v. Hein. 2, 1, 20. Cf. Hugo §. 94., qui *mancipium* XII tabularum post *nexu alienationem*, et in jure consultorum sermone *mancipationem* et *emancipationem* vocari, simpliciter adfirmat. — 2) Cf. Ulp. *Fragm.* 19, 3. — 3) Cf. Hor. *Sat.* 2, 5, 109. — 4) Ulp. *Fragmm.* 19, 6, *res mobiles nonnisi præsentes mancipari possunt, et non plures, quam quot capi possunt, immobiles autem etiam plures simul, et quæ diversis locis sunt, mancipari possunt*; sufficiente, inquit Hugo, §. 94, situs descriptione.

98. De discrimine porro mancipi et nec mancipi rerum, hodie, qui doctiores visi, priores eo errasse volunt, quod, aut solas res mancipi posse in dominio quiritario, aut solas res nec mancipi posse et in hoc, et in bonis tantum esse, crediderint 1). Ipsi autem, Cajo maxime 2) et Ulpiano 3) auctoribus, sic statuunt: in rebus mancipi, ut in dominio quiritario ementis sint, non sufficere, quæ in rebus nec mancipi ad eam rem sufficiat, traditionem; cæteras autem acquirendi species (§ 99.), sive Romanas sive naturales, utrisque rebus communes esse. Nempe hoc volunt: quum res aliis modis emta in dominio quiritario sit, aliis modis emta in bonis, utrosque modos, excepta illa traditione, in rebus nec mancipi eandem vim, quam in rebus mancipi, habere; ita tamen, ut res nec mancipi mancipatione non acquirantur 4), quod post XII Tabb. demum placuisse, existimat Hugo 5). A mancipante evictionem (auctoritatem) præstari lex jubebat 6).

Res mancipi autem, auctore Ulpiano 7), habebantur prædia in Italico solo, et extra Italiam in locis, quibus datum jus Italicum (commercium. § 123.); jura prædiorum (servitutes, §. 93.); servi; quadrupedes, quæ apud Italos

dorso collove domantur; alia, in iisque controversa. De mancipi rerum natura, qua ab aliis distinguantur, cf. Hugo § 204.

1) V. Hugo §. 205. Hein 2, 1, 10. — 2) Caj. 2, 18, *Magna autem differentia est mancipi rerum et nec mancipi; nam res nec mancipi nuda traditione abalienari possunt* (sic legunt, nescio, an recte), *si modo corporales sunt, et ob id recipiunt traditionem*. Cf. locum Caji, quem dedimus § 93. — 3) Ulp. 19, 3, *mancipatio propria species alienationis est, et rerum mancipi*. —4) Cf. Ulp. 19, 3, Cic. *Top.* 10. —5) Cf. §. 94. p. 126. et, ubi aliter, §. 339.— 6) Plaut. *Pers.* 4, 3, 55-62, *ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur; Mancipio neque promittet, neque quisquam dabit. — nihil mihi opus est litibus* (cf. Hor. *Ep.* 2, 2, 17 sqq.), *nisi mancipio accipio, quid eo mihi opus est mercimonio?* Lucret. 3, 984, *vitaque mancupio nulli datur, omnibus usu.* — 7) Ulp. *fragmm.* 19, 1, *omnes res aut mancipi sunt aut nec mancipi. Mancipi res sunt prædia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis domus; item jura prædiorum rusticorum, velut* (sic conjicit Hugo) *via, iter, actus, aquæductus; item servi, et quadrupedes, quæ dorso collove domantur, velut boves, muli, equi, asini. Cæteræ res nec mancipi sunt* (?). *Elephanti et cameli, quamvis collo dorsove domentur, nec mancipi sunt, quoniam bestiarum numero sunt.* Idem, ib. §. 4, *mancipatio locum habet inter cives Romanos, et Latinos colonarios, Latinosque Junianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est.* Ib. §. 5, *Commercium* (est) *emendi vendendique invicem jus.*

99. De acquirendi autem ratione, sive civilibus acquisitionibus, vel modis, ut recentiores loquuntur, acquirendi 1), notandum, alios, e jure gentium deductos, naturales, alios, e jure civili deductos, civiles vocari. Juris gentium faciunt occupationem, accessionem, traditionem 2). Occupatione res, quæ in nullius dominio (§. 96.), fit occupantis (*res nullius cedit occupanti.*); unde pendet formula *in commune*, re ab altero inventa, altero dimidium poscente 3). Accessione 4) rei domino acquiruntur, quæ hanc, tanquam natura, velut fructus arbori, conjuncta, aut pars ejus, velut partus ventris, facta, sequuntur (*accessorium sequitur principale.*) Traditio 5) naturalis, a civili diversa,

est rem suam in alterum mutuo consensu, nulla lege rituve servato, transferentis 6). Huc etiam trahendæ res, quæ, venditæ simpliciter, emtoris sunt, si pretium solutum esse constat.

Acquisitiones civiles ab aliis plures, ab aliis pauciores, ab Heineccio 7) duodecim 8) ponuntur 9): hereditas, mancipatio, in jure cessio, usucapio, sub corona emtio, auctio, traditio, adjudicatio, lex, arrogatio, donatio, modus ex senatusconsulto Claudiano. Ex his mancipatio (§. 97.), in jure cessio et usucapio jus proprium civibus Romanis 10). In jure rem sive corporalem sive incorporalem 11) vindicat emtor formula *hanc ego rem ex jure Quiritium meam esse ajo* (§. 57 et 87.), cedit dominus, vel tacens, vel negans, interrogante, an contra vindicet, magistratu, qui rem vindicanti addicit 12). In jure cessio in provinciis quoque usurpata; cæterum, ut minus commoda, rara fuit in rebus, quæ perinde mancipatione alienabantur 13).

1) Cf. Hugo §. 115.— 2) V. *Institt.* 2, 1, 11. — 3) Hein. 2, 1, 21. — 4) *Institt.* 2, 1, 19. — 5) Ib. §. 40. Cf. Hugo §. 121. — 6) Ulp. 19, 7, *traditio propria est alienatio rerum nec mancipi. Harum rerum dominia ipsa traditione adprehendimus, scilicet, si ex justa causa traditæ sunt nobis.* Cf. Caj. 2, 65 et 66.— 7) 2, 1, 22. — 8) Cf. Varro *de R. R.* 2, 10. — 9) Singularum rerum modos acquirendi Ulpianus 19, 2, facit mancipationem, traditionem, usucapionem, in jure cessionem, adjudicationem, legem. — 10) Caj. 2, 65, *Mancipationis et in jure cessionis et usucapionis jus proprium est civium Romanorum.* — 11) Cf. Hugo §. 97. —12) Caj. 2, 24. — 13) Cf. Caj. 2, 25.

100. Usucapione 1), rei, quam, bona fide acceptam 2), in bonis civis Romanus, sive emtione sive alias traditam, habet, dominium ex jure Quiritium continua per certum tempus possessione acquiritur. Peregrinus non usucapit rem civis Romani 3). Tempus e lege XII Tabb. in mobilibus annus, in fundis et ædibus biennium 4). A bona

fide possidentis, a rei natura, aliisque causis pendent exceptiones et conditiones, tum quoad personas, quibus competit, tum quoad res usucapionis capaces, legibus paulatim definitæ, e quibus jam lex XII Tabb., ne res surrepta usucaperetur 5). Prædia in provinciis non usucapiuntur, nisi in solo juris Italici 6).

Sub corona, i. e., teste quidem Cælio Sabino et Catône 7), coronis induta, antiquitus venibant mancipia jure belli capta. Diversa sententia, a circumstantibus militibus sub corona venire dictos esse, cui minus favet Gellius 8).

Auctione 9) res publice magistratus auctoritate, sub hasta, id est, hasta fixa, et proclamante præcone, veneunt 10); unde ipsa auctio hasta 11), et loquendi formulæ ***sub hasta vendere, venire, voci præconis subjicere, ad hastam accedere, emtio ab hasta.***

1) Olim simpliciter *usus* et *usus auctoritas* (v. Hugo §. 95. Cf. Cic. *p. Cæc.* 19, *Top.* 4.), post usucapio ab *usus* et *capio*, unde etiam sejunctum *usu capio* occurrit. — 2) Cf. Caj. 2, 43. — 3) Cic. de *Off.* 1, 12, *adversus hostem æterna auctoritas.* — 4) V. Cic. *p. Cæc.* 19, *Top.* 4. Cf. Plin. *Ep.* 5, 6. — 5) V. Hein. 2, 1, 22, Caj. 2, 49, Gell. 17, 7. — 6) Cf. Hein. 2, 6, 4, Hugo §. 203. — 7) Gell. VII, 4. Cf. Varro *de R. R.* 2, 10. — 8) Exempla venditionis sub corona habes ap. Cæsarem *de B. G.* 3, 16, ubi *omni senatu necato*, *reliquos* sub corona *vendidit*, ap. Liv. 43, 4, Flor. 4, 12, Tac. *Hist.* 1, 68. — 9) Ab aucto pretio? Cf. *auctor*, *auctoritas*. — 10) Cf. Liv. 23, 38, Cic. *de Off.* 2, 8 et 23, Fest. in *hastæ*. — 11) Cf. Cic. *Phil.* 2, 40, 4, 4, Corn. Nep. *Att.* 6.

101. Traditio 1), a simplice, quæ juris gentium, sed obscuro discrimine diversa, in rebus nec mancipi et mobilibus et immobilibus dat dominium ex jure Quiritium (§. 98); ex rei itaque natura, eadem naturalis aut civilis acquisitionis vim nanciscitur 2). Ad species trahuntur traditio *longa manu*, re coram acquirente, aut domi ejus deposita, *brevi manu*, re alteri, cui dare acquirens vult, tradita 3). Adjudicatione 4) quibusdam in judiciis, ut familiæ

erciscundæ, dominium ex jure Quiritium dat sententia judicis; ex lege idem acquiritur 5), si cui lex quædam addicit, quo trahuntur, quæ, ut fisco deferenda 6), bona caduca et, suspecto Ulpiani vocabulo 7), ereptitia vocantur. Arrogatio dat patriam potestatem et conjuncta huic jura (§. 89.) Donatio 8), naturalis acquirendi modus, si solennis, et per mancipationem, civilis fit ex lege Cincia 9). Senatusconsultum Claudianum 10) ad mulieres ingenuas pertinet ob concubitus cum servo alieno consuetudinem domino Prætoris decreto adjudicandas.

1) V. Hein. 2, 1, 26, Hugo §. 92 et 207.—2) Cf. Hugo §. 92. —3) Cf. Mackeld. §. 313. —4) Hein. 2, 1, 27.— 5) Ib. 28.— 6) Cf. Mühlenbr. part. spec. l. 2. §. 590. — 7) Ulp. *Fragmm.* 19, 17, ubi v. not. Schulting. — 8) Hein. 2, 7, 1. —9) Cf. Hein. 2, 7, 13. — 10) Id. 1, 16, 8.

102. Civium Romanorum pleraque jura, inprimis vero privata, more magis, si ita dicere licet, ritibusque ad antiquitates Romanas, quam juris ratione trahenda sunt: quæ tamen ratio nec prorsus præteriri potest, et minime debet in libro, quem ad jurisprudentiæ Romanæ studium transituris quam utilissimum esse cupias. Hanc adeo utilitatem nos quoque, ita tamen sequimur, ne antiquitates cum jurisprudentia confundere videamur: quæ confusio si hujus disciplinæ causa probanda sit, nec, cur aliis negetur, nec vero, si omnibus concedatur, quis antiquitatum finis sit futurus, videmus. Sic autem hic præsertim monendum ducimus, testamenta et hereditates, materiam aliquot in Pandectis voluminum, aliquot pagellis complexuri.

103. Bona et, quæ in bonis ponuntur, jura civis Romani vel ex ipsius voluntate testamento 1), quibus lex concedit, vel, si intestatus, (ab intestato, i. e., aut nullo aut irrito testamento,) moritur, ad heredes lege constitutos deferuntur 2). Testamentorum 3) civis Romani duo memo-

rantur antiquissima genera, alterum calatis comitiis, ob eam rem bis per annum habitis 4), populo rogato, incertum, quo præterea ritu, factum; alterum civis in prælium exituri 5), ideoque *in procinctu* adpellatum, herede, audientibus aliquot civibus, nuncupato. His accessit tertium, quod a mancipatione *per æs et libram* dixerunt, idque olim, teste Cajo, nonnisi valetudine urgente, sed idem post XII Tabb. mox unum, ut videtur, quamvis mutato nonnihil ritu, usurpatum 6); de quo Cajus 7), olim familiam (bona) amico (familiæ emtor) esse a testatore mancipio datam, eidemque mandatum, *quid cuique post mortem suam dari vellet;* hunc enim heredis locum obtinuisse; nunc vero (Caji tempore) alium heredem testamento institui, alium, propter juris antiqui imitationem, familiæ emtorem dicis causa adhiberi 8); mancipationem autem, consueto scilicet more, coram quinque testibus, civibus Romanis puberibus, et libripende fieri — antestatum non memorat — Peracta mancipatione testatorem, tabulas testamenti tenentem, pronuntiare: *hæc, uti in his tabulis (cerisve) scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor; itaque vos, Quirites, testimonium mihi perhibetote (præbitote).* Sic duabus partibus ritus, familiæ emtione, et nuncupatione, sive solenni confirmatione 9), constat. Inter testes, quorum numero libripens habebatur 10), non admissi, qui in potestate aut familiæ emtoris aut testatoris, nec is, cujus in potestate emtor esset, omninoque domesticum testimonium excludebatur. Militibus operosi hujus ritus observantiam constitutionibus Principum remissam esse 11), docet Cajus 12); quare eos sine familiæ emtione et nuncupatiane recte testari, ne legitimo quidem testium numero requisito 13).

1) Cf. Ulp. *Fragg.* 20, 1. — 2) Cf. Hugo §. 105. — 3) A testando, tanquam voluntatis coram populo solennis declaratio. Cf. Hugo §. 105. — 4)

Cf. Caj. 2, 101, Hein. 2, 10. 11. 12, 2. — 5) Cf. Gell. 15, 27. — 6) Cf. Ulp. *Fragmm.* 20, 2, Hein. 2, 10. 11. 12., 13. — 7) 2, 103. sqq. — 8) Cf. Suet. *Nero* 4. — 9) V. Caj. 2, 104. — 10) Ib 107. — 11) Cf. Hein. 2, 10. 11. 12, 3 et 16. — 12) §. 109. — 13) Ad vetustissimum testamenti in procinctu ritum, quem non memorat Cajus, incertum, quid trahendum ex iis, quæ seriore ætate (Cf. Vell. 2, 5, Cic. *de N. D.* 2, 3, *de Orat.* 1, 53) obtinuisse accipimus (v. Hein. 2, 10. 11. 12, 5); in quibus, ut in procinctu testantes cinctu gabino (cf. Serv. ad. *Æn.* 7, 612), scuto manus inserentes, tribus aut quatuor audientibus, heredem suum nuncuparent. Longe diversa est sub Cæsaribus testamenti militaris ratio. V. Hein. 2, 10. 11. 12, 16.

104. Condendo testamento, ut recte omnia fierent, et, quæ liceret, tantum statuerentur, plerique, ut par erat, jureconsultos, neque tamen coacti, adhibebant 1). Cæterum, aut ipse testator integrum, holographum 2), scribebat, aut alterius manu 3), servi, liberti, amici, scripto addebat, se dictasse, et recognovisse. Alterius testamenti scriptor ne legatum sibi adscriberet, cautum sub Nerone refert Suetonius 4). Testium subscriptionem et subsignationem 5), unde obsignare, resignare testamentum 6) etc, Prætor demum exegit 7). In testamentis nonnisi lingua Latina 8), in fideicommissis Græca etiam et aliæ 9) admissæ. In ceris plerumque sive tabulis scripta esse, vel inde patet, quod ceræ interdum, et vulgo tabulæ vocantur 10); unde de partibus cera prima, ima, etc.

1) Cf. Cic. *de Orat* 2, 6, Suet. *Nero* 32, Hein. 2, 10. 11. 12., 8.—2) Cf. Isid. *Origg.* 5, 24.—3) Alterius testamentum scribens testamentarius dictus. Cf. Ulp. D. 28, 5, 9, 3. De falsum scribente usurpat Cicero, *de Off.* 3, 18. V. Briss. *de Form.* VII. p. 587. — 4) Nero 17. Suetonium errasse, et sub Claudio cautum esse, suadent loci Pandectarum. — 5) Cf. Cic. *Verr.* 1, 45, Suet. *Tib.* extr. — 6) Cf. Hor. *Ep.* 1, 7, 9. — 7) Cf. Caj. 2, 119 et 147, Hein. 2, 10. 11. 12., 7. — 8) Cf. Ulp. *Fragmm.* 25, 9. — 9) Hein. §. 10. — 10) Hor. *Sat.* 2, 5, 51, *Qui testamentum tradet tibi cunque legendum, abnuere, et tabulas a te removere memento, sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo cera velit versu; solus multisne cohæres, veloci percurre oculo.* Cf. Juven. 4, 19.

105. Ut valeat testamentum, primum requiritur testandi jus, *testamenti factio* 1); velut, ne peregrinus sit testator, ne capite deminutus; deinde in aliis ritus lege præscriptus, in eoque solennis heredis et probanda formula institutio, velut, *N. heres esto*, non item *heredem esse volo* 2). Peregrini, ut par erat, non faciebant testamentum jure Romano. E civibus non sui juris homines cur testari antiquitus non potuerint, plures causæ adferuntur; unam necesse fuit manere, quamdiu nil possidebant (§. 85). Fœminæ, comitiis et militia exclusæ, vel ideo olim non testabantur; post concessum, si sui juris et tutore auctore testarentur 3). Impuberi, etiam qui sui juris, cur non licuerit, olim eædem, quæ in fœminis, causæ. Inter cæteros testamenti factionem non habebant furiosi.

1) V. Caj. 2, 114 et 145. —2) Ib. 117. 121. —3) V. Ulp. *Fragm.* 20, 15, Caj. 2, 118, Cic. *p. Cæc.* 6, Hein. 2, 10. 11. 12., 19, et in Hauboldi *Epicrisi* pag. 936. loc. Cic. *Top.* 4, et Caj. 1, 115.

106. Lex XII Tabb., jubens *uti legassit, ita jus esto*, plenum, quoad heredes, patrifamilias arbitrium dabat, adeo quidem, ut filium, silentio præteriens in testamento, exheredaret: quod in libera civitate mutatum non esse, e Cicerone 1) colligimus. Post in sua potestate constitutum vel nominatim exheredare patri, vel heredem facere necesse fuit. Proximos excludentis testamentum inofficiosum vocatur; quam licentiam circumscripsit lex, querelam inofficiosi testamenti liberis exheredatis concedens 2). Ab exheredatione diversa abdicatio liberos a conspectu suo removentis, quam, a Græcis usurpatam, inter Romanos etiam, quamvis legibus improbatam, sensim inolevisse existimat Heineccius 3).

Intestati hereditas 4), unde heres ab intestato, et ab intestato succedere, lege XII Tabb. ad suos (§. 107.) heredes,

si desunt, ad agnatos, si et agnati desunt, ad gentiles (§. 81.) pertinet 5). Priscam juris iniquitatem emendaverunt edicta Prætorum, quibus liberi sui juris ad hereditatem, sive soli sive cum aliis concurrentes, vocabantur 6).

1) *De Orat.* 1, 38. — 2) V. Hein. 2, 10. 11. 12, 21 et 22. — 3) Hein. ib. §. 23. Cf. Val. Max. 5, 8, 3 et 4, Mühlenbruch *Doctr. Pandd.* pars spec. l. 1. § 297 — *nec abdicare pater liberos potest, nec emancipare invitos.* L. 6. C. *de patr. pot., abdicatio, quæ Græco more ad alienandos liberos usurpabatur, et ἀποκήρυξις dicebatur, romanis legibus non comprobatur.* Cf. Dirksen. *Versuche* pag. 62. sqq. — 4) Caj. 3, 1. — 5) V. Caj. 3, 1-25. — 6) Caj. 3, 25 sqq.

107. De jure autem obtinendæ aut recusandæ hereditatis, triplicis generis heredes distinguendi, quatenus heredes aut necessarii sunt, aut sui et necessarii, aut extranei 1). Necessarius est servus, heres testamento, data simul, quod necesse fuit, libertate (§. 59.) institutus; suus, quasi domesticus et suorum heres 2), et necessarius est, qui in patria potestate morientis, sive heres institutus ab eo sive non: utrosque adire hereditatem lex jubet. Extraneus est, qui non est in morientis potestate 3), ideoque liberi, si, heredes a patre instituti, moriente eo, sui juris sunt, extranei videntur. Servum sæpe obærati heredem instituebant, ut ejus, non ipsorum esset bonorum a creditoribus venditorum ignominia 4), qua filios eximebat Prætor, abstinere ab hereditate permittens 5).

Heredibus extraneis cretio dari a testatore solebat, i. e. tempus, quo *cernerent* (decernerent et declararent), vellentne hereditatem adire; unde, Caj. 2, 165, formula: *Heres Titius esto, cernitoque in centum diebus, quibus scies poterisque; quod si non ita creveris, exheres esto;* et cernentis: *quod me Publius Titius testamento suo heredem instituit, eam hereditatem adeo cernoque.* Omissis verbis *quibus scies*, cretio est certorum dierum.

Contra heredem sine cretione creditoribus Prætor succurrit, tempus constituens, quo, nisi adeat hereditatem, bona veneant 6).

1) V. Caj. 2, 152. — 2) Cf. Caj. 2, 157. — 3) Caj. 2, 156. — 4) Cf. Caj. 2, 154. — 5) Ib. §. 158. — 6) Ib. §. 167.

108. Inter heredes etiam distinguendi, qui substituti, cæterum secundi, tertii, vel secundi, tertii aut inferioris etiam gradus dicuntur 1), hereditate, si priores aut non possint, aut nolint, potituri 2). Peregrini, in iisque Latini, ut non testari jure Romano, sic heredes esse non poterant; militibus tamen utrosque instituere permissum 3), insuperque Latini ex fideicommisso hereditatem et legata capiunt 4). Sub Augusto legibus (Julia et Papia Poppæa) hereditate, quod ad Constantinum M. obtinuit, exclusi cœlibes, exceptis, qui genere proximi, et pars exigua relicta sterili matrimonio orbis 5). Denique excludebantur etiam universitates (§. 96.), paulatim tamen concessis exceptionibus, in iis, ut municipia heredes esse possent suorum libertorum 6).

1) V. ib. §. 154. — 2) Cf. Hor. *Sat.* 2, 5, 45. sqq., Tac. *Ann.* 1, 8, Suet. *Aug.* 101, *Claud.* 6. — 3) Caj. §. 110. — 4) Ib. §. 275. — 5) Cf. ib. §. 111, Hein. 2, 14, 2. — 6) Hein. ib.

109. Quæ testamento aliis, quam heredi, relinquuntur, legata 1), tanquam heredi mandata, is, cui legatur, legatarius dicitur 2). Olim, atque, ut vero proximum videtur (cf. *uti legassit*), jam ex lege XII Tabb. licebat *totum patrimonium legatis atque libertatibus erogare* 3). Posterius lex Furia, quantum singulis legari posset, dein lex Voconia (a. 585), ne cui plus, quam heredi legaretur, postremo autem lex Falcidia (a. 714), ut non minus quarta parte heredi relinqueretur, cavit 4).

1) A *legare*, i. e. mandare. Cf. XII Tabb. *uti legassit*, et Hein. 2, 23, 5. — 2) Legatorum et rei natura et legandi modis sive formulis varia est juris

ratio (Caj. 2. 195. sqq.); modi autem memorantur quatuor, vindicatio, damnatio, præceptio, sinendi modus. Per vindicationem legatur res, quæ in legantis dominio e jure Quiritium est, per damnationem, quæ in bonis est, etiam res aliena (ib. §. 102.) Vindicatione legatario est actio in rem, qua legatum sibi vindicat (ib. §. 194.); damnandi vel sinendi modo legatario est actio in personam, qua legatum ab herede petit (ib §. 204 et 213.) — 3) Caj. 2, 224. — 4) V. Hein. 2, 20-22, 18.

110. Eorum, quæ testamento, non eadem est juris ratio, quam eorum, quæ fideicommisso relinquuntur. Fideicommissum, arguente voce, est fidei commissa sive credita significatio, qua quis heredem suum, sive prece testamento addita, sive codicillis 1) rogat, ut alteri, quem ei indicat, hereditatem deferat 2). Qui sic rogatur, heres fiduciarius, is, cui hereditas tradenda, heres fideicommissarius adpellatur. Fideicommisso cum iis, quos e testamento capere lex non sinebat, aliquid, tum aliis plura, aut alia, quam sinebat, relinquere dabatur 3). Restitutio ab heredis fide et pudore pendebat; quippe qui nullo juris vinculo, sed precibus tantum testatoris obstrictus 4); donec, jubente Augusto, contra nolentem restituere lege agere permissum. cognitione primum Consulibus delata, posterius inter hos et Prætores Fideicommissarios (§ 196) divisa 5). Sic fiduciario, qui, restituta hereditate, heres tamen manebat, nil præter onera obligationesque relictum: quæ quum pauci jam suscipere vellent, in fideicommissarium sub Nerone transtulit senatusconsultum Trebellianum (a. 814); præmium suscipientibus sub Vespasiano addidit Pegasianum, quartam, ad similitudinem legis Falcidiæ, partem fiduciario tribuens.

1) V. Mackeldey *Lehrb. des röm. Rechts* §. 505 et 532. — 2) Formulam habes in loco Caji 2, 250: *cum igitur scripserimus:* (Lucius) Titius heres esto, *possumus adjicere* (sc. testamento): rogo te, Luci Titi, petoque a te, ut, cum primum possis hereditatem meam adire, Gajo Sejo reddas, restituas. De formulis sive verbis precativis fideicommissorum

v. Hein. 2, 23-25, 2. — 3) Cf. Caj. 2, 289. — 4) Ulp. *Fragm.* 25, 1, *Fideicommissum est, quod non civilibus verbis, sed precative relinquitur, nec ex rigore juris civilis proficiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis.* — 5) V. Hein. 2, 23-25, 4.

111. Codicillis 1) civis Romanus heredibus suis, quæ post ipsius mortem faciant, præcipit. Multos et antea præcepisse, certe rogasse, nemo dubitet; sed jussis parendi necessitas primum imposita auctore Augusto, quod cur et quomodo acciderit, narrant *Institutiones* l. II. t. XXV 2). Ut heredes, sic codicilli alii sunt ab intestato, i. e., ad heredem ab intestato, alii testamentarii; et facti et in posterum faciendi testamento confirmari poterant; unde codicilli confirmati, non confirmati. Testamentarii, ut pars testamenti, cum eo aut stant aut cadunt 3). Codicilli non scripto tantum, sed voce etiam, cæterum, nulla præterea ordinationis solennitate, de more, ut testamentum, quinque testibus fiunt 4). Codicillis cum testamento communis est supremæ voluntatis testatio, et Mackeldey 5) codicillos vocat quamque supremæ voluntatis significationem (*Verordnung*), quæ non sit testamentum; a quo, ut solennitate aliisque, sic eo differunt, quod hereditatem neque dare, neque adimere nisi per fideicommissum, sive verbis precativis 6), non directo, possunt. Testamentum irritum, si nihil contineat, quo ne codicillorum quidem vim habere queat, hanc nanciscitur, si testator diserte addit, se velle testamentum, si non valeat ut testamentum, ut codicillos valere 7).

1) A codice, i. e. tabula, ut libellus a libro. Alia vocis significatio §. 237. — 2) Theophilus *Institt.* 2, 25, *Primus L. Lentulus hos invenit et in rempublicam induxit. Lentulus enim Romæ testatus scripsit heredem filiam suam et Augustum Principem et alios; dixitque in testamento sic: si quos posthac codicillos fecero, firmi sunto.* etc. — 3) V. Mack. §. 506. — 4) Ib. §. 507. Aliter Hein. 2, 23-25, 15. Cf. Vinn. *Institt.* 2, 25. — 5) § 505. — 6) Fiduciario scilicet quartam Falcidiæ, ut vocant, relinquentes (§. 110.) V. Vinn. ad *Inst.* 2, 25, 2. — 7) V. Mack. §. 508.

112. Jure tutelæ civis Romanus impuberi, qui morte ejus sui juris fit 1), testamento vel codicillo confirmato (§. 111) tutorem dat, qui tutor recte datus, vel testamentarius, ut tutela testamentaria, dicitur; si non dedit, tutela lege ad proximum impuberis ab intestato heredem pertinet 2), isque tutor legitimus, tutela legitima dicitur; ad quam præterea trahitur, quæ patroni, quæ patris fiduciarii (§. 87), quæ mulierem, a coemptionatore sibi mancipatam, manumittentis 3). Tertium genus, deficiente, aut impedito testamentario aut legitimo, aliisque de causis, a magistratu, cui jus tutores constituendi, datus tutor, ob eamque rem dativus, ut tutela dativa, adpellatus. Tutela vel lege, ut pubertate pupilli 4), morte vel pupilli vel tutoris, pupilli capitis deminutione, tutoris libertate aut civitate amissa, cessat, vel judicis sententia, velut, suspecto tutore, aliasque ob causas. Tutela in jure quoque cedebatur; unde cessicus, cui cessa est, tutor, et cessitia tutela 5). In fœminis a pupillari distinguunt perpetuam tutelam 6).

1) Mack. §. 273. — 2) Mack. §. 275. — 3) V. Caj. 1, 114 et 115, Ulp. *Fragmm.* 11, 5, ubi talis tutor fiduciarius adpellatur, Hugo pag. 118. ed. 8.—4) Suet. *Aug.* 66, *legata vel partes hereditatum, a quibuscunque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut, si pupillari ætate essent, die virilis togæ vel nuptiarum cum incremento restituere consueverat.*—5) Ulp. *Fragmm.* 11, 7. —6) Cf. Liv. 34, 2, 39, 19, Cic. *p. Flacco* 34 et 35, *p. Murena* 12. V. Hein. 1, 13 etc., 16.

113. Peregimus de civitate. Civibus opponuntur peregrini, de quibus hic universe, de singulis autem infra exponemus. Peregrini, i. e. non cives, quorum status peregrinitas, a Romanis antiquitus hostes 1) adpellati, sive humane, tanquam hospites, ut facile placuerit hæc vocabula ejusdem originis fingenti 2), sive inimice potius, quod

citius crederes, eorum in libera civitate intuens conditionem. Duriorem enim hanc fuisse, eo colligimus, quod sæpe magistratuum arbitrio expulsos esse constat 3). Cæterum, in juris peregrinorum ratione cum aliis hæc notata reperimus. Proprio Quiritibus jure exclusi, iis omnibus carebant, quæ hoc privata et publica jura continentur (§. 70.), illis contra fruentes, quæ juris gentium dicuntur 4). Igitur nec suffragii, nec honorum participes, nec libertate Quiritium a flagris virgisque tuti erant, nec connubio cum civibus Romanis, nec patria eorum potestate, nec dominio quiritario, velut mancipio aut usucapione (§. 99.), nec testamenti jure gaudebant; et vero morientium bona vel patrono, vel, si deesset, fisco cessisse, docet Heineccius 5). Iidem propriæ etiam jurisdictioni (§. 190) subjecti, in urbe, ut par erat, nonnisi publica venia, et precario, ac sæpe, ut sane Heineccio videtur, sub civis alicujus patrocinio vivebant, denique, toga iis interdicta 6), habitu etiam, et, prænominibus carentes, tanquam nominis adeo jure 7) a civibus discernebantur. Civitate autem donati, cui hoc beneficium deberent, ejus nomina accipere solebant. Hæc universe. Sed, quum peregrini etiam dicantur socii et in iis Latini, exceptio hoc nomine facienda a proprio singulorum cum populo Romano juris nexu pendet. Verum universim quoque conditio peregrinorum cum durante republica, tum inprimis sub Cæsaribus 8) melior facta; singulis quoque vel populi vel senatus beneficio vel Principis benignitate jura quædam civium concessa inveniuntur 9).

1) Cf. Cic. *de Off.* 1, 12. — 2) Cf. Hugo §. 64. — 3) Cf. Cic. *de Off.* 3, 11, *Brut.* 28. V. Hein. *App.* 136. — 4) V. Creuz. §. 204. — 5) *App.* 137. — 6) Cf. Plin. *Epist.* 4, 11, l. 32. *Digg. de jure fisci.* — 7) Suet. *Claud.* 25, *peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare romana nomina, dumtaxat gentilitia.* — 8) Cf. Beauf. v. 2, p. 170. — 9) V. Hein. *App.* 34 et 138.

MUNICIPES, COLONI, SOCII, DEDITICII.

114. Civibus Romanis municipes omnes, colonorum alii civibus, alii, ut socii et dediticii, peregrinis adnumerandi. Inter socios autem singularis ratio Latinorum, et a latinitate sive jure Latii diversum jus Italicum. Sic nominibus distincta singula deinceps explicamus.

Ad mirandam Romanorum a tenuissimis opibus potentiam duo præsertim instituta mognopere valuisse, res est a multis animadversa, alterum, quod, pacem non nisi victores facere sueti, victos Italiæ populos alios civitate, alios fœdere secum conjungebant, alterum, quod, per victos cives suos coloniis spargentes, remotiores etiam absentibus armis facilius in officio continebant. Hinc tria urbium Italiæ genera, municipia, coloniæ, et fœderatæ, ut vocant, civitates; quartum non absurde faciemus præfecturas (§. 126), ut juris ratione a cæteris, sic nomine etiam distinctas 1).

1) Cf. Cic. *p. Sext.* 14.

115. Municipes dictos esse, queis populos Romanus quædam suæ civitatis jura concessisset, ipsa vox diserte arguit, sive tanquam munia, honores scilicet aut magistratus, capientes, sive, quod malo, omnino muneribus, tanquam donis, fruentes intelligamus 1).

Jura municipum non eadam omnibus, omnes tamen cives fuerunt, eoque a Latinis, jam Regum ætate singulari cum populo Romano juris vinculo consociatis, differunt. Sed uti civitas (§. 67), sic municipes alii dicuntur cum suffragio, alii sine suffragio 2); neque alio quam municipum nomine adpellatos reperio, quicunque, civitate donati, non cum urbe locorum etiam nexu conjungerentur, ut pote nec in ipsa urbe, nec circum in agro, ut vocant, romano habitantes. Sic idem erit, duplex municipum genus atque duplicem civitatem jure discernere; neque mirabimur, in

diversa abiisse recentiores. Ex his Sigonius 3) alteri generi jus militiæ, Roth (p. 14) nil præter nomen civis 4), alteri uterque omnia jura tribuunt, nisi quod Sigonius jus domicilii, Rothius autem hoc unum excipit *majestati urbis vel datum potius utilitati reipublicæ, ut non in singulis municipiis,* sed in *sola urbe suffragium ferendi* jus esset. Ac sane, excepto fortasse jure honores in urbe petendi 5), non videmus, quid ad plenam, ut vocant, civitatem municipibus cum jure suffragii defuerit, præter ea, quæ quodammodo necesse erat propria esse civibus Romæ habitantibus, cæterum eo minus ad deteriorem municipum conditionem trahenda, quoniam eos nil impediebat, quominus, Romæ domicilium collocantes, principis urbis excellentia et ipsi fruerentur. Comitia autem curiata, sacra privata, patronatus in urbe rationem, senatum, alia vetustissima instituta ad optimam civitatem referre, vereor, ne præposterum videatur.

1) Cf. Fest. in *municeps* et *municipium*. — 2) Municipes sine suffragio primi (a. 365) incolæ urbis Cære in Etruria (v. Gell. 16, 13. Cf. Liv. 5, 5, Strabo l. 5, p. 220, Roth. *de Re Municipali* p. 5); unde in Cæritum tabulas referre (§. 198); posterius cum aliis multis Campani, et Fundorum, Sinuessæ, Formiarum incolæ occurrunt (Liv. VIII, 14.) — 3) *De Ant. Jure Italiæ* 2, 7. — 4) Cf. Paul. Manut. *de Civit. Rom.*, *Thes. Græv.* v. 1, p. 48. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 11, 23.

116. Municipes alios suis, alios Romanis legibus usos esse, non ambiguum. Sed, utrisque suas leges servare juxta licuerit, an municipes cum suffragio Romanas accipere, ut nobis persuasum, coacti sint, diversis sententiis quæsitum 1). Qui negant, coactos esse, Gellium sequuntur 2). Civitatem cum suffragio, ideoque, quod necesse diximus fuisse, leges Romanas accipientes dicebantur fundi fieri; unde fundus fieri legi, municipia fundana, etc., 3). Fundi facti, arctissimo vinculo juris ac

legum cum populo Romano ligati 4), Romam quasi alteram majoremque patriam habebant 5); unde non miremur, municipem, ut Milonem, eodem tempore Romæ et in patria urbe magistratum 6).

1) Cf. Spanh. *Orb. Rom.*, *Thes. Græv.* v. 11. p. 36. Hein. App. 120. Roth. *de Re Municip.* p. 17. — 2) Gell, 16, 13, *Municipes ergo sunt cives Romanis ex municipiis, legibus suis et suo jure utentes, muneris tantum honorarii cum populo Romano participes, a quo munere capessendo adpellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, nisi in quam populus corum fundus factus est.*

Gellium hic errasse, ex uno Livio sic conficere possis. Is enim sæpius gentem aliquam suas leges Civitati Romanæ præferentem memorat (Cf. Cic. *p. Balbo.* 8); unde recte colliges, leges Romanas muneris oblati conditionem fuisse; nec vero credibile est, non omnibus eandem esse propositam, ac minus etiam credibile, hic civitatem sine jure suffragii intelligi; quoniam et certum est, non omnes municipes legibus Romanis usos esse, et absurdum, putare, minus beneficium suas perdituris leges, majus servaturis oblatum esse. — 3) Cf. Cic. *p. Balbo*, 8, Gell. 16, 13, Spanh. *Orb. Rom.* 1, 12, Hein. *App.* 88, et *Hist. Jur. Rom.* 1, 3, 79, Bach. *Hist. Jurispr. Rom.* 2, 2, 1, §. 69. *Fieri fundus* quid sit, nostra etiam ætate accuratius docere conatus Dirksen, ad *Tabb. Heracl.* p. 211. sqq. quem probat Macieiowski *Hist. jur. Rom.* p. 65. — 4) Cf. Roth. 1, 5. — 5) Cf. Cic. *Agrar.* 2, 32. Idem de *Legg.* 2, 1, *hæc est mea et hujus fratris mei germana patria; hinc enim orti stirpe antiquissima; hic gens, hic majorum multa vestigia.* — 6) V. Cic. *p. Mil.* 10.

117. Municipes, etiam, quibus jus suffragii, magistratibus 1) a se lectis, non Roma missis utentes, liberam, ut Roma, habebant reipublicæ formam, liberæ civitatis instituta, in iisque jurisdictionem, quippe quæ illis legibus continerentur 2). Hinc, ut Romæ senatus et Consules, in municipiis Decurionum 3) collegium (ordo, Curiales) et Duumviri 4), insignia illorum titulosque adfectantes; hinc et Quæstores, Ædiles, et, Tribunis Plebis respondentes, Defensores Civitatum, Censoribus respondentes Quinquennales, alii denique, munere plerique, quidam, ut Dictatores, nomine certe Romæ magistratus

referentes 5). Similem quoad sacerdotes rationem fuisse, multa, ut credamus, suadent 6). Nec vero minus ambitiosa imitatio in ædificiis publicis, oppidorumque ornamentis; unde in municipiis Campus, Arena, Capitolium, alia; omninoque municipia in iis quoque rebus, in quibus non cogebantur, matris Imperii morem studiose imitata, singula veluti parvam Romæ imaginem exhibebant.

1) Cf. Hugo §. 261. — 2) Cf. Roth. p. 23. — 3) A *decuria*, quod proprie de numero deno, latius patente significatione, de parte, sectione, etc (§. 269.) Cf. Pomp. *Pandd*. 50, 16, 239, §. 5. — 4) Cf. Cic. *Agr*. 2, 34, in *Pis*. 11. — 5) V. Hein. *App*. 123. — 6) Cf. Cic. *pro Mil*. 10, ibique not. Asconii.

118. Municipum jus singulis etiam civibus datum. Cæterum, municipia Italiæ, quorum magnus numerus, post civitatem universæ donatam, quamvis hoc jure cæteris urbibus exin pares, nomen servarunt 1), manente etiam administrationis discrimine 2). Extra Italiam municipia sub Cæsaribus demum inveniuntur 3), quorum cives optimamne, qualis tum erat, civitatem habuerint, an eodem fere jure, quo olim municipes sine suffragio fuerint, difficile sit, sive universe sive in singulis, demonstrare; honorum tamen in urbe petendorum jure eos caruisse, e Taciti loco 4) suspicamur 5). Municipiorum reipublicæ formam administrationis, omnino statum cum Imperio, cujus pars erant, mutari necesse fuit. A Constantino M. primum vehementer adflicta esse, docet Roth (p. 32.) Civitate autem cum toto Imperio communicata, sublato, quoad civium jura, oppidorum discrimine, omnia promiscue municipia adpellari cœperunt, servatis tamen municipum priscorum privilegiis quibusdam 6).

1) V. Roth. p. 7. — Gell. 16, 13, *Prænestinos autem refert* (Hadrianus), *maximo opere a Tiberio Imperatore petiisse orasseque, ut ex colonia in*

municipii statum redigerentur, etc. Cf. Roth. pag. 26. — 3) Cf. Plin. *H. N.* 3, 2, et Tac. *Agric.* 32. — 4) *Ann.* 11, 23. — 5) Cf. Roth. p. 26. — 6) V. Gell. 16, 13, Roth. p. 26.

119. De coloniis cætera alibi (§. 241), hic juris eorum in Imperio Romano ratio et ab ea pendens divisio proponendæ. Coloniarum vulgo quatuor genera distinguuntur, civium Romanorum, Latinæ, Italicæ, militares. Colonias civium Romanorum, vel simpliciter Romanas, initio, quin adfirmare ausim, potius tamen crederem, non tam a civitatis, quod servabant, jure, quam a colonis vocatas esse, qui ad Romanas e civibus Romanis, ad Latinas e Latinis legerentur 1). Posterius, Italia jam civitate donata, in provinciis, inter cives vel peregrinos aut promiscue lectis colonis, a jure, Romanæ scilicet a civitate, Latinæ a latinitate adpellatæ sunt. Colonias Italicas vulgo faciunt, quarum coloni nec cives Romani, nec Latini, Itali tamen sint; cæterum, nec ullæ in Italia memorantur, et in provinciis memoratas non a colonis Italis, sed a jure Italico dictas esse, nunc quidem inter omnes constare videtur 2). Quare rectius coloniæ juris Italici, certe Italicæ nonnisi a jure adpellentur: quod quale sit, quum §. 123 explicuerimus, de his coloniis hic nihil addendum putamus.

1) Cf. liv. 27, 9. et 10, (ubi habes colonias latinas, quarum coloni e civibus romanis), 39, 55, 29, 15, et Cic. *p. Cæc.* 33, *certe, quæri hoc solere, me non præterit, quemadmodum, si civitas adimi non possit, in colonias Latinas sæpe nostri cives profecti sint? Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt, quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* — 2) V. Hauboldi *epicrisis* ad Hein. *Syntagm. App.* §. 129.

120. De coloniarum autem civium Romanorum et Latinorum jure, dubium quidem non videtur, quin Romanæ civitatem, Latinæ autem non habuerint 1); sed controversia fuit, plenamne civitatem, an, quod verissimum ducimus, sine jure suffragii et honorum habuerint 2). Immi-

nutum autem colonis jus ideo minus mireris, quoniam inter pauperrimos maxime, ob eamque rem suffragii nomine magis quam re participes, coloni legebantur. Nec vero, Latinos in Italia colonos, credibile est, potiori jure fuisse, quam in suis civitatibus fuerant; sed, an aliquid juris, quidve amiserint, nemo facile expediet. Provinciarum autem colonias Latinas a jure Latii vocatas diximus.

Leges coloniæ, ut municipes cum suffragio (§. 116.), Romanas habebant, forma autem reipublicæ, omnino publicis institutis, a fœderatis civitatibus eo differebant, quod his quoque a populo Romano datis utebantur 3); quæ quum municipes etiam non coacti imitarentur, consentaneum erat, ab his colonias parum discrepare; et vero eum magistratus, tum alia in utrisque fere eadem inveniuntur.

1) Cf. Cic. l. c. — 2) Cf. Dio Cass. 43, 39, Sigon. *de Ant. Jure Ital.* 2, 3, 3, 3), Paul. Manut. de *Civ. Rom.* (*Thes. Græv.* v. 1. p. 48), Spanh., *Orb. Rom.* 1, 9 et 10, 2, 19. (ib. vol. 11.), Hein. *App.* 106. sq., Creuz. §. 211. — 3) Gell. 16, 13, *coloniarum alia necessitudo est* (quam municipiorum); *non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nituntur, sed ex civitatibus quasi propagatæ sunt, et jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habent.*

121. Colonias militares, jure, quantum reperimus, a Romanis non differentes, hic nominasse satis. Cæterum, quia provinciarum colonias easque multas latinitate aut jure Italico donatas legimus, hinc conjicimus, colonias tum fuisse a tribus generibus, quæ jure distinximus, diversas 1): de quibus et alia quærere possis, et, quomodo a sociis provinciarum civitatibus aut dediticiis differant? Denique non absurda quæstio, an coloniæ Latinæ, qua Latinæ, soli dominium, quod jure Italico contineri diximus, habuerint? Sed juris discrimina inter municipia, colonias et socias civitates, ipsarumque coloniarum et sociorum, ut ad sera Cæ-

sarum tempora durasse, certum est 2), sic minuta quæcunque nec scire nobis concessum, nec tanti est, ea scrupulose inquirere, quæ si singula potius, quam, multa et varia esse, intelligeres, tamen ad graviorum cognitionem rerum parum juvareris.

1) Cf. Caj. 1, 79. — 2) Cf. Hugo §. 338.

122. Instituto, quod diximus (§. 114), servato, Italiæ, præter municipes et colonos, populi sociorum sive fœderatarum civitatum nomine a Romanis comprehensi 1), quod quibus contra singulos bellis quibusque fœderis conditionibus factum sit, expositum a C. Sigonio habemus 2). In sociis Italiæ civitatibus Tibur, Capua (post præfectura facta), Neapolis, Tarentum, aliæ multæ memorantur.

Sociorum autem populo Romano ut antiquissimi, sic fœderis conditione præstantes Latini, de quibus infra separatim. Communis tamen conditio tributum et ad bellum auxilia præbere 3). Cæterum, non modo libera, cum alias, tum lectis a populo magistratibus, reipublicæ forma sociis relicta 4), sed quædam insuper singulis, alia, in quibus jus Italicum, cunctis (?) concessa. Postquam vero Italiæ toti civitas data, qui socii hucusque populo Romano, cæteris incolis jure æquati sunt, ac Romanis jam legibus utentes 5), ex his formam suarum civitatum constituerunt, antea, ut par erat, alii ab aliis institutis diversi. Ut olim Italiæ, sic provinciarum civitates municipum, colonorum et sociorum nominibus distinctæ inveniuntur; cæteri incolæ dediticii, qui in Italia nulli fuerunt. Quanquam sociorum in provinciis multis de causis alia ratio; ac sæpe nomine magis quam jure a dediticiis differentes, quandoque et provinciales promiscue socii adpellantur.

1) Cf. Beauf. v. 2. p. 268. — 2) De *Ant. Jure Ital.* 1, 8. sqq. — 3) Cf. Liv. 27, 9 et 10. — 4) Cf. Sigon. *de Ant. J. It.* 2, 10. — 5) Cf. Hugo §. 164.

123. De jure Italico autem, dubium quidem non erat, Italicum dici, ut Italis Romanorum sociis, dubito, an omnibus, olim concessum 1), et provinciarum nonnullas civitates eo gavisas esse, veterum testimonio constabat 2); sed, quo contineretur, postquam cum Carolo Sigonio multi frustra quæsiissent, primus Savigny in dissertatione (*Ueber d. Jus. Ital.*) acute docuit, non personæ illud jus, ut civitatem Romanam aut latinitatem, sed soli urbisque esse, ita scilicet, ut ipsi cives Romani eo non, ut aliis, veluti libertate aut patria potestate, ubique per Imperium, sed in ea tantum civitate, cui donatum esset, fruerentur; cæterum jure Italico duo contineri, solum commercii 3), i. e. usucapionis, in jure cessionis, mancipationis et vindicationis, dominii ex jure Quiritium (§ 99.), capax, et liberam reipublicæ formam, qualis in sociis Romanorum Italiæ civitatibus fuit, cum Duumviris, Quinquennalibus et Ædilibus, præsertim vero cum jurisdictione (§ 117.); a commercio autem separari non posse a censu soli immunitatem.

1) Cf. Creuz. §. 263. — 2) Mentio juris Italici his duntaxat veterum locis occurrit, Plin. *H. N.* 3, 3 et 21, *Pandd.* 50, 15, *Cod. Theod.* 14, 13, *Cod. Iust.* 11, 20. — 3) Cf. Hugo §. 87.

124. Eodem tempore, et prius etiam, quam Jus Italicum, certe quoad soli, quod diximus, dominium, Italiæ proprium fuit, singularis extitit Latinorum cum populo Romano juris ratio, et quasi inferior in civitate Romana civitas 1); de quo hæc teneamus. Latini, a reliquis sociis varie distincti, ut socii et Latini socii, socii nominis Latini, socii nomenque Latinum, etc. 2), erant Latii incolæ cum Romanis fœdere juncti, et quibusdam privilegiis donati, quæ latinitas vel jus Latii vocantur. Fœdus illud 3), inter Romulum et Albanos cœptum, mox, post deletam Albam

Longam, cum aliis Latii incolis initum, ac sæpe, rebellantibus Latinis, interruptum, paulo post Reges exactos iis conditionibus renovatum est, quibus usque ad bellum sociale inter ambos populos duravit 4).

Jura antiquorum Latinorum paulatim vicinis quoque populis concessa; unde orta distinctio Latii veteris et novi (§. 13.) Post Latinos autem cum cæteris Italis civitate donatos latinitas multis extra Italiam et coloniis et aliis civitatibus, integris etiam provinciis data est 5), isque mos sub Cæsaribus quoque obtinuit 6). Eandem non justa manumissione liberatis lex Junia Norbana a Justiniano abolita concesserat (§. 63.)

1) V. Savigny *Ueb. die Entstehung und Fortbildung der Latinitæt.* Cf. Creuz. p. 242 et 246. — 2) Sigon. *de A. J. It.* 1, 2. — 3) Cf. Hein. *App.* 76. sqq. — 4) Cf. Dionys. 3, 54, 4, 49, 6, 95, Liv. 2, 22, Cic. *p. Balbo* 21. — 5) Cf. Strab. l. 4, p. 186, Ascon. in Cic. *in Pis.* p. 156. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 15, 23, Plin. 3, 3, Spart. *Hadr.* 21.

125. De jure autem Latii, si accurate interpretari singula velis, difficilem hodieque quæstionem videas. Quæ novissimis auctoribus, in quibus Savigny et Niebuhr, solis aut maxime placuerunt, lectionibus suis illustranda indicat Creuzer §. 202. sqq. Quod ad jura publica, libertate Quiritium, plena certe, caruisse Latinos, exemplis docet Heineccius 1); idem militiæ iis et aliquod honorum, nonnullis etiam suffragii jus tribuit; sed in legione non militasse; honores in urbe petere non licuisse, et iniquum fuisse jus suffragii, et urbe, quum videretur Consulibus, exire jussos 2). Jus connubii Latinis cum civibus Romanis non fuisse, diserte docet Ulpianus 3); unde par erat, nec patriam esse, qualis civibus Romanis, potestatem. Quod ad reliqua jura privata, ex eodem Ulpiano, XX, 14, colligeres, Latinos testamentum jure Romano non fecisse; quamvis

contrarium (?) suadere videatur XX, 8, ubi *latinus junianus et familiæ emtor, et testis et libripens fieri potest, quoniam cum eo testamenti factio est;* unde heredem quoque a cive Romano scribi potuisse diceres 4); cui nec repugnat XXII, 3. 5). Utrumque Latino tribuens Savigny, exceptiones tamen admittit.

1) *App.* 85. Cf. Sall. *B. J.* 69, Gell. 10, 3. — 2) Cf. Cic. *Brut.* 26, *p. Sext.* 13. — 3) Ulp. *Fragmm.* 5, 4, *Connubium habent cives Romani cum civibus Romanis; cum Latinis autem et peregrinis ita, si concessum sit.* — 4) Cf. Ulp. 22, 1, *heredes institui possunt, qui testamenti factionem cum testatore habent.* — 5) Latinus Junianus, *siquidem mortis testatoris tempore, vel intra diem cretionis, civis Romanus sit, heres esse potest. Quod si Latinus manserit, lege Junia capere hereditatem prohibetur.* Cf. Hein. *App.* 87.

126. Commercium autem Latinis fuisse, non obscure nec uno veterum testimonio confirmatur 1). Auxilia 2) et tributum populo Romano, ut omnes socii, ex fœdere debebant Latini; sed levius fuisse tributum, utique credibile est 3). Magistratuum liberæque reipublicæ eadem, certe similis atque in cæteris sociis ratio. Nec magis in privatis rebus inter se, extraque nexum cum populo Romano, ordinandis, velut in bonis alienandis, in contractibus, in judiciis, legibus Romanis uti cogebantur, si tamen vellent, non impediti 4) quidem, sed nec quidquam eo juri suo addentes, nisi, oblata cum legibus civitate, fundi facti, e Latinis municipes fierent. Provinciarum Latini, sive in aliis civitatibus, sive colonarii, in numerosis coloniis 5), jure Latii donatis, cum omnibus ingenuis Imperii incolis civitatem consecuti, superantibus exin nonnisi Junianis (§. 63.) Latini, civitati Romanæ inter peregrinos proximi, cæterum nec ipsi omnes jure prorsus æquati 6), variis modis cives fiebant, in quibus 7), si Romam migrans Latinus stirpem ex sese domi relinqueret; si senatorem Roma-

num reum fecisset, isque damnatus esset 8); si magistratum in patria gessisset; denique (§. 70.) Principis beneficio 9).

1) V. Ulp. 19, 4. Cf. Hein. *App.* 87, Creuz. §. 203. Cic. *p. Cæc.* 35; *Deinde, quod Sylla ipse ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa atque hereditates. Jubet enim eodem jure esse, quo fuerint Arimenenses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse, et a populo Romano hereditates capere potuisse?* Hic locus inde magis memorabilis, quoniam eo nitentes, collatis Livii locis, 27, 9 et 10, 29, 15, originem latinitatis, (scilicet, ne absurdum sit, quoad jura quædam,) a duodecim (v. duodeviginti?) coloniis a Cicerone memoratis deducunt doctissimi viri. V. post Savignyum et Niebuhrium (addita ad v. 1. p. 371.) Creuzer §. 203. — 2) Cf. Liv. 29, 15. — 3) Cf. Liv. 8, 8, et 38, 44. — 4) Cf. Hein. *App.* 88. — 5) V. Creuz. §. 202, Hugo §. 338. — 6) Cf. Creuz. p. 246. — 7) Cf. Liv. 41, 8. — 8) Cf. Cic. *p. Balbo* 24. — 9) In Italia a municipiis, omnino a cæteris sive oppidis sive civitatibus distinguuntur præfecturæ, in Imperio Romano fora et conciliabula; quibus addas licet, in lege Cisalpina (§. 426.) quoque occurrentia, vicos et castella. Ex his præfecturas conditione fere dediticiis æquavit vulgaris sententia (Cf. Hein. *Synt. App.* 132.), recte, si omnium eadem, quæ Capuæ (v. Liv. 26, 16.), fuisset, et si quæ præterea occurrunt acerbius tractatæ. Sed, ne fuisse credamus, vetant memorati in præfecturis consueti municipiorum et coloniarum magistratus (v. Creuz. §. 212.), velut Ædiles et Prætores (Cf. Hor. *Sat.* 1, 5, 34.), decuriones (Suet. *Cal.* 23.), et jura municipalia civium earum, lege Julia de civitate (§. 66.) illæsa, sub Cæsaribus demum mutata (Cf. Creuz. §. 212. Savigny *Gesch. d. Rœm R.* v. 1. p. 39. sqq.) Quæ intuentes recentissimi auctores, Savignyum quidam secuti, præfecturas a municipiis Præfecto tantum, unde nomen habent, discrepantes faciunt; quem juri dicundo quotannis ex urbe missum Festus testatur. Sed, ut, civitates illas universe a dediticiorum conditione longe remotas, persuasum habeas, sic alias aliis deteriore fuisse, vel inde conjicias, quod in alias a populo, in alias a Prætore lectus Præfectus mittebatur; de quo mihi illud adeo ambiguum, duumvirorumne vicem impleverit, an non tam ipsius urbis, quam regionis judex fuerit. Inter præfecturas occurrunt Arpinum, Capua, Casilinum, Cære, Cumæ, Formiæ, Fundi, Liternum, Suessula, Vulturnum (v. Hein. l. c.) Fora et conciliabula a qua re sint adpellata, e vocabulis est colligere; de juris ratione confer Niebuhrium (v. 2. p. 394.) conjicientem; nec de vicis et castellis facile quid liquide expeditum reperies.

127 Omnium in Imperio Romano deterrima conditione

dediticii, quo nomine appellatæ sive urbes sive regiones, quas devictas Romani non ex fœdere ullo, sed, ut vocabolum arguit, tanquam suo arbitrio deditas sive permissas, magistratibus ex urbe missis regebant, de quo cætera in capite de provinciarum administratione adferemus. Pessimam vero eorum sortem fuisse, argumento sunt libertini, quos, ne quid præter libertatem manumissione impetrarent, lex dediticiorum conditione esse jussit (§. 64.)

CAPUT II.

FORMA REIPUBLICÆ.

CIVIUM ROMANORUM DIVISIO.

128. Ut urbis, sic reipublicæ Romanæ obscura initia sunt, quæ, dissentientibus veteribus, recentiores illustrare frustra et laboravere, et hodie laborant. Ad ejus autem cognitionem pertinet civium Romanorum non simplex divisio, argumentum a multis copiose tractatum, qua exposita, ad comitia, et deinceps ad cæteras reipublicæ administrandæ partes progrediemur.

Igitur populus Romanus ex instituto civitatis quadruplici ratione divisus reperitur, in patricios, plebejos et equites, in patronos et clientes, in tribus et curias, in classes et centurias. Diversa est nobilium (§. 132.), et, quæ partium in republica studiis nata, optimatum et popularium distinctio.

PATRICII, PLEBEJI, EQUITES.

129. Origo divisionis populi Romani in patricios et plebejos, sive ad Atheniensium illa, ut conjecit Dionysius 1), sive ad Etruscorum 2), ut alia multa 3), exemplar instituta, a primordiis civitatis repetenda est; cæterum varie cum a veteribus scriptoribus traditur, tum a recentioribus explicatur 4). Vulgares tamen sunt duæ sententiæ: altera, apud Dionysium, Romulum genere et opibus eminentes cives ab humilioribus segregasse, hos plebejos 5), illos autem vel ab ipso Romulo patricios, vel primo patres, et ab his ortos patricios esse adpellatos 6); altera, quæ vero

propior videtur, apud Livium (I, 8.), initio nullam ordinum distinctionem memorans, sed senatores, a Romulo creatos, patres, et ab his oriundos patricios esse dictos 7). A duplici de origine patriciorum sententia pendet duplex ipsius vocabuli derivatio. Alii, simpliciter, ut a Patribus ortos, alii, tanquam patrem cientes 8) patricios vocatos esse, volunt.

1) 2, 8. — 2) De ipsis Etruscis (Thusci, Tyrrheni) denuo controversia viget, utrum ex parte Lydi generis sint, an fabulam narret Herodotus (1, 94.) V. Dionys. 1, 27, Nieb. vol. 1, p. 65, Wachsm. p. 82. — 3) Cf. Nieb. p. 95 et 181, Wachsm, p. 134 et 135, Liv. 1, 8. — 4) V. Dionysius, Livius, et Plutarchus in *Romulo*. — 5) Dionys. tanquam δημοτικούς, i. e. de populo, sic adpellatos ait. *Plebis* vocabulo, unde *plebejus*, vix dubium, quin insit multitudinis notio; unde Vossius a πλῆθος, alii, quos malo, a πλεῦνες sive πλέονες, *plures*, derivant. — 6) Dionysius, si integra ejus verba habemus, a semet discrepans, utrumque adfirmat, alterum 2, 12 (Cf. Liv. 10, 8.), ubi Romulum ἐκ τῶν πατρικίων centum viros legisse, alterum 2, 8, ubi, alios probans, a Patribus ortos patricios dictos refert. — 7) Idem Livius alteram Dionysii sententiam secutus videtur 10, 8, ubi Decium dicentem fingit, *patricios primos esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra quam ingenuos*. — 8) Nempe, qui patrem suum ciere, i. e. edere, nominare, sicque ingenuos sese, non a servis ortos (Cf. Liv. 10, 8, 4, 3, Fest. in *patricios*, et Dionys. 2, 8.) ostendere possent.

130. Qui autem cum Dionysio ordinum distinctionem Romulo tribuunt, eos, par est, cum eodem auctore (II, 9.), utrique ordini sua officia præscripta esse, existimare: patriciis, ut sacra curarent, magistratus gererent, jus redderent, rempublicam cum Rege administrarent; plebejis, ut ab his omnibus exclusi agriculturam et quæstuosa etiam opera exercerent 1). Commune utrisque officium militia. Quæ si non ab ipso Romulo instituta, proximo certe post eum tempore, si agriculturam excipias (§. 378.), ita observata inveniuntur. Ex illorum enim gentibus, qui vel

primi fuerunt patricii, vel, a quibus orti postea patricii dicti sunt, et magistratus, qui tum pauci erant, et sacerdotes, et senatores legebantur, quos patres jam tum adpellatos esse, constat. Sed hæc aliaque patriciis præcipua post Reges exactos paulatim, paucis exceptis, cum plebe, ut in singulis notabimus, communicata sunt. Patricius ordo etiam senatorius dictus est, quatenus ex eo antiquitus senatores creabantur. Neque tamen omnes patricii senatores erant; quippe horum certus, contra patriciorum incertus numerus fuit; nec senatus plebi ut ordo, sed populi potestati senatus auctoritas opponitur 2). Patriciorum illi, qui a senatoribus, quos Tarquinius priscus de plebe legerat, oriundi, minorum gentium 3), qui a vetustioribus oriundi, majorum gentium olim dicebantur; serius autem de plebe a Bruto et Valerio Publicola adjectorum progeniem plebejam mansisse, certe prævalens sententia est 4).

1) *Γεωργεῖν δὲ καὶ κτηνοτροφεῖν, καὶ τὰς χρηματοποιοὺς ἐργάζεσθαι τέχνας.* — 2) Gell. 10, 20, *in populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines continentur, plebs vero ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non insunt.* — 3) Ab aliis hic discrepat Tacitus, *Ann.* 11, 25, minores gentes ad senatores a Bruto et Valerio adjectos referens. — 4) Cf. Beauf. vol. 1. p. 104. sq.

131. Inter patricios et plebejos connubia antiquitus lege vetita (§. 82.); postquam permissa sunt, non ideo gentium nomina miscuerunt, quippe uxore in mariti gentem recepta. Sed inter illa tamen utrique ordini communia variis de causis reperiuntur; in quibus, præter nomen forte diversæ originis gentibus commune 1), ponunt, si adoptatus, ordinem mutans, gentile nomen retineret (§ 91), de quo obscura est quæstio; si, gentis familia una aut pluribus inter patricios receptis, cæteræ plebejæ manerent; cujus insigne exemplum est in gente Claudia 2); si, civitatem Romanam

patricii patrocinio adeptus, ejusdem, ut Cornelius Balbus Corn. Lentuli 3), aut si manumissus domini (§ 62.) nomen, ut mos erat, assumeret. Patriciorum insigne memorant lunam, lunulam, in calceis ornamentum, cujus varia est interpretatio 4), sed vulgarior numeri centenarii signum facit, qui numerus fuit primorum senatorum. Postquam jure civili fere æquati ordines, gentium tamen distinctio (§. 80.) et patricia nobilitas, per sæcula propagata, duravit, sub Cæsaribus demum paucis familiis superans 5). Quin etiam, ut plebi tribunatus, ita patriciis propria quædam mansere, nobis suis quæque locis memorata. Cæterum, ut olim patriciis accesserunt, quos de plebe sive Tarquinius P., sive primi Consules in senatum legere, sic et durante libertate et sub Cæsaribus interdum singulos aut plures, senatores maxime, in patricios adscitos e Tacito 6) aliisque colligimus. His vero, dubito, an cum titulo ea quoque data sint, quæ religionis reverentia vetustissimis patriciorum gentibus reliquisse videtur. Novum utique genus induxit Constantinus M., patriciatus titulo curulibus honoribus functos ad summam dignitatem evehens 7) in consilium Principis adsciscendo.

1) Cf. Tac. *Ann.* 3, 48.— 2) Cf. Tac. *Ann.* 11, 24. — 3) V. Nieupoort. 1, 4, 2. — 4) V. Plut. *Quæst Rom.* — 5) V. Tac. *Ann.* 11, 25. — 6) *Ann.* 11, 24 et 25. Cf. Jul. Capit. *Marc. Anton.* §. 1., Lamprid. *Comm.* 6, Æl. Spart. *Did. Jul.* 3. — 7) Cf. Nitsch. v. 1. p. 219, Nieupoort. 6, 5, 4.

132. A patricia nobilitate differt, quæ magistratus curules sequebatur, cum jure imagines majorum in atrio ponendi conjuncta 1); unde nobiles ab ignobilibus distinguuntur, et jus imaginum primi in familiam suam inducentes contemtim homines novi adpellati sunt 2). Ipsæ imagines, e cera expressæ dimidiatæ corporis effigies (προτομή, *buste*), in funebri pompa (§. 486.), in quo jus imaginum nonnulli

posuere, defuncto præferebantur, cæterum in armariis, inscriptis titulis, servatæ, additis et familiarum sive imaginibus pictis sive nominibus tantum, quæ stemmatibus, (unde stemma, stirps,) illigata cum protomis connectebantur 3); hinc fumosæ imagines, homo multarum imaginum, etc.

1) Cic. *Verr.* 5, 14, se consecutum prædicat *togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendæ.* — 2) Cf. Cic. *Cat.* 1, 11, Sall. *B. C.* 27, Juven. *Sat.* 8, 237. — 3) Cf. Plin. 35, 2, Sen. *de Benef.* 3, 28, Juven. *Sat.* 8. init.

133. Patriciis plebs, senatui, ut diximus, populus, unde notum illud *senatus populusque Romanus*, opponitur, alias senatum ipsum comprehendens 1). Quædam notiones utrisque vocabulis, et diminutivis etiam, popellus, plebecula, communes. Tribuum habita ratione (§. 143.) distinguuntur plebs urbana et rustica. Plebejos initio senatu, magistratibus et sacerdotiis exclusos diximus. Reipublicæ regendæ utrum participes ante Servium Tullium jure suffragii fuerint, an is potestatem eorum auxerit tantum, anne contra imminuerit, variæ sunt recentiorum sententiæ. Expulsis autem Tarquiniis, plebis libertas primum legibus defensa (§. 71.); mox etiam per Tribunos plebis potentia quoque accessit. Hinc perpetuum cum patriciis certamen, donec ordinum jura fere æquata. Nihilominus plebejorum conditio in libera quoque civitate diu miserrima reperitur. Cujus rei sicut patriciorum invidiæ causa præcipua, quod maximam partem ære alieno laborantes plebeji, ob eamque rem patriciis, utpote ditioribus, obnoxii, eo impensius vexabantur, quo acerbior erat legum in obæratos severitas (§. 72.)

1) Cf. Gell. 10, 20.

134. Tantæ porro tamque vulgaris paupertatis et aliæ causæ, ut enormis, quæ tum erat, usura; sed præcipua merito existimatur ager cum privatus tum publicus paulatim in patricios omnis translatus 1). Id autem quomodo primo civitatis tempore, quomodo etiam, potente jam plebe, fieri potuerit, rationem haud absurde in ea, quam diximus, usuræ enormitate, inque biennii in fundis præscriptione (§. 100.) invenias; sed primaria in antiquissimo inter patricios et plebejos juris nexu, quoad fundi, cum omnis tum agri publici, dominium quærenda. Qua in re, ut passim in vetustissimis Romanorum institutis, nova protulit insignis Niebuhrii sagacitas 2).

Cæterum, plebs agro exuta occasionem dedit legibus agrariis, acerrimæ et sæpius repetitæ contentionis initio 3). Prima fuit Tribunorum Plebis C. Licinii et L. Sextii (a. 377.), *de modo*, ut Livius (VI, 35.) ait, *agrorum*, vetans, *ne quis plus quingenta jugera agri possideret.* Quæ lex ab ipso Licinio violata 4), mox elusa; postremo diu neglectam revocavit Tiberius Gracchus (a. 621.), quingenta civi jugera, in filios etiam singulos ducenta quinquaginta, et pretium adeo partis adimendæ dominis concedens. Leges Licinia et Sempronia ad agrumne omnino, an, quæ recentissimorum quorundam sententia, ad publicum modo sint referendæ, comparatis primariis de ea re veterum testimoniis, nondum liquide expeditum diceres 5). Diversæ ab illis, quæ præterea leges agrariæ memorantur, ut Flaminia (a 522.) de agro Piceno 6), Flavia (a. 695.), aliæ.

1) Cf. Vertot *Hist. des Révol. — de la Rép. Rom.* liv. 7. — 2) Cf. Appian. *de B. C.* 1, 7, Nieb. v. 1. p. 116 et 450., v. 2. p. 350. — 3) De quibus cum aliis multis vide Sigon. *de A. J. It.* 2, 2, Heyne *opusc. acad.* v. 4, Vertot. *Hist. des Révol.* — liv. 7-9, Nieb. v. 2. p. 349. sqq. — 4) Liv. 7, 16. — 5) Indicatis Livii et Appiani locis adde Plutarchum in *Tib. et C. Gracchis* p. 827. Ego Livium et melius, quam nunc quenquam mor-

talium, scisse existimo, quæ sit agri publici ratio, et voluisse a lectore intelligi. Sic reputanti de agro omnino loqui videtdr, eoque minus justa causa subesse, cur locus Appiani ad Niebuhrii sententiam emendando conformetur (v. Creuz. §. 154.) Quæ si vera, equidem non video, quomodo pauperes diu tutata esset lex Sempronia. Quid enim miseris agri publici per Italiam relinquetur, si divitibus quibuscunque ex eo quingenta jugera, in singulosque filios familias insuper ducenta et quinquaginta possidere licuerit? — 6) V. Polyb. 2, 21, Cic. *de Legg.* 3, 9 et 20.

135. Quemadmodum Patricius a patribus sive senatoribus, quos Romulus creavit, ita Equestris Ordinis origo a tribus equitum centuriis, Rhamnensium 1), Tatiensium v. Titiensium, et Lucerum, deducitur, quas idem Rex ad corporis custodiam (§. 364.) Celerum nomine instituisse traditur, sive a Celere, Tribuno, sive tanquam veloces adpellatas 2). Hos equites e primoribus civibus, atque adeo e patriciis lectos esse, certum quidem non est, sed vel ideo propius vero, quoniam suis equis militasse videntur. Celerum cohorti, quum singulæ centuriæ ad trecentos 3) equites crevissent, Tarquinius P. totidem de plebe, ut prorsus existimamus, lectas, servatis tamen priscis nominibus, addidit 4). Exin equites mille octingenti, et Rhamnensium, Tatiensium et Lucerum in primos et secundos divisio. Senas hasce centurias 5) Servius, exercitus formam mutans, una cum aliis duodecim primæ civium classi, dato etiam equo publico, unde *equo publico merere*, adjecit 6). Neque minus post Reges exactos e priscorum equitum progenie equitatus, et quæ posterius legionibus additæ equitum cohortes, lectæ inveniuntur, quamvis tum quoque mutata cum omnino militiæ, tum exercitus ordinandi ratione 7).

1) Ramnenses (rh.), Rhamnes quoque dicti, ut in Prop. 4, 1, 31, *hinc Titiens Ramnesque viri, Luceresque coloni*. Cf. Hor., *A. P.* 341, *celsi prætereunt austera poemata Ramnes*, ubi *Ramnes* de equitibus universe. — 2) V. Fest. in *Celeres*, Plut. in *Rom.*, Ovid. *Fast.* 4, 837. — 3) An ducentos? Cf. Cic. *de Rep.* 2, 20. — 4) V. Liv. 1, 36. — 5) Nie-

buhr, vol. 1. pag. 264, Livium errasse suspicatur, præter centurias, quas senas, sed trecentorum quamque militum, Tarquinius Priscus reliquerat, alias duodecim centurias fingentem. Nobis liceat dubitare. Cæterum, si recte hic Livius, idoneus idem auctor erit illis, qui duplex equitum genus antiquitus jam fuisse existimant, ab altero equestrem ordinem deducentes. Cf. Cic. *de Republ.* 2, 20 et 22. — 6) V. Liv. 1, 43; cf. 5, 7, et 10, 16. — 7) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 20, Polyb. 6, 18.

136. Sic ab Romæ initiis civium classem sive ordinem habemus equo militantem, eamque cum urbe, si non per generationes, novis certe familiis subinde adlectis auctam, cæterum e patriciis et plebejis mixtam, et censu, nunquam non, opinor, equitibus constituto 1) ditioribus adnumerandam, neque ob aliam, ut sane putamus, causam summi census centuriis (§. 144.) adjectam. Sed eandem classem, licet fortunis et equestris militiæ honore, in multis gentibus per sæcula propagato 2), emineat, nullo jure fruentem videmus, quo potestate inter senatum populumque media, aut civili conditione a plebe diversa dicatur, nisi id ipsum ad conditionis diversitatem trahamus, quod equo, non inter pedites militabat 3). At longe alia ratio, postquam nota illa Equestris Ordinis privilegia eo ipso tempore equites consecuti sunt, quum genere jam magis, quam militando priscum nomen retinuerunt, quippe mutato, aut neglecto instituto, quo ex iis solis legionum equitatus legeretur. Quanquam tum quoque multos equo publico militasse, exemplis colligeres, non tamen, opinor, coactos 4).

1) Cf. Creuz. §. 88. — 2) Cf. Nep. in *Att.* c. 1. — 3) Inter vetustiores, in hoc argumento pleraque confundentes, et nostræ ætatis criticorum subtilitatem mediam quasi viam tenenti, quæ hic universe posuimus, satis recte dicta videri possint. Sed tota de equitibus romanis quæstio multa hodieque obscuritate involvitur. Inter recentissimos, queis nova hic placuere, Niebuhr. Cf. Creuz. §. 87. sqq. — 4) Cf. Beauf. v. 1. pag. 148 et 153.

137. Ipsa porro privilegia fortunis suis et dignitati de-

talium, scisse existimo, quæ sit agri publici ratio, et voluisse a lectore intelligi. Sic reputanti de agro omnino loqui videtdr, eoque minus justa causa subesse, cur locus Appiani ad Niebuhrii sententiam emendando conformetur (v. Creuz. §. 154.) Quæ si vera, equidem non video, quomodo pauperes diu tutata esset lex Sempronia. Quid enim miseris agri publici per Italiam relinquetur, si divitibus quibuscunque ex eo quingenta jugera, in singulosque filios familias insuper ducenta et quinquaginta possidere licuerit? — 6) V. Polyb. 2, 21, Cic. *de Legg.* 3, 9 et 20.

135. Quemadmodum Patricius a patribus sive senatoribus, quos Romulus creavit, ita Equestris Ordinis origo a tribus equitum centuriis, Rhamnensium 1), Tatiensium v. Titiensium, et Lucerum, deducitur, quas idem Rex ad corporis custodiam (§. 364.) Celerum nomine instituisse traditur, sive a Celere, Tribuno, sive tanquam veloces adpellatas 2). Hos equites e primoribus civibus, atque adeo e patriciis lectos esse, certum quidem non est, sed vel ideo propius vero, quoniam suis equis militasse videntur. Celerum cohorti, quum singulæ centuriæ ad trecentos 3) equites crevissent, Tarquinius P. totidem de plebe, ut prorsus existimamus, lectas, servatis tamen priscis nominibus, addidit 4). Exin equites mille octingenti, et Rhamnensium, Tatiensium et Lucerum in primos et secundos divisio. Senas hasce centurias 5) Servius, exercitus formam mutans, una cum aliis duodecim primæ civium classi, dato etiam equo publico, unde *equo publico merere*, adjecit 6). Neque minus post Reges exactos e priscorum equitum progenie equitatus, et quæ posterius legionibus additæ equitum cohortes, lectæ inveniuntur, quamvis tum quoque mutata cum omnino militiæ, tum exercitus ordinandi ratione 7).

1) Ramnenses (rh.), Rhamnes quoque dicti, ut in Prop. 4, 1, 31, *hinc Titiens Ramnesque viri, Luceresque coloni.* Cf. Hor., *A. P.* 341, *celsi prætereunt austera poemata Ramnes*, ubi *Ramnes* de equitibus universe. — 2) V. Fest. in *Celeres*, Plut. in *Rom.*, Ovid. *Fast.* 4, 837. — 3) An ducentos? Cf. Cic. *de Rep.* 2, 20. — 4) V. Liv. 1, 36. — 5) Ni-

buhr, vol. 1. pag. 264, Livium errasse suspicatur, præter centurias, quas senas, sed trecentorum quamque militum, Tarquinius Priscus reliquerat, alias duodecim centurias fingentem. Nobis liceat dubitare. Cæterum, si recte hic Livius, idoneus idem auctor erit illis, qui duplex equitum genus antiquitus jam fuisse existimant, ab altero equestrem ordinem deducentes. Cf. Cic. *de Republ.* 2, 20 et 22. — 6) V. Liv. 1, 43; cf. 5, 7, et 10, 16. — 7) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 20, Polyb. 6, 18.

136. Sic ab Romæ initiis civium classem sive ordinem habemus equo militantem, eamque cum urbe, si non per generationes, novis certe familiis subinde adlectis auctam, cæterum e patriciis et plebejis mixtam, et censu, nunquam non, opinor, equitibus constituto 1) ditioribus adnumerandam, neque ob aliam, ut sane putamus, causam summi census centuriis (§. 144.) adjectam. Sed eandem classem, licet fortunis et equestris militiæ honore, in multis gentibus per sæcula propagato 2), emineat, nullo jure fruentem videmus, quo potestate inter senatum populumque media, aut civili conditione a plebe diversa dicatur, nisi id ipsum ad conditionis diversitatem trahamus, quod equo, non inter pedites militabat 3). At longe alia ratio, postquam nota illa Equestris Ordinis privilegia eo ipso tempore equites consecuti sunt, quum genere jam magis, quam militando priscum nomen retinuerunt, quippe mutato, aut neglecto instituto, quo ex iis solis legionum equitatus legeretur. Quanquam tum quoque multos equo publico militasse, exemplis colligeres, non tamen, opinor, coactos 4).

1) Cf. Creuz. §. 88. — 2) Cf. Nep. in *Att.* c. 1. — 3) Inter vetustiores, in hoc argumento pleraque confundentes, et nostræ ætatis criticorum subtilitatem mediam quasi viam tenenti, quæ hic universe posuimus, satis recte dicta videri possint. Sed tota de equitibus romanis quæstio multa hodieque obscuritate involvitur. Inter recentissimos, queis nova hic placuere, Niebuhr. Cf. Creuz. §. 87. sqq. — 4) Cf. Beauf. v. 1. pag. 148 et 153.

137. Ipsa porro privilegia fortunis suis et dignitati de-

buerunt, id agentibus, qui populi adversus senatum jura tuebantur, ut hujus libidini Equestrem Ordinem opponerent. Unde consentaneum fuit, inprimis Tribunos plebis contendere, ut commoda quædam honoresque populi voluntate equites impetrarent, quæ defendentes, arctiore inter se vinculo ligati, vehementius contra senatum fortioresque inter populares niterentur. Nec alia mente C. Gracchus (a. 632) judicia ad Equestrem Ordinem transtulit 1), quæ, senatui per Syllam reddita, mox inter ambos divisa sunt (§. 269.) Sed eodem tempore Equites vectigalia sive reditus publicos, initis inter se societatibus, redimere cœperunt (§. 393.), unde publicani interdum et publicanorum ordo vocantur, iidemque admodum honorati 2). Neque tamen, opinor, Equitibus solis redimendi jus, et, non omnes redemtores fuisse, certum est 3); nec vero plurimos mirum est fuisse, quoniam iidem cum ditissimi plerique erant, tum suis ad lucrandum uti fortunis minus, quam senatores impediebantur, quibus nec decora negotiorum lucra, et lege etiam interdicta (§. 383.) Honoris insignia, præter equum publicum, olim militantibus, post, ut sane quidam existimant, non militantibus etiam, a Censore, servato vetusto more, datum 4), angustus clavus 5) et annulus aureus, unde *annulo aureo donare* 6), uterque, incertum, ex quo tempore; denique proprius etiam, lege Roscia theatrali (a. 687.), in theatro locus 7); quo trahendum *in quatuordecim*, sc. sedilium ordinibus, *sedere* 8). A theatro honos post ad alia etiam spectacula, ut circi, translatus 9).

1) Cf. Beauf. p. 148,. Plin. 33, 1, *quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt*; quæ non parum obscura, Sen. *de Benef.* 3, 7, *judex ex turba selectorum, quem census in album et equestris hereditas misit.* — 2) Cic. *ad Div.* 13, 65, *ex sociorum gratia, hominum amplissimorum, maximum fructum capies.* Idem *p. Planc.*, 9, *flos enim Equitum Romanorum, ornamentum civitatis,*

firmamentum reipublicæ publicanorum ordine continetur. Cf. Cic. *p. Rab. P.* 1 et 2. — 3) Cf. Cic. l. c. — 4) Cf. Ovid. *Trist.* 4, 1, 71, et 2, 89 et 541. V. Beauf. p. 153. sq. — 5) Cf. Ovid. *Trist.* 4, 10, 35. — 6) V. Suet. *Cæs.* 33 et 39, Tac. *Hist.* 1, 13, Hor. *Sat.* 2, 7, 63, Juven. 11, 42. — 7) V. Liv. epit. l. 99. Cf. Hor. *Ep.* 1, 1, 62, Juven. 3, 159. Cf. Vell. 2, 32. — 8) Suet. *Cæs.* 39, de Laberio, Equite, — *sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit*. Plin. 33, 2, *jus — in quatuordecim ordinibus sedendi*. — 9) Cf. Tac. *Ann.* 15, 32.

138. Sic Equestrem Ordinem a Gracchorum ætate habemus a prisco jam eo diversum, quod non coactus militabat, cæterum commodis et honore auctum, et tertium quodammodo in republica, ut Plinius ait, corpus, quod senatui proximum dignitate ejusdemque seminarium facere solent antiquarii 1); hinc splendor tanquam titulus Equitum, et inter ipsos Equites dignitatis non leve discrimen. Etenim, ut ne militantibus quidem eadem stirpis antiquitas et claritudo, ita nec mutati ordinis, multoque minus fuit; quippe in quem plurimi reciperentur nulla re quam fortunis clari, ob eamque rem, ut inter nobiles homines novi, præ cæteris justiusque contemti 2). Ab utrisque insuper distinguendi sunt legionum equites, ad novum. quem diximus, ordinem nil pertinentes 3).

1) Cf. Beauf. p. 148 et 150. Plin. 33, 2, *judicum autem adpellatione separari eum ordinem primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatus; mox, ea debellata, auctoritas nominis, vario seditionum eventu, circa publicanos substitit, et aliquamdiu tertiæ vires publicani fuere. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo se ordine profectum celebrans* (cf. Cic. *ad Att.* 1, 17.), *ejusque vires peculiari popularitate quærens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in republica factum est, cœpitque adjici senatui populoque Romano et equester ordo, qua de causa et nunc post populum scribitur, qui novissime cœptus est adjici.* Alia equitum nomina v. §. 364. — 2) Cf. Ovid. *Trist.* 4, 10, 7, *Am.* 3, 8, 8, 3, 15, 5, Nep. *Att.* c. 1. — 3) Cf. Beauf. p. 150.

139. Prisci equestris ordinis, ut patricii, alios genere fuisse vidimus, alios adscitos, utrisque autem censum lege

constitutum: qui quantus olim fuerit, incertum; majorem tamen, quam primæ classis (§. 144.), certe minorem non crederes 1). In novo ordine quadringenta sestertia fuisse, constat 2), quam summam sub Tiberio in patre quoque et avo lex exegit 3). Sed nec census solus, nec omnino in legendis Equitibus spectata Equestrem dignitatem dabant; legi enim hæc omnia habentes oportebat, jusque legendi, a Regibus usurpatum, post ad Censores pertinuit, ut omnium civium, sic Equitum censum agentes, congregatosque quotannis solenni ritu lustrantes: quæ dicitur annua, in mutato quoque ordine servata, transvectio 4). Idibus enim quintilibus omnes equites corona oleaginea cincti, trabeaque palmata decori, et militaria, si qua acceperant, ornamenta gerentes, ab æde Honoris ad Capitolium transvehebantur 5): quo quum venissent, quinto quoque anno, equum manu tenentes, ante Censorem in sella curuli (§. 185.) sedentem consistebant. Is probatum Equitem traducere equum 6) jubebat (*traduc equum*), moribus autem infames, et si qui censum infra legitimum imminuissent, equum vendere jubens 7) ordine movebat. Minor animadversio ob equum male curatum, quæ impolitiæ nota dicebatur 8). Quem vero Censor, catalogum Equitum recitans, primo loco nominabat, is Princeps Juventutis dicebatur; eumque titulum, in numis occurrentem, sub Imperatoribus juvenes Cæsares habuerunt; ac fuere, qui ab Augusto demum introductum vellent 9). In equitibus præter censum spectabantur ætas et genus. Ætas ab Augusto statuta duodeviginti annorum; in libera civitate quænam fuerit, dubium. Genere patricios et plebejos juxta receptos diximus; sub Cæsaribus et libertini nonnunquam annulo donati 10).

1) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 22. — 2) V. Plin. 33, 2, Juven. 1, 106, Hor.

A. P. 382, Sen *de Benef.* 3, 7. — 3) Plin. l. c. — 4) V. Beauf. p. 152. Cf. Liv. 9 extr., Suet. *Cal.* 16, Dionys. 6, 13, qui originem transvectionis a pugna ad lacum Regillum et Dioscuris deducit, quos in illa Romanis auxiliantes adparuisse, vetus fama. — 5) Cf. Dionys. l. c. — 6) Cf. Cic. *p. Cluent.* 48. — 7) *Vende equum.* V. Gell. 4, 12. Liv. 45, 15, *plures, quam a superioribus, et senatu emoti sunt, et equos vendere jussi.* — 8) Id. 4, 20. — 9) Cf. Tac. *Ann.* 1, 3, Beauf. v. 1. p. 154. — 10) Cf. Tac. *Hist.* 1, 13, 2, 57. V. Weber ad Juven. 7, 13. sqq., Suet. *Galba* 14.

Patroni et clientes.

140. Divisio populi Romani in patronos et clientes, ut antiquissima pleraque Romæ, vulgo ad Romulum refertur. Is enim, auctore Dionysio 1), Thessalorum et Atheniensium, ut ille putat, morem in melius convertens, patricios et plebejos mutuo benevolentiæ nexu conjunxit, illos patronos, hos clientes, tanquam colentes, ut vulgo dicunt 2), adpellans, et mutua utrorumque officia constituens: patronis, ut clientibus de jure 3) responderent (§. 271.), quietemque illis a publicis privatisque negotiis præstarent, absentes quoque defenderent, quin etiam clientes cognatis anteponerent 4): clientibus, ut patronum summo studio atque amore colerent, nec ad ejus inopiam sublevandam aut dignitatem tuendam facultatibus parcerent.

1) 2, 9. Cf. Cic. *de Rep.* 2, 9. — 2) Cf. Serv. ad *Æn.* 6, 605, Lyd, 1, 20. — 3) Cf. Hor. *Ep.* 1, 1, 103, *Od.* 3, 5, 53. — 4) V. Gell. 5, 13.

141. Hæc necessitudo, qua primis civitatis temporibus nihil sanctius fuit Romanis 1), postea nota illa clientium officia introduxit; in quibus erat patronum, quem mos regem 2) adpellare, mane salutare 3), in Forum, in Campum comitari, munusculis etiam sive ipsum sive liberos familiamque colere 4); alia. Officiosos invicem patroni quotidiana sportula donabant 5), cibum, quandoque pecuniam largientes, rarius mensæ etiam clientem adhibentes

(§. 464.), in qua re sordidam sui temporis et contumeliosam liberalitatem indignahtur scriptores 6).

Clientela ad heredes quoque transibat, ac maxima laus nobilium quam plurimos clientes numerare 7). Ex quo autem æquata plebis et patriciorum jura, eadem necessitudo non tam ambos ordines, quam omnino humiliores cum potentioribus conjunxit; neque inter cives stetit, sed exteri etiam, sive homines singuli, sive civitates atque provinciæ 8), in familiarum Romanarum, velut Bononienses in Antoniorum 9), Siculi in Marcellorum 10), Allobroges in Fabiorum 11), Lacedæmonii in Claudiorum 12) clientela fuerunt.

1) Lex XII Tabb. *Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto.* Cf. Virg. *Æn.* VI, 605. — 2) Cf. Hor. *Ep.* 1, 7, 37, *rexque paterque audisti coram*, et *Ep.* 1, 17, 43, Juven. 1, 135. — 3) Mart. 4, 8, *Prima salutantes atque altera continet hora; exercet raucos tertia causidicos.* Cf. Juven. 1, 126, Hor. *Ep.* 1, 7, 8, *Epod.* 2, 7, Virg. *G.* 2, 461. — 4) Cf. Juven. 3, 186., Hor. *Od.* 2, 18, 17. — 5) V. Juven. 1, 94. sqq., 3, 249. — 6) Cf. Juven. *Sat.* 5, *Sat.* 1, 94, 3, 183, *Carmen in Pis.* v. 114. — 7) Cf. Lyd. 1, 20. — 8) V. Nieup. 1, 4, 3. — 9) Cf. Suet. *Aug.* 17. — 10) Cf. Cic. *Divin.* §. 1.— 11) Cf. Juven. 8, 13, Sall. *Cat.* 37. — 12) Suet. *Tib.* 6.

Tribus et curiæ.

142. Romam (§ 46 et 135.) vetustissimo ævo in tribus, Rhamnenses (Tatienses, Titienses, Tities) et Luceres 1), tribum in decem quamque curias 2) divisam esse, eo consensu veteres tradunt, ut, etsi de Romulo, cui par fuit vetustissimam tribui, dubitemus, de re quidem dubitare vix liceat 3). Unus Livius, I, 13, curias Romuli, nulla tribuum mentione facta, memorans, et, I, 43, Servianas tribus a tributo 4) vocari arbitratus, idem tamen ibidem 5) et tribuum, quæ modo diximus, nominibus equitum centurias, et X, 6, iisdem nominibus ternas antiquas tribus

adpellans, incertum relinquit, an tribus populi a Romulo constitutas, omnino, an populum ante Servium in tribus divisam crediderit. Vero proximum facile diceres, singulas equitum centurias e singulis tribubus petitas, suæ quamque tribus nomen habuisse, tribusque populi et equitum centurias simul iisdem nominibus institutas. Cæterum, et alias obscura est divisionis illius ratio, et quæri haud absurde potest, an tribus populi urbis etiam regionibus distinctæ 6), neque hoc solum, sed, vere populi e stirpibus aut civili conditione, an potius regionum distinctio fuerit. Quanquam, populi fuisse, et alias multo est probabilius, et ob ipsa tribuum nomina. De quibus vulgaris opinio 7), Rhamnensem, Romanos complexam, a Romulo, Tatiensem, Sabinos complexam, a Tatio, Lucerum tribum, reliquos cives complexam, a duce quodam, Lucumone, aut a luco, ubi asylum Romulus aperuisse fertur 8), nomen traxisse 9). Sed recentiorum acutis conjecturis mirifice placet Volumnius 10), illa vocabula Tusca faciens 11). Singulis tribubus a Romulo tribunum (φύλαρχος), singulis curiis curionem præfectum esse, traditur 12). Curias a raptis Sabinis adpellatas, cum aliis auctor Livius 13).

1) Cf. Prop. 4, 1, 31. — 2) Fest. a *cura* dictas facit, itemque, ut videtur, Varro *de L. L.* p. 37.; sunt qui a *κυρία* malint. — 3) V. Dionys. 2, 7. — 4) Cf. Ascon. ad Cic. *Verr.* 1, 5. — 5) *Sex item alias centurias, tribus a Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit.* — 6) Cf. Onuphr. Panv. *Thes. Græv.* v. 3. p. 347. — 7) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 8. — 8) Liv. 1, 8. — 9) V. Onuphr. l. c. Liv. 1, 13, *Lucerum nominis et originis causa incerta est.* — 10) Apud Varr. *de L. L.* 4, 9. — 11) V. Nieb. v. 1. p. 225. Is, initio unam modo tribum, patricios videlicet eosdemque sacerdotes, in senatu, per centum scilicet senatores, repræsentatam esse, sibi persuasit; sacerdotes autem Luceres fuisse, nomen adeo videri arguere; Luceres enim dici, tanquam *Luger* (*lucken*, etc. cernere), eo magis potuisse, quoniam patricii futura auspiciis videre sibi unis arrogarint (v. §. 80. Cf. Nieb. p 88.) Quidni eodem Jure tanquam

mendaces a *lügen* (mentiri) dictos fingamus, utpote plebem mendaciis illudentes, quod utique non vehementer abhorrere ab eorum officio videtur? Audacius Niebuhr., p. 227., Tities (tanquam *trities*) tertium ordinem (*Caste*) denotare, suspicatur, eliso R, quod in numero terno, ut in plurimis, in Etrusca lingua fortasse fuerit. — 12) Dionys. 2, 7. — 13) I, 13. Cf. Cic. *de Rep.* 2, 8.

143. Servius Tullius, sive servato, sive novo, ut e Livio colligeres (§. 142.), tribuum nomine, urbem in quatuor, agrum quoque Romanum, ut plerisque visum, in sedecim, ut quidam nunc malunt 1), in vinginti sex regiones, tribus rusticas, divisit 2). Urbanæ an initio singularum sive stirpium sive ordinum fuerint, a nonnullis dubitatum 3), post promiscue habitatas, certum. Eædem a partibus urbis singulæ (§. 46.), rusticæ a gentibus pleræque (§. 492.) adpellatæ sunt 4). Urbanæ primum nobiliores, post, turba forensi 5) et libertinis 6), postremo (a. 584.) in unam Esquilinam conjectis, repletæ, humiliores habitæ sunt, ditioribus plerisque rusticæ tribui, ubi prædia habebant 7), adscriptis. Tribus, post varias diverso tempore adjectas, circa. a U. C. 512. 8) triginta quinque reperiuntur; quibus an post bellum sociale (§ 66.) novæ, sive octo sive decem, eæque in brevissimum tempus accesserint, inter difficillimas in antiquitate romana quæstiones ponendum 9). Curiarum autem numerus non variavit, utpote quæ, si non initio, certe posterius nonnisi in urbe habitantium fuere, nec quidquam ad Servianam in tribus divisionem pertinentes. In tribubus rusticis pagi, (unde pagani,) Romæ etiam memorati, suum quisque magistratum, asylum, deum tutelarem et festa, paganalia (§ 78.), habentes 10). Ab his paganos idolorum cultores dictos vidimus. Pagani et militibus interdum opponuntur 11).

1) Cf. Nieb. v. 1. p. 255, Beauf. *Incertit.* p. 2, c. 6, Dionys. 4, 15. — 2) V. Dionys. 4, 14. — 3) Cf. Nieb. p. 237. — 4) E rusticis, secundum

Beaufort., qui decem incerti situs facit, in agro Romano Æmilia, Claudia, Crustumina, Cornelia, Fabia, Galeria, Horatia, Lemonia, Menenia, Papiria, Pollia, Papinia, Vejentina, Romilia, Sergia, Veturia, Voltinia, extra agrum Romanum Arniensis, Falerina, Mæcia, Ufentina, Poblilia, Pomptina, Sabatina, Scaptia, Stellatina, Tromentina, Aniensis, Quirina, Terentina, Velina. De singulis v. Onuphr. Panv. *Civit. Rom.*, *Thes. Græv.* vol. 1. p. 352. sqq. Brevius de tribubus Beaufort, binis tabulis urbanas, una rusticas in agro Romano, una rusticas extra agrum, seorsim delineatas exhibens, vol. I. p. 168. sqq. — 5) V. Liv. 9, 46. — 6) Id. epit. l. 20.— 7) Cf. Plin. 18, 3. — 8) Sic e Liv. epit. l. 19. colligunt, ubi Velina et Quirina tribus additæ memorantur. Cf. Ascon. ad Cic. *Verr.* 1, 5, Cic. *Agrar.* 2, 7, *Phil.* 6, 5. Vide Schulz. *Volksversamml. d. Rœmer* pag. 40. sqq. — 9) Hinc Creuser, §. 70, an numerus ille vere auctus fuerit, etiam interrogandum existimavit. Qui auctum volunt, eos, consentaneum est, ad tribuum nomina, veteribus memorata recurrere, quæ ad antiquiores illas triginta quinque referri aut non satis certa ratione, aut nequaquam possint. V. de hac re disputantem Onuphr. *Panv. de Civ. rom.* c. 51. (*Thes. Græv.* v. 1. p. 377. sqq. Cf. Sigon. *de Ant. Jure* Italiæ 3, 1. (ib. v. 2. p. 401. sqq.) — 10) Cf. Dionys. 4, 15.— 11) Cf. Juven. *Sat.* 16, 32, Suet. *Galba* 19, Tac. *Hist.* 1, 53.

CLASSES ET CENTURIÆ.

144. Divisionis § 142. expositæ auctor, Servius Tullius diversam civium Romanorum e censu sive facultatibus (§. 75.) instituit, qua, singulorum bonis, ut ipsi jurati æstimassent, perscriptis, populus Romanus in sex 1) classes 2), classes in centurias hunc in modum divisæ sunt 3).

Prima classis censum habuit centum millia æris 4) sive assium (§. 387.), centurias octoginta, quadraginta seniorum, totidem juniorum. His additæ duodeviginti centuriæ equitum, et secundum Livium duæ fabrorum 5), quas Dionysius Hal. secundæ classi adjecit.

Secunda classis censum habuit septuaginta quinque millia æris, centurias viginti, decem seniorum, totidem juniorum;

Tertia classis censum quinquaginta millia æris, centurias seniorum et juniorum, quot secunda;

Quarta classis censum viginti quinque millia æris, centurias seniorum et juniorum, quot secunda et tertia; 6)

Quinta classis censum undecim millia æris, 7) centurias triginta, quindecim seniorum, totidem juniorum. His Livius accensos 8), et, quos Dionysius quartæ classi, musicos 9) addidit.

Sexta classis censum habuit minorem quintæ, centuriam unam.

Hæc proletarios, tanquam proli gignendæ 10), et capite censos, tanquam, nullo censu, capite solo, aut solo capitis tributo (?) cives, complexa, qui a militiæ jure utrique exclusi, a tributis, incertum utrique, an nonnisi capite censi, immunes 11). Cæteri sextæ classis cives nullo proprio nomine distincti inveniuntur 12)

1) Quibusdam sexta non est classis (cf. Liv. 3, 30), et Gellius, 7, 13, docet, nonnisi primæ classis cives classicos esse adpellatos. Hinc classici scriptores tanquam principes (cf. Gell. 19, 8.) — 2) Dionys l. c. etymon facit κλῆσις sive κλᾶσις. Cf. *calata* et *nomenclator*. — 3) V. Dionys. 4, 15, Liv. 1, 43. — 4) Dionysius (4, 16.) censum primæ classis facit non infra 100 minas sive 10000 drachmarum, quæ sunt totidem denarii vel 100000 assium. Sic numero Livius, 1, 43, et Dionysius congruunt; sed, ut æstimatione etiam congruant, necesse est, vel a Dionysio minam æquari mille assibus libralibus, quales Servio regnante asses fuerunt, vel a Livio asses semunciales (§. 387.), quales ejus ætate fuerunt, intelligi; atqui nec illud, videmus, quomodo fieri a Dionysio potuerit, et 100000 assium semuncialium librales æquant 4166 $\frac{2}{3}$, quem numerum a Servio esse constitutum, nemo crediderit; unde sequitur, aut librales esse Livii asses, aut non ipsam summam, quam statuit Servius, ab eo expressam. Cæterum æstimatio, instituta æris cum argento comparatione, et difficilis est et varie tentata. Ante omnes consulendus Niebuhr (v. I. p. 268. sqq.) — 5) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 22. — 6) In quarta et quinta juniores et seniores non memorat Livius, sed memorat Dionysius. — 7) Dionysius dimidium dedit quartæ classis. — 8) Cf. Liv. 8, 8 et 10. — 9) Livius cornicines et tibicines (tubicines?), Dionysius σαλπιστάς; τυμπανιστάς, βυκανιστάς. Cf. Cic. *de Rep.* 2, 22. — 10) Cf. Gell, 16, 10, Cic. *de Rep.* 2, 22. — 11) Cf. Gell. 16, 10, Dionys. 4, 18, Nieb. v. 1. p. 267 et 280. — 12) Quod reputans

Niebuhr suspicatus est, omnes præter capite censos proletarios fuisse. Verum repugnat, ut ipse vidit, Gellius, capite censos vocans, quorum census non major 375 (v. 380.) assibus, proletarios, quorum major his, sed non major 1500. Repugnat etiam Cicero (*de Rep.* 2, 22.) proletarios faciens omnes, *qui aut non plus mille quingentum æris, aut omnino nihil in suum censum præter caput attulissent*, sicque a Servio Tullio adpellatos, *ut ex iis quasi proles, id est quasi progenies civitatis exspectari videretur.* Eosdem porro proletarios a tributo, initio certe, immunes, ditiores contra ejusdem classis immunes non fuisse, diserte arguit, novo Ciceronis testimonio confirmata, civium habita tributi ratione in assiduos, i. e. asses dantes, sive locupletes (Cf. Cic. l. c. et Gell. 16, 10. Vide §. 261), et proletarios divisio, qui, prolem scilicet dantes, asses dantibus opponuntur. Videmus igitur causam, cur proletarii hoc nomine distinguantur, cur autem ditiores ejusdem classis, et assiduorum nomine comprehensi, alio insuper distinguantur, non videmus. Cæterum capite censos initio eosdem cum proletariis fuisse crederem, quorum census, ut pote nihil reipublicæ conferens, pro nullo haberi, sicque ipsi capite censi non absurde vocari potuere. Quæ si recte, non male e Gellio conjiciemus, post a 375 ad 1500 asses censos, manente proletariorum nomine, tributum aliquod levissimum pepêndisse, pauperiores autem jam solos capite censos esse adpellatos.

145. Ex censu tributum quoque civibus impositum; et tributi genus numisma jussu Servii festis paganalibus, aliud a viris, aliud a fœminis, aliud ab impuberibus collatum 1). Cæterum, in populi, quam indicavimus, divisione hoc sapienti regi maxime propositum fuit, ut populi potestatem inter patricios et plebejos æquato hic jure divideret, eandemque cum patriæ defendendæ cura ditioribus civibus potissimum permitteret: illud assecutus est, ambos ordines, ut quidem videtur, in classibus miscens, hoc, pro classium censu singulis, ut tributum imponens, ita arma telaque, et proprium in acie, quæ tum phalanx (§. 371.), locum 2), et suffragiorum in comitiis numerum tribuens. Ad usum militarem pariter divisio in juniores et seniores, posteriore etiam ævo in tribubus servata (§. 163.) Juniores, ab anno decimo septimo, foris bellabant, seniores, a quadragesimo septimo, urbis defensores relinquebantur 3).

Primo censu peracto, Servius populum (in Campo Martio?) sue, ove et tauro, unde suovetaurilia 4) dicta, lustravit (§. 332.) 5), qui mos deinde servatus, ipseque census, et quinquennale, quo de more renovabatur, spatium, ac quandoque etiam quæcunque annorum periodos lustrum adpellata est 6). Lustri condendi (census agendi, renovandi) munus a Rege ad Consules, post ad proprios magistratus, Censores, transiit (§. 197.) Cærimoniæ pars vota a Censoribus, lustrum condentibus, nuncupata: ut Dii immortales populi Romani res meliores amplioresque facerent; quibus aliam formulam Scipio Africanus minor, exinde servatam, substituisse fertur, Deos rogans, ut res Romanas, quæ jam satis ipsi magnæ videbantur, perpetuo incolumes servarent 7).

1) V. Dionys. 4, 15. — 2) Cf. Dionys. 4, 16. sqq., Liv. 8, 8 (§. 371.), Nieb. v. 1. p. 278. — 3) V. Dionys. 4, 16. — 4) Nonnullis placuit *solitaurilia*. Cf. Hein. *App*. 54. — 5) V. Dionys. 4, 22. — 6) V. Ovid. *de P.* 4, 6, 5, *Fast*. 3, 163, Mart. 4, 1, 7, Hor. *C. Sæc*. 67. — 7) Cf. Val. Max. 4, 1, 10, Brisson. *de formulis* lib. 1. p. 97.

CIVITATIS REGENDÆ POTESTAS, COMITIA.

146. In republica, post civium in ordines et classes divisionem, tria tractanda supersunt, reipublicæ regendæ potestas, magistratus, coloniæ, et provinciarum administratio.

Potestas civitatis regendæ ad finem usque libertatis inter senatum et populum mixta, cæterum variis mutationibus obnoxia cernitur. Summum imperium a Regibus ad Consules, senatui præsidentes, translatum. Senatus initio e patriciis, post promiscue compositus. Populi, certe plebis potestas (§. 133.), ante Servium Tullium minima, comitiis centuriatis sive constituta primum, sive aucta, durante

libertate crevit; donec, inter binos ordines jure æquato, civitatis forma populari proxima fuit (§. 172.) Extremo tempore, singulis civibus factionum ducibus, bella civilia rempublicam laceravere : quæ, paucorum dominatui paulatim assueta, tandem sub Principis imperio requievit 1). Ab opposita plebis et senatus potestate pendet optimatum a popularibus distinctio.

1) Cf. Tac. *Ann.* 1, 1.

147. Tribus periodis populi potestatis quodammodo respondent triplicis generis comitia : curiata, ante Servium Tullium sola, maxime ad Regum ætatem pertinent; centuriata humilem plebem a publica potestate arcebant, tributis ad populi imperium lege Valeria Horatia (§. 170.) via patefacta. Comitia 1) populi ad ferendum de rebus publicis suffragium congregatio; eoque ab aliis cœtibus differunt, concilii, concionis et consilii nomine, at non semper accurate, distinctis 2). Singularis *comitium* proprie de loco Fori Romani habendis comitiis destinato usurpatum 3). Comitiis, ut inepti reipublicæ, exclusi impuberes et sexaginta annis majores 4), fœminæ etiam 5), municipes sine suffragio (§. 115.), et 6) pœnæ nomine ærarii (v. §. 198.) Adesse neminem lex cogebat 7).

1) A *comire* i. e. coire. In derivatis comitiare, in comitio sacrificare (V. Varr., l. 5, pag. 50, *quando rex comitiavit, fas*, Scal. ad Fest. in *quando.*), et comitiis creare, unde comitiatus pro comitiis, ut maximus comitiatus, et comitiati tribuni (§. 366.). — 2) V. Schulz. *Volksvers.* p. 143. — 3) Cf. Liv. 1, 36, 22, 57, 24, 20, Suet. *Dom.* 8. — 4) Varro fragm. *de vita pop. Rom.: Cum habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideoque in proverbium quidam putant venisse, ut diceretur, sexagenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebatur.* Hinc *senes depontani.* Cf. Fest. in *depontani* et *sexagenarios*, Cic. *p. Rosc. Am.* 35, Ovid. *Fast* 5, 621-33. — 5) Gell. 5, 19, — *cum fœminis nulla*

comitiorum communio est. Cf. Liv. 34, 2. — 6) Cf. Gell. 16, 13. — 7) Cf. Schulz. p. 186, Cic. *p. Sext.* 51.

148. Populi suffragiis duo permittebantur, leges jubendæ, et magistratus (unde comitia consularia, prætoria, etc.), nec non sacerdotes creandi 1). Leges partim publici, partim privati juris; ab utrisque discernendæ, quæ de bello vel pace, item quæ de reis, suffragiis judicante populo, (§. 263.) ferebantur. Inter magistratus suffragiis exemti Interrex, Præfectus Urbi, Dicator, et Magister Equitum. E sacerdotibus Pontifex Maximus (§. 318.) semper a populo creatus; cæteros, a collegis suis cooptatos, Domitia demum lex 2), neque tamen omnes suffragiis subjecit. Populus ad comitia vocatur a magistratu; qui convocat, idem et rem proponit, et habendis comitiis præest 3). Lex, res proponenda, dicitur ferri vel rogari; quæ accipitur, perferri, juberi; hinc legis latio et lator, 4) rogatio, rogator, rogare populum Consules, et similia, passim occurrentia.

1) Cf. Dionys. 2, 14, 4, 20. — 2) Cf. Cic. *Agr.* 2, 7, *ad Brut.* 5. — 3) Cf. Liv. 39, 15, 3, 24 et 63. — 4) Cf. Cic. *ad Att.* 1, 14..

149. Suffragia, atque, ut credibile est, omnibus comitiis, ante leges tabellarias (§. 165.) clara voce, exin tabellis inscripta dabantur. In cæteris triplici, quod diximus, comitiorum generi commune, inter solis ortum et occasum 1), et nonnisi comitialibus diebus haberi 2). Commune etiam facile credemus, rem in suffragia ituris civibus recitari, magistratibus suadendi aut dissuadendi 3) jus esse, privatis etiam veniam concedi 4): ipsa denique comitia legitimo ante statutam suffragiis diem intervallo indici; et vero a statis quidam distinguunt calata, nomen post solis curiatis, neque his omnibus relictum 5). Com-

munes insuper quædam sive impediendi sive interrumpendi causæ, in quibus Tribuni Plebis, aut paris comitia habenti magistratus intercessio, et ex auspiciis de cœlo, quam mox attingemus, spectio, item morbus, qui comitialis ab ea re dictus, comitiis adstantem corripiens 6). Differentia comitiorum primaria pendet a triplice populi divisione; quam diversitatem infra in singulis exponemus 7). Hic autem sequentia notamus. Ad comitia curiata populus per lictorem, ad centuriata per cornicinem congregabatur 8), quod Schulze, Dionysii locis nitens, vel antiquiore jam tempore, non semper obtinuisse, vel a serioris ævi scriptoribus non accurate observatum suspicatur 9); curiata nonnisi intra, centuriata nonnisi extra, tributa et intra et extra pomœrium habebantur; ad curiata et centuriata senatus auctoritas, et capta ante auspicia, ad tributa, quorum et alias minima solennitas, neutrum requirebatur; lex accepta in illis populi jussum, in his plebiscitum adpellata; utraque æri incisa in Ærario servabantur 10). Jussa antiquitus patres confirmabant, post in incertum eventum auctores fieri coacti 11).

1) Cf. Cic *Cat.* 3, 12. — 2) Cf. *Fest.* in *comitiales dies.* — 3) Cf. Liv. 38, 54. — 4) Cf. Schulz. p. 245. sqq. — 5) Gell. 15, 27, *in libro Lælii Felicis ad Q. Mucium primo scriptum est, Labeonem scribere, calata comitia esse, quæ pro collegio pontificum habentur, aut regis aut flaminum inaugurandorum causa — iisdem comitiis, quæ calata adpellari diximus, et sacrorum detestationes et testamenta fieri solebant.* — 6) V. Fest. in *prohibere*, Gell. 19, 2. — 7) Cf. Gell. 15, 27. — 8) Cf. Dionys. 2, 8, Gell. 15, 27. — 9) V. Schulz. p. 85, Dionys. 4, 37, 4, 76, 5, 57. — 10) Cf. P. Manut. *de Legg. Rom.*, in *Thes. Græv.* v. 2. p. 113. — 11) Cf. Dionys. 2, 14, Liv. 1, 17, 6, 42, Cic. *Brut.* 14.

150. De auspiciis paulo accuratius explicandum. Comitiis an dii annuerent, auspiciorum signis (§. 319.) intelligebatur, quæ præfuturus iis magistratus, quo die

habenda erant, adhibito Augure, capiebat, ipse spectionem et nuntiationem, i. e. auspicandi, et simul, fieri, aut non fieri comitia posse, declarandi (per Augurem?) jus 1), Augur contra nuntiationem modo habens 2): de quo discrimine non parum obscura est quæstio 3). Fausta signa declarantis formula *silentium esse videri* 4), obnuntiantis *alio die* 5). Augur, quamvis magistratus jussu auspicans, signa tamen fausta, an non, sed dubito, an semper, decernebat. Illud certum est, ad Augurum collegium pertinuisse, an rite habita comitia, dijudicare 6), interdumque diu post demum interrogati, decreto suo comitia irrita, et magistratus, de quo frequens mentio, vitio creatos, pronuntiabant 7). Vitio creatos, sive lex, sive religionis reverentia, abdicare cogebat 8).

1) Cf. Schulz. p. 228. — 2) Cic. *Phil.* 2, 32, *nos* (Augures) *nuntiationem solam habemus, at Consules et reliqui magistratus etiam spectionem.* Quæ interpretans Gruchius (*de Comit. Rom.* l. 1. c.. 4, in *Thes. Græv.* v. 1. p. 693.), *unde*, ait, *intelligi potest, penes magistratus fuisse auspicia, ita ut ne Auguribus quidem fas esset consulere auspicia, nisi a magistratibus jussi essent.* In eandem sententiam Schulze p. 223. A Cicerone discrepat Festus in *spectio*, loco, ut Jos. Scal. ait, multis vulneribus confecto: — *quia omne jus sacrorum habent, Auguribus spectio duntaxat, quorum consilio rem gererent magistratus, non, ut possent impedire nuntiando, quæ cum vidissent satis, spectio sine nuntiatione data est, ut ipsi auspicio rem gererent, non ut alios impedirent nuntiando.* — 3) Cf. Beauf. p. 200, Schulz. p. 223 — 4) Cic. *de Div.* 2, 34, *silentium dicitur in auspiciis, quod omni vitio caret.* Inter contraria, ap. Plin. 8, 57, soricis occentus, et, ib. 28, 2, diræ. — 5) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 12, *Phil.* 2, 33, Schulz. p. 228. — 6) Cf. Schulze p. 223, Liv. 8, 17 et 30, Cic. *de Div.* 2, 35. — 7) Cf. Liv. 4, 7, 8, 15, Cic. *de N. D.* 2, 4, *de Div.* 2, 35. — 8) Cf. Cic. l. c., et *de Legg.* 3, 4.

151. Auspiciorum ad comitia pertinentium alia avium spectione, alia spectione de cœlo, (tonitrus, fulminum, susurrantis aeris, omnino tempestatis,) continentur; quæ

capiens servare vel auspicari de cœlo dicitur 1). Illa, nonnisi majorum magistratuum, ab incunabulis Romæ repetenda 2), comitiis habendis capiebantur; spectio de cœlo, minorum etiam magistratuum 3) et in his Tribunorum Plebis 4), incertum, quando, sed sero, si Schulzium 5) sequimur, lege inducta, ad legum comitia cum impedienda, tum dirimenda 6), tum vero vitianda etiam, i. e. rescindenda, valebat 7); ita quidem, ut ad impediendum satis esset, si servandi jus habens magistratus, se die comitiis statuta de cœlo servaturum esse, prædiceret 8); quin etiam signa ementito nihilominus parendum erat 9). Spectione igitur de cœlo et alios magistratus Tribuni Plebis, et hos vicissim illi impedire poterant, eoque nomine hæc auspicia a Cicerone laudantur 10); nec aliam potius ob causam sub finem sæculi septimi leges Ælia et Fusia, de quibus, quo differant, dubitát Schulze 11), oppugnatæ, et in tempus certe sublatæ 12).

1) Cf. Dio Cass. 38, 15. — 2) Cf. Dionys. Hal. 2, 6, Liv. 6, 42. — 3) Cf. Schulz. p. 222 et 238 — 4) Cf. Cic. *ad Att.* 1, 16, 4, 3. — 5) P. 236. — 6) Cf. Tac. *Hist.* 1, 18. — 7) Cf. Cic *Phil.* 2, 32, *de Legg.* 2, 12. — 8) Cf. Cic. *ad Att.* 4, 3. — 9) Cf. Cic. *Phil.* 2, 33. — 10) In *Pis.* 4, *post red. in sen.* 5. — 11) P. 236. — 12) Cf. Cic *ad Att.* 2, 19, *de Har. Resp.* 27, *in Vat.* 6. sqq., ubi, §. 9, *leges Ælia et Fusia etiam inter Syllana arma vixerunt.* V. Schulz. p. 238.

152. Auspicia majora et minora non a ritus diversitate, sed a magistratu auspicante dicuntur, quatenus majoris magistratus auspiciis minoris cedunt; sicque majores dicuntur majora, minores minora habere. Unde pendet, quod avocare populum a minore congregatum licebat majori, et consueta illa majorum magistratuum in edicto comitia indicente formula: *ne quis magistratus minor de cœlo servasse velit* 1). Pari modo quandoque alii ma-

gistratus iisdem 2), alii diversis (Gell. l. c.) auspiciis creati dicuntur, quin aut ritus diversitas hinc, aut eadem iisdem creatorum potestas recte colligatur 3). Auspicia, sive populo ludendo, sive superstitione inventa (§. 321.), olim religiosissime observata; Ciceronis ætate inanis species relinquebatur 4). Restat singulorum comitiorum ratio, quæ in centuriatis multo est, quam in tributis, notior; in curiatis autem, si pauca excipias, conjecturis magis quam argumentis nititur.

1) Gell. 13, 15. — 2) Cf. Liv. 3, 55. — 3) Cf. Schulz. p. 232. — 4) Cf. Dionys. 2, 6, Cic. *de Legg.* 2, 12, *de Div.* 2, 3. 34. 35.

Comitia curiata.

153. Comitiis curiatis, ad quæ populum per lictorem congregatum esse diximus (§. 149.), curiatim, i. e., a singulis curiis singula suffragia, post rogationem, ut credere par est, a magistratu præsidente recitatam, ferebantur. Quod majori curiæ parti visum, ut totius suffragium renuntiabatur; quæ primum ferebat, principium adpellata 1). Collectis singularum curiarum suffragiis, major numerus rem dirimebat. Suffragii in comitiis curiatis jus ad curias tantum pertinebat, in quibus, si non initio 2), certe, ampliore jam agro Romano, nonnisi cives in ipsa urbe habitantes fuere. Utrum vero in curiis initio patriciæ tantum, an, quod utique vero propius putamus 3), plebejæ etiam gentes, et, æquone cum patriciis suffragii jure, an minori aut nullo fuerint, etiam nunc controversia, atque adeo de plebejorum in comitiis curiatis potestate diversissimæ sententiæ reperiuntur 4).

1) Sorte, quod de omnibus crederes, hanc vocatam inde Schulzius quoque suspicatur, quia constat, curiam Fauciam mali ominis principium esse habitam, de qua Livius, 9, 38, — *atque ei* (Papirio, Dictatori) *legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod*

Faucia curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis et Caudinæ pacis; quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit. — 2) Cf. Beauf. v. 1. p. 177. — 3) Cf. Liv. 9, 38, Wachsm. p. 207. — 4) Schulze, pag. 172, ad mentem Niebuhrii (Cf. Wachsm. p. 186.), in curiis patricios tantum eorumque clientes fuisse, pronuntiat; contra Eichhorn (*Weltgesch.* v. 1. p. 573.), in curiis humillimorum civium suffragia juxta valuisse, postea autem tribus curiis esse substitutas; nec multo posterius patricios comitiis tributis exclusos; Wachsmuth autem, p. 210, in curiis patricios utique, præcipuum quid habentes, prævaluisse; a quo sane non discrepat Heeren (*Handb. d. Gesch.* p. 418.), comitia centuriata popularis civitatis initium faciens. At longe aliter Beaufort (disc. prélim. pag. 15. sq.), ubi, constitutam a Servio reipublicæ formam patriciorum et senatus favisse potentiæ, Livium (1, 41. sqq.) secutus, docet. Tanta est insignium virorum in re gravi dissensio, cujus exempla quidem multa antiquitates Romanas studiose investiganti occurrunt; sed inprimis idoneum hocce duximus, quo sani judicii adolescentes moneantur, ne nova quæcunque, sive e fasciculis in verba magistri jurantium, sive undecunque profecta, avide arripiant.

154. Comitiis curiatis, quamdiu sola fuere, necesse fuit, cuncta agi, quæ populi suffragiis subjecta diximus (§. 148.); unde par erat, id quod veterum testimonio confirmatur, iis et magistratus, qui tum pauci fuere 1), ipsosque Reges creari 2), et leges, unde leges curiatæ, ferri 3), et judicia publica exerceri 4). Postquam centuriata, et, in libera jam civitate, tributa quoque accesserunt, curiatis pauca, ut videtur, sed in his minores magistratus relicti, quos a. U. C. 282. ad tributa transtulit lex Voleronis (§. 169.) Sic accidit, ut curiata, quæ rebus gerendis jam minus apta fuisse, multis de causis diceres, religionis reverentia 5), tanquam solennis aliis comitiis jussa sanciendi formula, servarentur, qualia diu ante finem libertatis ea fuisse, constat, nec ipsis curiis jam, sed eorum loco triginta lictoribus, per quos olim congregabantur, in suffragium euntibus; nisi, abolito suffragio, curias ab iis repræsentatas, cum Schulzio credere mavis, qui præterea,

tres minimum Augures tum comitia habenti adfuisse, e Ciceronis aliquot locis 6) colligit.

1) Cf. Ros. *Ant. Rom.* p. 417. — 2) Cf. Liv. 1, 17, Dionys. 2, 57. — 3) Cf. P. Manut. *de Legg. Rom.*, in *Thes. Græv.* v. 2. p. 10, et August. *de Legg.*, ib. p. 270. — 4) Cf. Liv. 1, 26. — 5) Cf. Cic. *Agr.* 2, 12. — 6) *Ad Att.* 8, 3, 4, 18, *ad Div.* 2, 7. V. Schulz. p. 306.

155. Exin igitur ad comitia curiata, præter arrogationem (§. 89.), referuntur bina legum genera, alterum, in quo non simplex recentiorum dissensio, de rebus cum omnino, quæ aliis comitiis actæ, tum vero de magistratibus 1) confirmandis 2), alterum de imperio sive potestate militari (§. 183.) vel magistratibus, vel privatis etiam 3), opinor, tribuendo 4): qui mos Ciceronis etiam ætate, sed, ut ex ipsius loco conjicere licet, non sine exceptione retentus 5). Sacrorum detestationes et testamenta olim comitiis curiatis facta suo loco memoravimus. Ob tempus memorabilis lex curiata de Camillo ab exilio revocando 6). Sacerdotes comitiis curiatis creati Flamines et Curio Maximus. De Rege Sacrorum dubitatur 7); de Vestalibus vide §. 325. Sacerdotibus creandis Pontifex Maximus; in cæteris rebus Reges, post magistratus majores patricii 8) præfuerunt. Comitia curiata semper intra pomœrium, plerumque in Comitio (§. 147.) habebantur.

1) Ad legem Horatiam usque? Cf. Schulze p. 294. — 2) Cf. Beauf. p. 191, Schulze p. 286. sq. — 3) Cf. Ros. p. 476. — 4) De lege curiata vide acriter et copiose disputantes Sigonium et Gruchium, *Thes. Græv.* v. 1. p. 815-1004. Cf. Ern. *Clav. Cicer.* v. *imperium*. — 5) Cic. *ad Div.* 1, 9, *Appius in sermonibus antea dictitabat; postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam, si curiata lex non esset, se paraturum cum collega, tibique successurum, legemque curiatam Consuli ferre opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex senatusconsulto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset.* Cf. Cic. *Agr.* 2, 10 et 12, *Phil.* 5, 16, Liv. 2, 56, 3, 11 et 31. — 6) V. Liv. 5, 46. — 7) V. Schulze p. 330. — 8) V. Ros. p. 452.

COMITIA CENTURIATA.

156. Comitiis centuriatis, a Servio Tullio institutis (§ 144.), populus centuriatim, i. e. singulæ centuriæ singula suffragia ferebant; major numerus rem dirimebat. Causæ horum comitiorum eædem quæ curiatorum fuerant, iis fere exceptis, quæ curiatis mansisse diximus, multæque res aliquamdiu utrisque, ut posteriore ævo centuriatis et tributis, promiscue actæ. Cæterum e magistratibus centuriatis creati inveniuntur majores ordinarii 1), Consules videlicet, Prætores, Censores; nec alio trahendi decemviri 2) et Tribuni Militum consulari potestate 3). De Ædilibus Curulibus, de Quæstoribus, item de Proconsulibus, extra ordinem scilicet creandis (v. §. 245.), controversiam video. Ædiles et Quæstores, quamvis non semper, comitiis centuriatis creatos, contendit Schulze 4), de Proconsulibus idem, nil lege cautum fuisse 5). E sacerdotibus ad comitia centuriata unus Rex Sacrorum, neque hic ab omnibus trahitur 6).

1) Cf. Gell. 13, 15. — 2) Liv. 3, 33. — 3) Cf. Liv. 5, 52. Aliter suadere 4, 54 et 56, in priore editione male adfirmavi. — 4) P. 317. sq. — 5) P. 320. — 6) Cf. Schulze p. 330, Gell. 15, 27.

157. Leges comitiis centuriatis jussæ, leges centuriatæ, ut senatus auctoritate propositæ, sic proprie leges adpellatæ (§. 262.), a plebiscitis (§. 170.), et nomine, et diu vi etiam diversæ fuerunt, universo populo, non plebi tantum latæ. Easdem fere de gravissimis rebus fuisse, veteribus memoratæ suadent, inter quas lex Valeria de provocatione 1), et, extrema jam libertate, lex de revocando ab exilio Cicerone. Quæ autem, neglectis jam curiatis comitiis, centuriatis propriæ, quæ communes cum tributis leges, sive ante sive post legem Horatiam et Hortentiam (§. 170.), fuerint, nemo, opinor, liquide expedierit, neque tanti est

hæc scrupulose investigare. Illud facile crederes, postquam vi æquata sunt populi jussis plebiscita, et forma insuper comitiorum centuriatorum humilium in gratiam civium mutata (§. 163.), jam nec senatus, nec populi perinde interfuisse, ne, quæ antea centuriatis tributisve propria, promiscue agerentur.

E judiciis publicis ad comitia centuriata pertinet unum perduellionis crimen, quod proprie est contra patriam bellantis, ideoque aut regnum adfectantis, ut Spurii Cassii, Manlii Capitolini, Catilinæ, aut omnino reipublicæ eversionem tentantis; sed latius patente significatione omne facinus civium juri et libertati vehementer metuendum complectitur 2), cujus pœna capitalis, judicium autem (§. 71.) lege XII Tabb. solis comitiis centuriatis. Cæterum, sero jam libertatis tempore, exilium reis, non exspectato comitiorum eventu, permissum (§. 71.)

1) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 31. Liv. 3, 55. — 2) Cf. Liv. 1, 26, 26, 3, Cic. *p. Mil.* 14.

158. Suffragii comitiis centuriatis ferendi jus habebant omnes optimo jure cives, utpote omnes, in quacunque Italiæ parte habitantes, in tribus, classes centuriasque relati 1). Quidam tamen, patricios initio centuriis exclusos fuisse, suspicantur, quidam, ut Niebuhr, et hunc secutus Schulze 2) simpliciter excludunt. Comitia centuriata habebant magistratus majores, sed non omnes omnibus rebus agendis. Ordinarii præsides Consules, iique sorte vel comparatione 3). Impeditis bello Consulibus, senatu jubente, alter Dictatorem magistratuum majorum comitiis creabat 4). Si forte aut nulli essent, aut abdicassent 5), mos per Interregem 6), binis vel altero Consule comitiis lecto, auspicia renovari 7). Prætores nec consularibus comitiis 8) nec prætoriis præesse poterant, ne par parem, quod solis Consulibus et

Tribunis plebis concessum 9), neve minor majorem crearet. Extraordinarios magistratus nonnunquam, jubente senatu, nec Consule repugnante, a Prætore populum rogatum esse, e Livio 10) colligimus. Leges rogare ei non licuisse, censet Schulze 11). At judiciis haud dubie præfuit 12), et credibile est solum præfuisse; neque aliorum auctoritate Tribuni Plebis causam capitalem ad comitia centuriata deferebant 13). Quæstores quoque judiciis olim præfuisse, adfirmat Schulze 14); idem, a Censoribus populum centuriatim quidem lustrandi gratia congregari, sed nulla de re rogari potuisse: quem si, ducem hic non spernendum, sequimur, Tribunos Plebis quoque centuriata comitia habendi jure excludemus; quamvis ab iis acta esse constet, quæ illis comitiis propria existimentur. De rege sacrifico vide § 155.

1) Cf. Cic. *de Harusp. resp.* 6, *Agrar.* 2, 2, *in Pis.* 1, Q. Cic. *de Pet. Cons.* 8, *omnes centurias multis et variis amicitiis cura ut confirmatas habeas; — postea totam Italiam fac ut in animo ac memoria tributim descriptam comprehensamque habeas; ne quod municipium, coloniam, præfecturam, locum denique Italiæ ne quem esse patiare, in quo non habeas firmamenti quod satis esse possit.* — 2) P. 59. 70. 309. — 3) Cf. Liv. 35, 6. — 4) Cf. Liv. 8, 23. — 5) Cf. Liv. 3, 55, 5, 31. — 6) Cf. Liv. 8, 17 et 23. — 7) Cf. Liv. 22, 35, 4, 7. — 8) Cf. Cic. *ad Att.* 9, 9. — 9) Cf. Gell. 13, 15, Schulze p. 279. — 10) 25, 7. — 11) P. 328. — 12) V. Liv. 26, 3, 43, 16, Gell. 7, 9. — 13) V. Liv. 26, 3, Gell. l. c. — 14) P. 329.

159. Modus comitiorum centuriatorum inprimis memorabilis. Res suffragiis, ex senatus auctoritate, permittenda, nisi gravis causa obstaret, trinundino (§ 358.) ante diem comitiorum, simul cum edicto hæc indicente, vulgabatur; idque de more a Consulibus, quos tamen ipsos adesse necesse non erat, sæpe bello aut alias impeditos, ideoque aut ex itinere edictum mittentes, aut omnino Prætoribus rem mandantes 1). Legitimi intervalli causa satis manifesta, ut

omnibus deliberandi, e longinquis etiam regionibus in urbem veniendi civibus tempus daretur; neque minus eo intervallo utebantur per remota municipia sibi aliisve quam plurima possent suffragia parantes 2). Cæterum, tempus trinundinum si primum lex Cæcilia Didia (a. 655.) statuit, multo tamen ante consuetudine obtinuit 3), ob eamque rem facilius, vel sine necessitate, neglectum 4). Legem ferendam, sive lex sive mos erat, publice propositam, singulis nundinis pro concione a latore recitari et commendari, qui et ipse populum, ut ad eam jubendam frequens adesset, rogabat, et aliorum ad eam rem studio atque auctoritate juvabatur; unde suasor, suadere concioni, auctor legis 5). Simili modo in judiciis accusationem tribus deinceps nundinis repetitam invenimus (§ 275.)

1) Cf. Gell. 13, 15, Macrob. *Sat.* 1, 16, Cic. *p. Domo* 17, Liv. 3, 35. — 2) Cf. Q. Cic. *de Pet. Cons.* 8. — 3) Cf. Schulz. p. 209. — 4) Cf. Liv. 4, 24, 24, 7, 25, 2 — 5) Cf. Liv. 38, 54, 34, 1.

160. Ipso comitiorum die de nocte a magistratu, iis præfuturo, auspicia illa, quæ nonnisi majorum magistratuum diximus, adhibito Augure, in urbe capiebantur. De ritu confer §. 320. Spectio de cœlo, ut vero proximum judicamus, aut prorsus non pertinet ad auspicia comitia habituri, aut eorum parte continetur 1). Nec vero videmus, quomodo illa spectio impedire comitia centuriata potuerit, nisi de cœlo servante, aut, se servaturum esse, declarante magistratu majore, qui gradu aut par esset comitia habenti, aut potior; quatenus minores de cœlo servare memorata nobis formula (§ 152.) vetabantur 2). Auspiciis comitiorum centuriatorum proprium fuisse videtur tabernaculum capere, quod, ut dux, opinor, exercitus, extra pomœrium, nescio, an, quo loco durantibus comitiis mansurus erat, magistra-

tus capiebat; idque ne vitio fieret, pomœrium transgressuro auspicandum erat 3).

1) Cf. Ernesti *Clav. Cic. lex Ælia.* — 2) Cf. Ant. August. *de Legg.* c. 12, *Thes. Græv.* vol. 2. p. 146. — 3) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 4, *de Div.* 1, 17, Ernesti *Clav. Cic.* in *tabernaculum* et *surgere.*

161. Auspicia excipiebat solennis civium, olim; vulgo certe (§. 149.), per cornicinem 1), aut accensum 2), seriore autem ævo per Augurem convocatio 3). Congregatos, ut videtur, in Foro, magistratus ad comitia, sive locum his habendis dicatum, pergere jubebat, Augure formulam præeunte, quo ad finem comitiorum ministro utebatur 4). Olim omnes armati et compositi sub vexillis incedebant 5), idque tum securitatis gratia, tum, quia ipsa in centurias divisio ad usum militarem 6) accommodata (§. 145.) Post, nullo jam ab hostibus timore, et mutata insuper centuriarum ratione, cæteri sine armis congregabantur, pars armata Janiculum, posito in arce 7) vexillo 8), durantibus comitiis, antiquitatis, ut sane crederes, reverentia occupabat 9). Eadem militaris centuriarum forma causa fuit, cur intra urbem comitia centuriata haberi non possent, ubi imperium (§. 183.) de more nemo retinebat 10). Cæterum habendis antiquitus inauguratus extra mœnia Serviana Campus Martius 11), olim simplici ad usum ornatu, ara, septis, pontibus, villa publica 12), tribunali, tabernaculo, sub Augusto septis marmoreis porticibusque magnifice decoratus 13), mox, sublatis a Tiberio comitiis, mercatoribus ludisque concessus 14).

1) Gell. 15, 27, Dionys, 2, 8, 4, 37. — 2) Cf. Varro *de L. L.* 5, p. 62-3. — 3) Ib. p. 63. — 4) Cf. Varo *de R. R.* 3, 2, *Ibi* (in villa publica) *Appium Claudium, Augurem, sedentem invenimus in subselliis, ut Consuli, si quid usus poposcisset, esset præsto.* — 5) Cf. Gell. 15, 27 — 6) Cf. Dionys. 4, 84. — 7) De Janiculo, testis Dio Cass. 37, 27. In arce

positum vexillum memorant Livius et Macrobius ; quod quomodo cum Janiculo conveniat, mihi non satis perspectum. Cf. Schulz. p. 335. — 8) Cf. Liv. 39, 15, Macrob. *Sat.* 1, 16.— 9) Cf. Gell. 15, 27. — 10) Cf. Gell. 15, 27, *exercitum imperare*, et Liv. 39, 15. — 11) Cf. Liv. 6, 20. — 12) Varro *de R. R.* 3, 2. — 13) Cf. Cic. *ad Att.* 4, 16, Dio Cass. 53, 23, Plin. *H. N.* 36, 5. — 14) Cf. Sen. *de Ira* 2, 7, Suet. *Cal.* 18, Mart. 9, 60.

162. Congregatis in Campo civibus, ab religione magistratus sacrificio precibusque ordiebatur 1): quibus peractis, de re proponenda, quamvis per trinundinum jam vulgata, denuo populum docebat, concesso, ut diximus, suadendi et dissuadendi magistratibus jure, quos ad disceptandum invitare ipse solebat, privatos etiam, si videretur, audiens 2). In magistratuum comitiis mos candidatos, quos vellet, a præsidente commendari 3); cui etiam, gravi aut speciosa causa, candidati alicujus rationem non habere licebat, recusatis, queis creabatur, suffragiis; unde pendet *nomen non accipere.* 4), vincente tamen quandoque populi voluntate 5). Post res deliberatas intercedere Tribunis Plebis concessum 6). Intercessio enim tribunitia, ut senatus decretis, sic omnibus juxta comitiis impedimentum, (quo trahitur *moram, impedimenta facere; adferre*, etc.), ita quidem, ut unus Tribunus majores etiam magistratus, ipsum vero collega tantum impedire posset 7). Quod si neque Tribunus, neque spectio, tum quoque vim habens, obstaret, magistratus concionem solennibus verbis, velut, si vobis videtur, discedite, (sc. in suam quisque centuriam,) Quirites, aut, velitis, jubeatis, ite in suffragium, ad suffragium ferendum invitabat 8). Initio prima vocabatur prima inter sex classes (§. 144.), atque in hac ipsa ante reliquas equitum duodeviginti centuriæ; ita Livius I, 43. Sequebantur deinceps secundæ et reliquarum classium centuriæ, sed non plures, ut sane videtur, quam necesse erat ad rem dirimendam consentire 9). Sic, prima classe consentiente, supervacaneum

secundam vocare; raro ad quartam, vix unquam ad sextam veniebatur, quæ, ut unius centuriæ erat, sic unum suffragium addebat, specie tantum civitatis regendæ particeps.

1) Cf. Dionys. 10, 32, Liv. 39, 15. — 2) Cf. Schulz. p. 245. — 3) Cf. Liv. 10, 22. — 4) Cf. Liv. 39, 39, Cic. *Brut.* 14, Nieb. v. 2. pag. 172. — 5) Cf. Liv. 8, 15. — 6) Cf. Liv. 27, 6. — 7) Cf. Liv. 2, 44, 6, 35, Dionys. 8, 90. — 8) Cf. Liv 31, 7, Cic. *pro D.* 17. — 9) V. Liv. 1, 43, Dionys. 4, 20. Dubitare possis Liv. 10, 13. Cf. et 24, 9. De numero primæ classis suffragiorum novum refert Cicero *De Rep.* 2, 22.

163. Hæc ratio, divitibus nimium favens, in libera civitate, et, ut Schulze 1) aliique conjiciunt, 2) lege XII Tabb. 3) ita mutata, ut sorte duceretur primum suffragium ferens centuria, quæ sortitio prærogativæ dicitur 4); quam, vero propius videtur, initio e prima modo classe, posterius ex omnibus centuriis ductam esse 5). Sic autem ne pæne nihil inferioribus classibus concessum arbitremur, magnum facit prærogativæ suffragii superstitione momentum, quatenus hanc vulgo reliquæ centuriæ omnes aut pleræque, tanquam omen, ut Cicero ait, comitiorum sequebantur 6). Verum ita quoque manebat ingens inter divitum pauperumque centurias potestatis discrimen, donec, post impletas triginta quinque tribus 7), atque adeo sexto urbis sæculo, vetus classium in centurias divisio mutata: quod quomodo factum sit, variis doctorum sententiis conjecturisque docemur; nec parum discrepant nuper obscuram hanc et, quod crederes, desperandam quæstionem perscrutati Savigny et Schulze. Ex hujus ratione comitiis centuriatis ad suffragandum vocantur singulæ centuriæ, quas ipse duas e qualibet XXXV tribuum, ideoque omnino LXX facit, cæterum singulas in quinque classes e civium, quos habent, censu divisas. Contra Savignyo singulæ classes vocantur, singulæ LXX centurias, duas scilicet e qualibet tribu, continentes. Sic,

additis XXXV, quas Equitum facit, et una pauperrimorum civium, quam ex Servii instituto servatam putat, Savignyi centuriæ omnes CCCLXXXVI inveniuntur. Nobis, hanc rationem præ Schulziana amplexis, cæterum, quid et cur potissimum placeat, nota 8) exponat, haud inutilis fortasse futura difficultates, quibus etiam nunc quæstio implicatur, profligare cupienti. Utcunque se res habeat, ea quærenda erit mutati ordinis in suffragiis ferendis ratio, qua pateat, cur centuriata postremis duobus reipublicæ sæculis populi et multitudinis, ut Cicero ait 9), comitia dicantur. Savignyum, omninoque nobis probata sequens, colligat, necesse est. discrimen, quoad populi contra senatum potestatem, inter tributa et centuriata tribus fere constare, auspiciis, senatus auctoritate, et infima multitudine, in centuriatis unum suffragium adferente, in tributis autem cæteris civibus æquata.

1) P. 311. — 2) Vehementer dissentiunt Gruchius et Sigonius. V. *Thes. Græv.* v. I. p. 847. 945. 964. — 3) Cf. Liv. 5, 18. — 4) Cf. Cic. *Phil.* 2, 33. — 5) Schulzius (p. 312.) ita mutatum conjicit, postquam centuriæ tribuum partes factæ sint; eo quidem magis, quoniam centuria prærogativa initio (Liv. 5, 18, 10, 22.) sine nomine occurrat, quippe quæ primæ etiam classis, nondum tribus alicujus pars fuerit. Contra centuriæ additum tribus nomen habes Liv. 24, 7, qui locus ad a. 537., impletis triginta quinque tribubus posteriorem, refertur. — 6) Cic *ad Div.* 2, 40, *p. Planc.* 20, Liv. 20, 7, 26, 22. — 7) Cf. Liv. 1, 43. — 8) Centurias tribuum partes non uno loco et manifesto facit Livius (v. 24, 7 et 16, 6.), ubi centurias tribuum, in quibus erant, nomine vocat. Classes tum quoque mansisse, easque certum centuriarum numerum continentes, et eodem, quo olim, ordine in suffragium euntes, e duobus maxime locis colligo, Liv. 43, 16, Cic. *Phil.* 2, 33. Idem tamen vel inde non male conjicias, quod centuriæ, post prærogativam vocatæ, *primo* aut *jure vocatæ* dicuntur, Liv. 10, 22, 27, 6. Cf. 5, 18. Quas enim *primo vocatas* nisi primæ classis, et quo jure, nisi classium, *jure vocatas* fingamus? Jure autem vocatas easdem cum primo vocatis non esse, certum videtur Livii binos locos comparanti. Etenim 10, 22, post primo vocatas centurias omnes, alias superesse inde intelligimus, quia comitia interrupta, non peracta cernuntur (v. 10, 13.)

Igitur primo vocatæ non sunt omnes, quæ prærogativam sequuntur, centuriæ. At nihil impedit, quominus jure vocatæ omnes dicantur, utpote sua quæque in classe, servato vetusto classium ordine, sequentes. Sic censenti favet alter locus, 27, 6, ubi, si quid judico, sensus est, omnes cum prærogativa consensisse, ni Tribuni Plebis se interposuissent. Favet etiam Ascon. ad *Verr.* 1, 9, *prærogativæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas.* Quem locum citans Schulze, non eo minus suspicatur, pag. 340, *primo vocatas* ad equitum, *jure vocatas* ad peditum centurias pertinere.

Huc usque si nos recte; quoniam centuriæ in juniores et seniores dividi non desiere, reliqua omnis difficultas in eo est: quot in tribu, quot in classe centuriæ, et quæ classium ad tribus ratio fuerit? Primarius de centuriarum numero locus est Livii 1, 43, sanus quidem, opinor, sed mire obscurus. Ex quo si cum Schulzio (p. 74. sqq.) cuilibet tribui duas, unam juniorum, unam seniorum, et utrique centuriæ ex conjectura quinque classes damus, non liquet; quomodo in Ciceronis loco, *Phil.* 2, 33, — *sortitio prærogativæ; quiescit. Renuntiatur; tacet. Prima classis vocatur; renuntiatur* — post prærogativam renuntiatam prima classis vocetur et renuntietur. Etenim ut *classis renuntiatur* prorsus est, centuriarum ejus suffragia renuntiari, (cf. Varro *R. R.* 3, 17.) sic *prærogativa renuntiatur*, hic quid aliud sit, non video, quam ejus suffragium renuntiari; quo renuntiato, absurdum, classis insuper suffragium ejusdem centuriæ renuntiari. Quod autem Schulze (p. 78.), hic classes fortasse juniorum et seniorum centurias esse, suspicatur, id unde speciem veri ducat, prorsus non intelligo. Quare, sicut in Livii loco, 43, 16, (a. 584.) — *cum e duodecim (?) centuriis equitum octo Censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis* — manifesto centuriæ in classe sunt, non classis in centuria, ita in Ciceronis loco *prima classis vocatur* omnino est *ejus centuriæ vocantur*. Cur enim cum Schulzio potius centurias primi et secundi gradus, nemini veterum memoratas, fingamus, quæ non sint classium ex censu distinctarum partes, sed ob ætatem, aut honoris aliave causa primæ et secundæ classis sive ordinis centuriæ dicantur; cur hoc potius, quam in locis nec suspectis nec dubii sensus, quamvis cum aliis, obscuris atque ambiguis, non liquide conveniant, solitam vocabulorum in quibusdam rebus vim propriumque usum retinere? Quod in utroque, quem diximus, loco facientes, Ciceronis etiam ævo classes, centuriasque in singulis, sed non eodem, quo olim, numero habemus. Quum igitur eædem centuriæ simul classium e censu et tribuum partes sint, tribuum autem partes fingere nequeamus nisi iis adscriptos cives, necesse, hos in qualibet tribu e censu in centurias dividi, sicque in qualibet tribu esse centuriam unam pluresve primæ, secundæ, et reliquarum quinque classium; sextæ enim tum quo-

que unam centuriam mansisse, non una causa credibile est. Quum porro centuriæ dividantur in juniorum et seniorum, hinc colligimus, in singulis tribubus e qualibet classe fuisse unam aut plures juniorum et seniorum centurias; sed multo probabilius, unam, sicque in singulis tribubus decem centurias fuisse. Hæc sagacis Savignyi sententia, qui, Livii loco, 1, 43, nixus, in qualibet classe numerum tribuum, quæ tum XXXV, duplicatum agnoscit, nempe singulis classibus e singulis tribubus duas centurias, unam juniorum, alteram seniorum tribuens; neque eum dubitare fecit, quod nonnulli objecerunt, credibile non esse, in tribubus urbanis primæ classis, ne de secunda aut tertia quæramus, cives fuisse (cf. §. 143.) sat multos, ut ex iis centurias compositas existimemus. Contra Schulze, eodem nixus Livii loco, centurias omnes LXX, easque non classium ex censu partes facit, sed in classes quinque ex censu singulas divisas suspicatur; unde sequitur centuriæ suffragium e quinque classium, quas complecitur, suffragiis componi, totque Schulzii classes esse, quot Savignyo sunt centuriæ, scilicet CCCL; nisi quod his Savigny addit unam pauperrimorum civium, et Equitum centurias, quæ tum quoque primæ post prærogativam vocabantur, quasque e Livio, 43, 16, XII crederes, sed Savigny XXXV fuisse suspicatur; unde sequitur ejus omnes centurias esse CCCLXXXVI. Livii locum — *nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum* (sc. tribuum) *numero, centuriis juniorum seniorumque, ad institutam a Servio Tullio summam non convenire* — mire obscurum diximus; idem clarus nobis foret, si post *earum* addidisset *in classibus*. Sed Livii civibus id addere necesse non erat; quippe qui nossent, centurias esse classium partes. Quod autem Schulze in Ciceronis loco — *Ecce Dolabellæ comitiorum dies; sortitio prærogativæ: quiescit. Renuntiatur* (sc. prærogativa); *tacet. Prima classis vocatur; renuntiatur. Deinde, ut assolet, suffragatum secunda classis vocatur* — duas tantum classes reperit, id satis recte haberet, si sana essent, quæ post *assolet* sequuntur; sed et illa varie leguntur, ut *suffragia tum*, et credibile non est, Ciceronem in tanta præcedentium celeritate lentum illud et otiosum *suffragatum secunda classis vocatur* addidisse, quod interpretantis equidem malim, Ciceronemque dixisse, *deinde, ut assolet, suffragia*, omisso scilicet *fiunt, colliguntur*, plane ut in *sortitio prærogativæ*. Unus denique locus Schulzio, et, fateor, non parum favet Livii (26, 22. Cf. Cic. *in Vat.* 16, *in Rull.* 2, 2 et 11.), ubi centuria juniorum ad suffragium redire a Consule jussa, rogat, ut centuria seniorum citetur, resque talis est, ut credibilius sit, juniores omnes cum senioribus omnibus suæ tribus, quam unam juniorum centuriam cum seniorum, suæ classis et tribus, centuria voluisse deliberare. Neque tamen aut hoc absurdum foret, aut Livius carpendus, si, de duabus classis centuriis rei gnaris ita loquatur, ut nobis

potius de tribu in binas centurias divisa loqui videatur. Judicent doctiores, videantque, an satis idonea causa, cur e Schulzii sententia centuriæ in quinque dasses dividantur. Etenim, nisi ponamus, centuriæ suffragium e quinque classium suffragiis, quæ singulæ unum ferant, colligi, prorsus, quid illa centuriarum divisio velit, difficile erit cogitare. Atqui, si classes singulæ ad centuriæ suæ suffragium idem valent, sequitur, ditiores cives, primam scilicet et secundam classem, quamvis numero haud dubie inferiores, tantum posse, quantum pauperiores, quartam et quintam classem; id quod male quadrare diceres in populi et multitudinis comitia, qualia centuriata tum fuisse, Ciceronem aliosque veterum testes habemus. — 9) V. Cic. *pro Mur.* 17 et 19, *pro Sext.* 39.

164. Ordinem vero, quo classes olim ad suffragium vocatæ, nulla causa est, cur mutatum putemus, quippe cujus mutatio vere nihil valuisset ad augendam inferiorum potestatem. Quare, post prærogativam vocabuntur primæ classis, et in his primo loco equitum centuriæ 1); sequentur deinceps cæteræ classes, et post quintam accedet unum infimæ multitudinis suffragium. De primo et jure vocatis centuriis vide notam. Sic neque ratio superest, cur duplicem, ut plerique, sortitionem, alteram tribus, alteram centuriæ ejus, faciamus; quippe centuria sorte prærogativa prærogativam efficiet suam tribum 2). De ritu sortiendæ prærogativæ conferendi Liv. XXIV, 7, Val. M. VI, 3, Cic. *p. Corn.* fragm. I. Singulæ classis centuriæ an sorte, an statuto semel ordine, an magistratus arbitrio vocatæ, non expeditum; Equitum tamen centurias in prima classe præisse, reperio 3). De cætero autem in suffragiis more hæc etiam teneamus.

1) Cf. Liv. 43, 16. — 2) Cf. Liv. 24, 7, 27, 6. In priore loco *Aniensis juniorum* est centuria juniorum ex Aniensi tribu. Sic et in secundo Galeria juniorum non est tribus, sed centuria e tribu Galeria; quippe non tribus, sed una ejus centuria primum suffragium fert, neque tribus *Consulem dicere* poterat, nisi omnes ejus centuriæ, in sua quæque classe, dicerent; hic autem una Galeriæ tribus centuria *Consulem dixerat*, utque fieri solebat, jure vocatæ centuriæ eodem, quo prærogativa, inclinassent, ni Tribuni se interposuissent (v. et Liv. 26, 22.) — 3) Cf. Liv. 43, 16.

165. Ante leges tabellarias 1), quibus paulatim in omnibus comitiorum causis viva vox, quamvis sæpe vel invita lege prorumpens 2), interdicta, singuli cives rogatoribus centuriarum 3) suffragium clare dicebant; qui rem perferri volebat, ut sane videtur, respondens *uti rogas*, qui nolebat, *antiquo* 4). Eadem vocabula post tabellis primis litteris inscripta dabantur. Qui magistratum creari aliquem volebat, ejus nomen pronuntiabat. In judiciis autem triplicem vocem *absolvo, condemno, non liquet*, usurpatam esse, vulgo credunt, male, opinor, nitentes loco Ciceronis (*p. Mil.* 6.), non ad comitia referendo. Judicia enim fiebant lege, ut diximus, proposita, in qua, non facile videas, cur alia formula inducta fuerit, quam in aliis legibus. Contra easdem voces in judiciis publicis ordinariis occurrere, certum est. In magistratuum comitiis vulgo tot tabellas faciunt, quot candidati, singulas candidati nomine incriptas; rectius, opinor, Schulze (p. 265.), unam singulis tribuens, cui candidati, quem vellent, nomen inscripserint. Singula suffragia, ut non temere ex aliquot veterum testimoniis colligit Schulze p. 261., cum voce data, tum tabellis inscripta, rogatores in tabula punctis notabant, antiquum nomen, quum jam non *rogarent*, servantes 5). De candidatis idem auctor conjicit, tabellæ inscriptis eorum nominibus singula suffragia punctis esse addita; unde maxime pendere diceres notum illud *omne punctum ferre* 6).

1) De his insignis locus Ciceronis, *de Legg.* 3, 16, ubi quatuor memorantur: Gabinia, *de magistratibus mandandis, lata ab homine ignoto et sordido*, Cassia, *de populi judicio, a nobili homine, sed — dissente a bonis*, Carbonis, *de jubendis legibus ac vetandis*, *seditiosi atque improbi civis*, Cœlia, *de judicio perduellionis*, cujus auctorem, Cicero addit, doluisse, *quoad vixit, se, ut opprimeret Popilium, nocuisse reipublicæ*. De legum tabellariarum utilitate, cf. præterea Cic. *p. Planc.* 6, de *Amic.* 12. Tabellæ sub Cæsa-

ribus in senatum quoque inductæ; de quo cf. Plin. *Epp.* 3, 20, 4, 25. — 2) Cf. Cic. *de Lege Agr.* II, 2, *pro Domo* 43, *in Pis.* 1, *de Legg.* 3, 17. — 3) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 4. — 4) Cf. Cic. *ad Att.* 1, 13 et 14, *de Legg.* 3, 17, Liv. 31, 6, Festus in *antiquare.* — 5) Cf. Dionys. 7, 64, Cic. *de N. D.* 2, 4, *de Divin.* 2, 35, Liv., qui locus nescio an ad rem, 9, 46. — 6) Cf. Hor. *A. P.* 343.

166. Centuria ad suffragium vocata in locum cancellis clausum, septa, ovile 1), per pontes (§. 147.) ligneos 2) transibat. Transeuntibus singulis diribitores 3) tabellas dabant, quas sive statim ingressi, sive, re prius in ipso ovili deliberata, exeuntes in cistam (cistella, sitella) præbente rogatore, conjiciebant 4). Quo peracto, coram custodibus, iisque nonnunquam primoribus viris 5), cistæ aperiebantur 6), singulisque suffragiis in tabella, ut videtur, puncto notatis, centuriæ suffragium constabat; æquato rem volentium et nolentium numero, ut inutile, omittebatur, excepto perduellionis judicio, ubi non damnans absolvebat. Renuntiato per præconem 7) suffragio, alia centuria vocabatur; postremo omnium, aut quot ad rem dirimendam satis erant, suffragiis comparatis, præsidens magistratus legem acceptam sive jussam, vel antiquatam declarabat, aut creatos magistratus solenni formula renuntiabat, quos in Capitolium aut domum comitari amici solebant 8). In judiciis rei aut absoluti statim liberi dimittebantur, aut damnati pœnam subibant 9). Ipsius populi dimittendi solennis formula, velut, si vobis videtur, discedite, Quirites 10).

1) Liv. 26, 22. — 2) Cf. auctor ad Herenn. 1, 12, Cic. *de Legg.* 3, 17, Dionys. 11, 51. — 3) Cf. Cic. *in Pis.* 12. Dicuntur a diribere, i. e. dividere; unde et diribere tabellas (Cic. *pro. Corn.* fragm. 1. Cf. Varro *de R. R.* 3, 2.) In derivatis etiam diribitio (Cic. *pro Planc.* 6.) et diribitorium in Campo Martio (Suet. *Claud.* 18, Plin. 16, 40. init.) Pro *diribitores* usitatius esse *divisores*, monet Schulze p. 268; sed duplicis generis in comitiis divisores occurrere videntur; nisi eosdem et tabellis dividendis, et

candidatis, suffragia pecuniam aliave inter cives distribuendo ementibus, inserviisse ponamus. Cf. Cic *Verr.* 1, 8, 3, 69, *de Orat.* 2, 63, *de Harusp. Resp.* 20, *ad Att.* 1, 16. — 4) Cf. Liv. 26, 22, Schulze p. 268. — 5) Cf. Cic. *in Pis.* 5 et 15, *de Lege Agr.* 2, 10. — 6) Ab Augusto custodiam cistarum selectis ex Equestri ordine mandatam refert Plin. 33, 2; qui unde *nongenti* dicantur, an quisquam viderit, ignoro. — 7) Cf. Varro *de R. R.* 3, 17, Cic. *de Lege Agr.* 2, 2. — 8) Cf. Varro *de R. R.* 3, 2. — 9) Cf. Liv. 6, 20. — 10) Cf. Liv. 2, 56, 3, 11. Cf. Cic. *Cat.* 3, 12, Brisson. *de Form.* p. 132 et 191, Schulze p. 276.

167. Cœpta comitia quæ impedire potuerint, supra ostendimus. Centuriatis proprium dirimi, si vexillum in Janiculo (§. 161.) sublatum 1). Uno die, sive alia de causa, sive nocte incidente, non peracta, alio peragi, quin etiam peracta populo denuo proponi poterant, sive mutandi, quæ jusserat, sive, quæ rejecerat, impetrandi consilio 2). Magistratibus ex parte tantum creatis; quo trahendum *non explere centurias, non conficere legitima suffragia* 3), varia erat consuetudo. Consuli creato collegam e candidatis eligere licebat 4); simile olim in Tribunis obtinuit, post mutatum 5). Prætoribus cur non concederetur, causam attigimus (§. 158.) Censoribus proprium, quod rite creari non poterant nisi ambo eodem die 6). Comitia centuriata, ut omnia, comitialibus tantum diebus habebantur. Magistratuum creatio tempore variavit, sed de more, exceptis tamen Censoribus, aliquot menses ante diem, quo munus inibant, creabantur, designati interim adpellati. Dies Consulibus ab anno DCI. Kal. Jan., ante Id. Mart., alius etiam antiquiore tempore. Prætorum comitia vel eodem die, quo Consulum, vel parvo intervallo.

1) Cf. Dio Cass. 37, 28. — 2) Liv. 7, 17, 10, 9, 31, 6 et 7, Cic. *post red.* 4. — 3) V. Liv. 3, 64. 37, 47. — 4) Cf. Liv. 37, 47. — 5) Cf. Liv. 3, 64 et 65. — 6) Cf. Liv. 9, 34.

COMITIA TRIBUTA.

168. Comitiorum tributorum multo simplicior est ratio,

quam centuriatorum, et nonnulla, ad tributa referenda, attigimus in iis, quæ hucusque de comitiis exposita sunt; quo citius hic defungi licebit. Comitiis tributis populus tributim, i. e. singulæ tribus (§. 142.) singula suffragia ferebant 1); vincens numerus rem dirimebat. Origo eorum violenta a judicio Coriolani (a. 263.) plebejorum suffragiis damnati 2), legitima institutio a legibus Voleronis (a. 282.) deducitur 3). Suffragii jus exinde aliquamdiu solis plebejis fuisse, contendit Schulze 4), nec licuisse Tribunis patricios convocare 5); posterius participes haud dubie inveniuntur 6), neque tamen adesse coacti, et raro plebejis, vel quia numero impares, se miscentes; quo rectius dubitemus 7), an unquam legitimo ordinum consensu exclusi fuerint.

1) Cf. Dionys. 7, 64. — 2) Cf. Dionys. 7, 59. — 3) Cf. Liv. 2, 60. — 4) Pag. 345. Nempe his (p. 35. sq. et p. 345.), qualem ipse reperit, exclusis patriciis eorumque clientibus (v. §. 153.), tribuum antiquam rationem, post ita mutatam, ut omnes populi ordines, omnis conditio in tribubus miscerentur, persuasum habet; sic demum patricios comitiorum tributorum participes esse factos. — 5) Cf. Gell. 15, 27, Dionys. 7, 16, Liv. 2, 56. — 6) Cf. Liv. 27, 21, *actum de imperio Marcelli* (a. 543.) *in circo Flaminio est, ingenti concursu plebis et omnium ordinum.* — 7) Cf. Gruchius in *Thes. Græc.* v. 1, pag. 678, Liv. 27, 21.

169. De causis comitiorum tributorum conferenda, quæ §. 148 et 157 adnotavimus; cæterum, ut in omnibus comitiis, quatuor referuntur, sacerdotes, magistratus, judicia, leges. Magistratus minores tributis dedit lex Voleronis (§. 154.) In his Tribuni et Ædiles plebeji; an cæteri omnes huc, et qui non trahendi, leve est, et frustra quæsieris 1). De Quæstoribus, Ædilibus curulibus et Proconsulibus Schulzii sententiam §. 156. adtulimus: e quibus Quæstores, et inprimis Ædiles, majoribus magistratibus adnumerare malis, et plerique faciunt. Utrosque tamen et tributis et

centuriatis comitiis creari potuisse, idoneis exemplis cum Schulzio (p. 317. sqq.) colligeres. De Proconsulibus autem et omnino de magistratibus provincialibus, quos vulgo comitiis tributis creatos volunt, ut recte quæratur, ab aliis distinguendi sunt, qui consulatus aut præturæ jure provincias obtinent (v. §. 244.); de cæteris idem, quod de Quæstore et Ædili Curuli, non temere statuemus 2). Sacerdotes lege Domitia, non tamen omnes, populi suffragiis lectos diximus (§. 148.); qui comitiis, nomine quidem, tributis, a septendecim tribubus, sorte ductis, legebantur 3). Judicia primum, ut scriptoribus memorata 4) arguere videntur, nonnisi de læso plebejorum jure; post aliæ causæ accesserunt 5), exclusa pœna capitali.

1) Cf. Schulze p. 350. — 2) Cf. Schulze p. 321. — 3) Cf. Cic. *de Lege Agr.* 2, 7. — 4) Cf. Liv. 3, 11 et 55, 4, 44. — 5) Cf. Liv. 25, 3, Val. M. 6, 1, 7.

170. Leges initio non tam ad nova inducenda, quam contra senatus decreta propositas fuisse consentaneum est primæ Tribunorum Plebis potestati. Post ea cernitur rerum varietas, ut, si crimen perduellionis, et quædam curiatis comitiis relicta excipias, difficile sit, quibusnam de rebus leges tribuum suffragiis exemtæ manserint, reperire. Scilicet senatus, ut Livii locis aliquot docemur 1), multa modo centuriis, modo plebi permittebat, quæ sibi vindicare non posset, certe non soleret. De quibus adeo rebus Tribuni populum non rogabant, nisi ex senatus auctoritate. Contra hæc non requirebatur ad ea, quæ comitiis tributis civitatis lege concessa. Neque de aliis recte dicemus, illa comitia sine senatus auctoritate haberi 2). Cæterum, inter plebiscita occurrunt leges agrariæ (§. 134.), tabellariæ (§. 149.), frumentariæ 3), de bello et pace decernenda 4), quam tributis comitiis cum Gruchio 5) vulgo tribuunt, de crimi-

nibus 6), de imperio 7), de triumpho 8). De vi autem plebiscitorum alias monuimus, lege demum Horatia (a. 306.) cautum esse, ut universum populum tenerent; quam Publilia (a. 417.), et Hortensia (a. 468.) repetiverunt 9).

1) 4, 58, 6, 21, 7, 20, 8, 23, 39, 19. — 2) Cf. Schulze p. 353. sq. — 3) Cf. Cic. *Brut.* 62, *Tuscul.* 5, 20, *pro Sext.* 48. — 4) V. Liv. 33, 25. — 5) *Thes. Graev.* v. 1. p. 649. — 6) Cf. Liv. 7, 15. — 7) Id. 8, 23. — 8) Id. 26, 21. — 9) V. Plin. *H. N.* 16, 10, Gell. 15, 27.

171. Comitiis tributis initio præerant Tribuni Plebis 1), interdum, ut credibile est, sorte 2), sæpius is, cui convocare plebem placuisset 3); ita tamen, si Schulzium sequimur, ut a collegis probata proponeret 4). In quibusdam causis et Ædilibus plebejis convocandi jus 5); Consulibus autem quatenus fuerit, ex iis pendere videtur, quæ modo de rebus ad tribus relatis et senatus in iis auctoritate adnotavimus 6). Augurum et Pontificum comitiis Consules, Pontificis M. Pontifices præfuisse, e Livio et Cicerone conjiciunt 7). Cæterum hæc comitia, numero etiam suffragantium tribuum ab aliis diversa, omnino vero tributis adnumeranda non esse, Schulzius 8) monet, simile judicans de iis, quibus Consules populum tributim convocabant. Sine senatus auctoritate quatenus habita sint comitia tributa, diximus; eadem sine auspiciis, concessa tamen spectionis de cœlo obnuntiatione; denique sacrificiorum etiam et precum solennitate carebant. Contra trinundinum intervallum et de re proposita deliberatio communis iis cum centuriatis, communis quoque tribunitia intercessio (§ 162.) Proprium, quod res eodem die peragenda 9). De ordine, duplicem sortitionem memorant, prærogativæ (principium), et, in qua tribu Latini (§. 125.), si vellent, suffragium ferrent 10). Cæteras pariter sorte vocatas facile crederes 11). De pontibus et septis con-

ferendus Cicero (*ad Att.* I, 16,), de rogatoribus idem (*de N. D.* I, 38.) Suffragium tribus, ut centuriæ, singulis ejus civium (tribules) suffragiis colligebatur. Magistratuum comitia, ut in centuriatis, aliquot menses præcedebant diem ineundi muneris, quæ tribunis plebis mense Decembri: an nonis, nonnihil dubitatur. Locus denique comitiis tributis consuetus in Foro Comitium 12); sed aliis quoque locis et olim habita, et extrema libertate magistratibus creandis, ut videtur, vulgo in Campo Martio, unde hæc comitia ad patres transtulit Tiberius 13).

1) Cf. Liv. 3, 54. — 2) Cf. Liv. 3, 64. — 3) Cf. Liv. 2, 56. — 4) Cf. Liv. 45, 16, Plut. *T. Gracch.* 11. — 5) Cf. Liv. 3, 31. — 6) Cf. Schulze p. 359. — 7) Liv. 25, 5, Cic. *Ep. ad Brut.* 5. — 8) P. 359. — 9) Cf. Dionys. 9, 41. — 10) Cf. Liv. 25, 3. — 11) Cf. Cic. *de Lege Agr.* 2, 9, Liv. l. c. — 12) Cf Varro *de L. L.* 4, p. 37, Liv. 22, 7 Suet. *Cæs.* 10. — 13) Cf. Tac. *Ann.* 1, 15.

172. Populi contra senatum patriciosque potestas, centuriatis, ut nobis vero propius, quam curiatis comitiis major (§. 146.), tributis, si formam respicimus, post legem Horatiam de plebiscitis, maxima supremaque, unde et populo majestas vulgo tribuitur), re vera tamen senatus auctoritati semper obnoxia mansit (§. 177.), superstitionibus non minimum impedita.

Senatus.

173. Origo senatus 1) Romani ab incunabulis civitatis repetitur (§. 129.) Numerum senatorum, quos a Romulo centum creatos esse, inter omnes convenit, post communicatam cum Sabinis civitatem alii duplicatum, alii, excepto tamen Livio 2), auctum certe tradidere 3). Novam centuriam de plebe adjecit Tarquinius Priscus, equitum idem centurias geminans (§ 135.), omnino regiæ potestati contra senatum patriciosque augendæ intentus 4). Legitimum

exinde, ut videtur, numerum, certe a Bruto ad treoentos 5) expletum, primus multum, sed incertum, ad quem numerum, auxit Sylla Dictator, idem paulo ante conatis Druso, et prius C. Graccho. Post Syllam ultra quadringentos fuisse, e Ciceronis 6) loco colligunt. Mox a Cæsare et Triumviris indigna multitudine, unde orcinorum cognomen (§ 59.), contaminatum 7) Augustus, quamvis ademta potestate, cæterum ad morem dignitatemque pristinam composuit.

1) Tanquam senum concilium; ut Græcis *γερουσία*. Cf. Fest. in *senatores*. — 2) 1, 17. Cf. Prop. 4, 1, 14. — 3) Cf. Zamosc. *de Sen. Rom.* 1, 18, *Thes. Græv.* v. 1. pag. 1100 — 4) Cf. liv. 1, 35. — 5) Liv. 2, 1. — 6) Cic. Ad *Att.* 1, 13, *Homines ad* XV *Curioni, nullum senatusconsultum facienti, assenserunt: ex altera parte facile* CCCC *fuerunt.* —7) V. Suet. *Aug.* 35.

174. Senatores legendi jus, ex iis, quæ modo diximus, Regum, deinde aut Consulum, aut populi fuit 1), post Censoribus, sive ab origine censuræ, ut Zamoscio placet, sive, quod malo, serius mandatum 2). In legendis spectata ordo, genus, census, honores, ætas. De ordine, ne inanis quæstio sit, non confundendi sunt senatorio ordini quandoque e plebejo adjecti cum æquato ordinum consequendæ ejus dignitatis jure. Quidam, a. 335. cum quæstura concessa 3) senatum plebi patuisse existimant, alii prius communicatum, e Livio 4), vereor, ut recte, colligunt 5). Cæterum par fuit, inter plebejos ex Equitibus maxime legi; unde pervulgatum illud antiquariorum, equestrem ordinem essse seminarium senatus 6). Libertinos in libera civitate admissos non esse, vix opus est monere. Census antiquitus, certe ante censuram, rationem esse habitam, non crediderim; nec video, si habita, qui, vel diu post censuræ initia, senatores fuerint illustres paupertate viri 7); certum tamen,

in libera etiam civitate, ut equestrem, ita senatorium esse constitutum 8). Ab Augusto ab octingentis ad mille ducenta sestertia auctum esse, testis Suetonius 9). Honores spectati, quatenus de more magistratu, saltem minore, functi legebantur 10); et vero quæstoria dignitas posteriore ætate vix non legitime senatoriam præcessisse videtur 11). Atque eatenus senatoria quoque ætas a quæstoria (§. 184.) pendet, quæ quum viginti septem annorum fuisse existimetur, senatoriam triginta fuisse, suspicantur.

1) Cf. Fest. in *præteriti*. Liv. 2,1,4, 4, Cic. *p. Sext.* 65, Grun. *Introd. in ant. Rom.* p. 104. — 2) Cf. Zamosc. 1, 3, p. 1074, Manut *de Sen. R.*, ib. p. 1012. — 3) V. Liv. 4, 43 et 54. — 4) 4, 15. Cf. 5, 12. — 5) Ad hanc quæstionem lex Ovinia tribunicia, Festo (in *præteriti senatores*) memorata, quam a. 402. faciunt, referenda: *ut censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in senatum legerent.* — 6) Cf. liv. 2, 1, 42, 61.—7) Cf. Plin., 4, procem., *posteris laxitas mundi et rerum amplitudo damno fuit, postquam senator censu legi cœptus, judex fieri censu*, etc. — 8) Cf. Zamosc. 1, 10. — 9) *Aug.* 41. Cf. Dio Cass. 54, 17. — 10) Cf. Liv. 5, 12, 20, 49. — 11) Cf. Tac. *Ann.* 11, 22.

175. Omnia, quibus legi posset, habentem, tamen non est, cur legendum fuisse putemus. Sed curuli magistratu functos in senatum veniendi jus habuisse, quin tamen, licet aliorum sententiæ accederent (§ 176.), senatores essent, Gellius docet 1). Idem an Quæstoribus datum, dubito; nec minus obscuram quæstionem hic de Tribunis video 2); et aliud 3), si jus, dum magistratus erant, fuit, aliud, si privatis etiam mansit. Censoris, ut legendi, sic ex ordine indignos movendi jus: motus censebatur, cujus, singulis lustris album senatorum recitans, nomen omississet. In causis movendi 4) census infra summam legitimam, quæ nota sine infamia, morum turpitudo, eadem in legendis spectata, item pœnæ publico judicio infamia, sordidus quæstus, alia. Quem vero primum nominabat Censor,

Princeps senatus dictus; isque titulus dignitatis, non potestatis fuit 5), ob eamque rem ab Augusto, ficta modestia, callide assumtus 6).

1) 3, 18. — 2) Cf. Zamosc. 1, 9. — 3) Cf. Liv. 39, 42, 45, 15. — 4, Huc trahendæ notæ senatu motis adscriptæ; de quo Liv. 39, 42, *patrum memoria institutum fertur, ut censores motis senatu adscriberent notas.* — 5) V. Liv. 27, 11. — 6) Cf. Tac *Ann.* 1, 1.

176. Ut patricii, sic senatores majorum et minorum gentium distinguuntur (§. 130.) Patres conscriptos, (quo referendum, in formula 1) convocantis præconis, *qui patres quive conscripti essent*,) veterum alii sub primis Consulibus adjectos, alii e Romanis et Sabinis conjunctos faciunt 2). Sed ea distinctio, si non ficta, post, certe in senatoribus alloquendis, neglecta est, qui, ut cives Quirites, sic patres conscripti honoris causa adpellati. De pedariis senatoribus duplex apud Gellium 3) sententia, altera, inepta, curru vehi in senatum haud licuisse, altera, in aliorum sententiam, non concessa propria, euntes, pedarios, tanquam pedibus sententiam dicentes 4), adpellatos esse; quo trahendi videntur, quibus jus in senatum veniendi fuisse, modo diximus, quin senatores essent; unde in edicti convocantis formula *senatores quibusque in senatu sententiam dicere licet* 5). Insignia senatorum latus clavus (tunica laticlavia), ab Equitibus distinguens, quibus angustus (§. 137.), et calcei nigri 6), in quibus §. 131. memorata nobis luna 7), unde lunata pellis, planta 8). In theatro, post omnino in spectaculis iisdem, (cf. §. 348.) ut Equitibus, proprius locus, orchestra 9).

1) V. Liv. 2, 1. — 2) Cf. Liv. 2, 1, Fest. in *conscripti*, Lydus *de Magg.* 1, 16. — 3) 3, 18. — 4) Huc referunt versum Laberii *caput sine lingua, pedaria sententia est.* — 5) Gell. ib. — 6) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 27. — 7) Cf. Juven. *Sat.* 7, 192 — 8) Mart. 1, 50, 31, 2, 29, 7. — 9) Cf. Suet. *Cæs.* 39, *Aug.* 44. *Orchestra* interdum pro *senatus* (Cf. Juven. 3, 178.)

177. De auctoritate senatus, tenendum, quod (§. 146.) diximus, reipublicæ potestatem inter senatum et populum et Regem fuisse divisam. Regi, senatus præsidi, relicta religionis, morum, jurisque dicundi cura, et in bello imperium 1); populo permissa magistratuum creatio, judicia publica, et cum cæteras, tum de bello ac pace leges a magistratibus propositas jubere aut vetare 2); qua in re quæ fuerit senatus auctoritas, de comitiis agentes declaravimus. Crescente populi imminuta senatus potestas, cui quidem lex Horatia, ab Hortensio repetita (§. 170.), nihil præter administrationem curamque reliquisse videtur, quippe nulla jam re tribunitiis rogationibus non subjecta. Sed neque populus, quantum jure licuisset in senatum, aut ausus aut assecutus est (§. 229.), et in vasto Imperio Romano, ut stare posset, necesse fuit multa hujus arbitrio relinqui 3).

1) Cf. Dionys. 2, 14, Creuz. §. 133. — 2) Cf. Polyb. 6, 14. — 3) Hinc bene Heeren (*Handb. der Gesch.* p. 422.), lege Horatia videri populum omnipotentem; sed historiam Romanam, ut omnino liberarum civitatum, multis exemplis docere, quam temere credatur, cujusvis legis perlatæ vim plenam in rebus constituendis obtinuisse.

178. Sic munera juraque senatus suo ævo definiens, Polybius 1) in iis posuit ærarii potestatem, publicorum flagitiorum per Italiam animadversionem, curamque privatos et civitates protegendi, eorumque necessitatibus subveniendi, denique legationes ad exteras gentes, et cum earum legatis de rebus publicis disceptationem, de quibus omnibus senatus, nec minus de re militari deque pacis fœderumque conditionibus, plerumque, non interrogato populo 2), statuebat. De judiciis senatui permissis v. §. 269. Ita par fuit, dignitatem senatoriam cum in republica semper magnam, tum, aucto immensum Imperio Romano, per orbem terrarum amplissimam haberi. Hinc amplissimus, maximus,

sanctissimus ordo, sanctum consilium, etc. 3). Sub Cæsaribus, manente non parvæ auctoritatis specie, re vera a Principum arbitrio pendebat senatus 4). Potestatis splendore spoliato vana ornamenta relicta, novis etiam aucta (§. 229.) Collegium, multis mutationibus, ad Justiniani tempora duravit, Roma identidem capta, ferro, peste, fame vastata, cum patriciis gentibus simul exspirans: quem Romæ vitæ finem facit Niebuhr 5), peractis scilicet XII sæculis, sive annis MCCCXX, quos urbi vetus augurium tribuerat 6).

1) 6, 13. V. Molitor. *Responsio ad quæstionem-conscribatur historia senatus romani*, pag. 102. sqq. in *Annall.* acad. Gandav. a. 1823. — 2) Cf. Cic. *in Vat.* 15, *eripueras senatui provinciæ decernendæ potestatem, imperatoris deligendi judicium, ærarii dispensationem: quæ nunquam sibi populus romanus udpetivit*, etc. — 3) Cf. Cic. *p. Dejot.* 3, *p. Domo* 28, Horat. *Od.* 4, 5, 3. — 4) Cf. Plin. *Ep.* 8, 14. — 5) V. 1. p. 154. — 6) Cf. Censor. *de D. N.* c. 17.

179. Senatum, per edictum aut præconem 1), convocabant (cogebant), iidemque præerant (habebant) Reges, et in libera civitate Consules, quibus absentibus, aut impeditis, ad alios magistratus majores 2), Prætores maxime, recurrebatur; extra ordinem præsidebant majores extraordinarii, Dictator, Interrex, et, de quo jam veteres dubitavere 3), Præfectus Urbi (§. 204.); nec prorsus exclusus Magister Equitum 4). E minoribus soli præerant Tribuni Plebis, iique vel invitis Consulibus 5), sed, diu nonnisi referendi, alio præsidente, jus habuisse, crederem.

Senatui habendo dicatæ curiæ (§. 49.), quarum notissima, Hostilia, simpliciter Curia vocatur; sed rite habebatur quocunque loco ab Auguribus consecrato, et vero in templis, et frequentius in æde Concordiæ habitus 6), quæ etiam in tribus senaculis cum æde Bellonæ memoratur, in qua exterarum gentium legatis, itemque ducibus, qui ad

urbem erant (§. 375.), audiendis senatus dabatur. 7). Quoad tempus, senatus vel legitimus, vel indictus : ille certis diebus, ante Augustum Kalendis, Nonis et Idibus, deinde K. tantum et Id. 8); indictus quacunque die, exceptis comitialibus, sive omnibus, sive, ut Zamoscio et Nieupoortio placet, queis comitia haberentur 9). Legatis autem audiendis integrum mensem Februarium dicatum fuisse, e Cicerone colligunt 10).

1) Cf. Tac. *Ann.* 2, 28, Cic. *Phil.* 1, 5, Liv. 3, 38. — 2) Cf. Gell. 14, 7. — 3) V. Gell. 14, 7 et 8. — 4) Cf. Zamosc. 2, 3. — 5) Cf. Cic. *ad Q. Fratr.* 2, 1, *de Orat.* 3, 1. — 6) Cf. Gell. 14, 7, Suet. *Aug.* 35, Sall. *B. C.* 47. — 7) Cf. Fest. in *senacula*, Liv. 31, 47, 33, 22 et 24. — 8) Suet. *Aug.* 35. — 9) V. Zamosc. 2, 7, Cic. *ad Q. Fratr.* 2, 13. — 10) *Ad Div.* 1, 4. Cf, *Verr.* 2, 31, Zamosc. 2, 7.

180. Senatus, ut comitia (§. 149.), intra ortum et occasum solis habendus 1), nec post horam decimam relatio permissa 2). Deliberationem auspicia et sacrificium ante curiam præcedebant 3). De ritu deliberandi memorabilis est Cic. *Ep. ad Q. Fratr.* 2, 1. 4). Congregatis senatoribus, re sive a præsidente, sive alio etiam, opinor, referente 5), proposita, sententiæ dicebantur, olim fere servato ordine, ut ante comitia consularia Princeps senatus, post ea Consules designati primi rogarentur. Quo neglecto, dignitatis tamen ratio habita, velut, ne prætorii consulares anteirent 6). Sed hæc aliaque, dubito, an unquam lege ordinata, quum jam Cæsar neglexisset, Augustus nullum ordinem servare prudentius judicavit 7). Rogatus sententiam, missa, si libuisset, re præsenti, de alia quacunque ad rempublicam pertinente disserebat; unde notum illud *diem dicendo eximere, consumere, tollere* 8), et simile in comitiis usu venisse diximus (§. 162.) Una sententia plura complectens *dividere*, i. e., de singulis separatim dicere jubebatur 9). De

rebus cautum, ut prius de divinis quam de humanis referretur 10). Cæterum referebant et non interrogati, aut præsidentem, ut referret, rogabant, dubito, an obtemperare coactum, præsertim rogante Tribuno 11). Non nunquam juratos sententiam dixisse, testis Livius 12).

1) Cic. *Phil.* 2, 10, *ad Q. Fratr.* 2, 13, Gell. 14, 7. — 2) Cf. Sen. *de Tranq. animi extr.* — 3) Cic. *ad Div.* 10, 12, Suet. *Cæs.* 81, Gell. l. c. — 4) Cf. et *p. Mur.* 30. — 5) *Referre* et *relatio* solennia hic vocabula, ut *rogare sententiam* et *censere.* — 6) Cf. Gell. 14, 7, Cic. *Phil.* 5, 16, *ad Div.* 10, 12, *p. Red. in Sen.* 7, Sall. *Cat.* 49 (50), Liv. 5, 20, Suet. *Cæs.* 11. — 7) V. Suet. *Aug.* 35. — 8) Cf. Cic. *ad Att.* 1, 16, 4, 2, *Verr.* 2, 39, *ad Q. Fratr.* 2, 1, Gell. 4, 10. — 9) Cf, Sen. *de V. B.* 3, Plin. *Ep.* 8, 14. — 10) Gell. 14, 7. — 11) Cf. Nieup. 1, 2, 6. — 12) 26, 33, et alibi.

181. Senatusconsultum (decretum), auctore Varrone ap. Gellium 1), *aut per discessionem, si consentiretur, aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas* fiebat; sed neque hoc satis perspicuum, et ibidem docemur, Atejo Capitoni placere, *nullum Senatusconsultum fieri posse non discessione facta* 2). Discessionis formulam faciunt *qui hoc censetis, illuc transite, qui alia omnia, in hanc partem* 3); necessariam fuisse diceres, quoties sententiæ diversæ, ut, quin omnes interrogarentur, constaret, quid majori numero placeret; nec vero alia ratione id quæsitum videtur, quam digressos utrinque numerando 4); et accedit, quod pedariis (§. 176.) nulla præter discessionem via aliorum sententiæ accedendi relinquitur. Contra, quum omnes, sive rogatos sive non, consentire manifestum esset, neque illos ad discedendum invitare necesse erat, quibus sententiam dicere licebat, et pedarii, quo discederent, non habebant. Formulam *qui alia omnia* quidam superstitioni tribuunt, ne diceretur, malum omen futurum, *qui non censetis* 5); sed possis suspicari, adjec-

tum non esse, nisi, quum, tribus pluribusve sententiis, ante omnia quærendum, quam major pars nollet, ut de reliquis deinceps videretur.

1) 14, 7. — 2) Cf. Cic. *Phil.* 6, 1. *ad Q. fratr.* 2, 1, *ibatur in eam sententiam*, Sall. *Cat.* 51, *senatus in Catonis sententiam discessit*, Cic. *Phil.* 3, 9, — *senatusconsultum de supplicatione per discessionem facit, quum id factum esset antea nunquam.* Cf. et in S. C. (§. 220.) de imperio Vespasiani *per relationem discessionemque.* — 3) Cf. Plin. *Ep.* 8, 14. — 4) Cf. Vopiscus in *Aurel.* 20. — 5) Cf. Fest. in *qui hoc.*

182. Discessione peracta, perscribebatur senatusconsultum, ut par erat, rem summatim exponens, addito etiam, in cujus sententiam factum esset. Ad senatusconsultum certus, sed pro tempore varius senatorum præsentium numerus requirebatur 1); sed, an legitimus adesset, non semper quæsitum diceres ante relationem; unde *numera senatum* senatusconsultum impedire cupientis 2). Sine gravi causa absenti multa constituta 3), pignusque exigi poterat 4); neque minus, opinor, si quis graviter aut in præsidentem aut in disciplinam ordinis peccasset; unde pendet *cædere pignora* i. e., si Zamoscium 5) sequimur, accepta vendere; sed nobis liceat etiam dubitare 6). Legitimum omnibus impedimentum, ut in comitiis, Tribunorum plebis *veto*, qui olim, ante valvas curiæ sedentes, decreta cognoscebant, post ipsi in senatum recepti. Impediebant vero et alii magistratus, sed nonnisi pari aut majori, quam præsidens, potestate 7). Senatus non justo numero aut alias non rite congregati, omnino non legitimum aut vetitum intercessione decretum auctoritas perscripta 8) dicebatur 9). Senatusconsulta, olim in æde Cereris ab Ædilibus plebejis 10), post in Ærario a Quæstoribus, in tabulario, ut leges (§. 149.) aliaque scripta publica, custodiebantur 11). Senatus et populi *acta diurna* 12) ut publicarentur,

J. Cæsarem primum instituisse, testis Suetonius (*Cæs.* 20), idemque, *ne acta senatus publicarentur*, Augustum auctorem fuisse (*Aug.* 36.) Quæstionem, an legis vim habuerint senatusconsulta, §. 262. attigimus. Ad illa, quæ integra supersint, et alia, falsa aut suspecta (§. 426.), et apud Livium (39, 18.) de bacchanalibus s. c. refertur.

1) Cf. Liv. 39, 18, Cic. *ad Q. fratr.* 2, 1, Dio Cass. 54. extr. — 2) Fest. in *numera*, Cf. Cic. *ad Att.* 5, 4, *ad Div.* 8, 11 (epist. Cœlii). — 3) Gell. 14, 7. — 4) Liv. 43, 16, *Censores ad pignora capienda miserunt, multamque pro concione privato dixerunt*, Cic. *Phil.* 1, 5, — *coguntur enim non pignoribus* (quum de supplicationibus refertur), *sed eorum, quorum de honore agitur, gratia*, etc. — 5) 2, 4. — 6) Cf. Cic. *de Orat.* 3, 1. — 7) Cf. Gell. 14, 7. — 8) Sic enim malo, quam, quod aliis placuit, *præscripta*. — 9) Cf. Cic. *ad Div.* 8, 8 (epist. Cœlii), *de Orat.* 3, 2, Dio Cass. 55, 3. — 10) Liv. 3, 55. — 11) Cf. Tac. *Ann.* 3, 57, Cic. *p. Rab.* 3, Liv. 43, 16. — 12) Cf. Creuzer §. 116, qui Lydi quoque locum (*de Magistrr.* 3, 20.) huc traxit.

Magistratus.

183. Magistratus 1) Romanis dicuntur et publico munere fungentes, et ipsa munera, honores etiam adpellata, unde magistratus honorati 2), et jus honorarium (§. 191.) An magistratus Romani initio sacerdotes fuerint, vetus est quæstio, sed hodie in deliciis esse nonnullis video. Ipse quid existimen, 3) notæ commisi.

Magistratus alii perpetui erant, alii ad tempus extra ordinem legebantur, unde ordinarii et extraordinarii; alios porro, in quibus infimo gradu ædilitas curulis 4), nobilitas (§. 132.), alios non sequebatur, unde curules et non curules, a sella curuli, insigni magistratuum majorum 5), in numis sæpe occurente, cui divisioni fere congruit in majores et minores, auspiciis etiam distinctos (§. 152.); alii denique urbani, alii provinciales. Magistratuum alii potestatem civilem, alii simul militarem habebant, qui

militarem tantum, hi rectius magistratibus non adnumerantur (§. 245.) Militaris potestas proprie imperium; diverso sensu magistratus, quibus militaris non erat, imperium habere dicuntur, jure edicendi, vocandi, prehendendi, (unde vocationem, prehensionem habere, etc.) constans 6), quod proprium faciunt juri dicundo præfectis, iisdemque cum imperio tribuunt jurisdictionem, decretum et judicis dationem (§. 268.) complexam 7). In cæteris ad magistratuum potestatem referunt jus concionis, relationis, auspiciorum, spectionis (§. 151.), custodiæ 8). Cæterum, excepto Dictatore (§. 202.), omnes rationi populo de actis suis reddendæ obnoxii.

1) Ut *magisterare*, a *magister*. Festus: *magisterare regere et temperare est.* — 2) Cf. Cic. *de Legg.* 1, 11. — 3) Patricios olim, ne connubiis quidem cum plebe mistos, solos rempublicam et sacra curasse, et, quod consequitur, ex iis solis magistratus, sacerdotes et senatores lectos esse, diximus (§. 130 et 131.) Cæteros autem cives plebejos omnes, atque in his equites nonnisi equo merendi jure potiores vidimus (§. 136.). Hoc tenentes, sinamus rerum novarum in historia cupidos homines civium Romanorum partes gentibus, officiis, jure severe discretas, sive tres (Cf. Nieb vol. 1. p. 224. sqq. et alibi.) sive plures, cæterum Ægyptiorum, Indorum, vel quorumlibet divisioni (*castis*) simillimas fingere aut suspicari. Sed cum eadem divisione cohæret conjectura, aut secura etiam asseveratio (cf. Creuz. §. 83 et 128.), magistratus Romanorum initio sacerdotes fuisse. De quo, missa Lydi (præf. ad lib. *de Magg.*), desperati, si quis unquam, hominis, auctoritate, sic censemus. Magistratus scilicet sub Regibus nulli præter Quæstores, Præfectum urbi et Interregem, nisi forte in iis ponendus Tribunus Celerum (§. 135 et 204.), sacerdotum vero inde ab Romulo, certe ab Numa plura collegia memorantur; atqui nemo veterum aut hos magistratus, aut illos sacerdotes adpellavit. Ipsorum autem Regum pars exteri feruntur; ut jure miremur, si patricii sacerdotum et magistratuum ordo (cf. Creuz. §. 128, Nieb. v. 1. p. 227.), ab exteris summos, ut ita dicamus, *sacerdoto-magistratus* petitos esse. De magistratibus porro, qui sub Consulibus adjecti, manifestum, eos Regum ætate sacerdotes esse non potuisse, et sua ætate tum nemo veterum sacerdotes vocavit, tum, si fuissent, non videmus, cur una cum iis servata vetustiora sacerdotia et novis aucta fuerint. Hoc reputantes, illud tamen, notis-

simum, fatemur, res civiles et militares cum religione Romæ sempér, sed arctius primis sæculis conjunctas fuisse, ob eamque rem magistratuum munera: quo sensu si quis sacerdotes fecerit magistratus, aut magistratus sacerdotes, nil novi, et recte, opinor, fecerit. Neque vero is, quoniam patricii soli auspicia habuisse dicuntur (§. 130.), hinc facile colliget, eos olim aut omnes, aut certe ex iis lectos magistratus, sacerdotes fuisse; quod si demus, (ut mittam de ipsis auspiciis haud simplicem hoc loco difficultatem,) quidni sub Cæsaribus etiam patricios omnes sacerdotes faciamus? — 4) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 3. — 5) Cf. Gell. 6, 9, Lyd. 1, 32. *Curule ebur*, Hor. *Ep.* I, 6, 53. Cf. Ovid. *de P.* 4, 9, 27. — 6) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 3, Gell. 13, 12, Hein. *Ant. Rom. Synt.* 4, 6, 5. — 7) Cf. Hein. ib. 4, 6, 6. — 8) Cf. Creuz. §. 131.

184. Magistratus creandi jus populi fuit, a Tiberio demum penitus ademtum. Creati, ante initum munus, designati dicebantur (§. 167.); iidem in leges jurabant 1). Magistratus ordinarii, ut par erat, gradatim, ab inferiore ad superiorem progredientibus 2), nec non constituta singulis ætate mandabantur; unde *anno suo* 3) *Consul*, etc. Huc trahenda lex Villia Annalis, quæ et comitialis vocata (a. 572.), jam ante, ut videtur 4), inducta accuratius ordinans; cujus latoris genti Annalis cognomen adhæsit 5). Lege Villia annos constitutos putant Quæstori alii XXVII, alii XXXI, Ædili XXXVII, Prætori XL, Consuli XLIII, Ciceronis maxime exemplo nitentes, singulos magistratus, qua primum ætate potuit, consecuti. Sed et progressionis illius, et ætatis quoque ratio interdum, candidato legibus soluto, neglecta 6). Cautum etiam, ne quis duos magistratus simul gereret 7). Iidem, excepta censura, annui. Magistratum petentes a vestis, togæ, candore candidati adpellati, quo petitionis indicio utebantur 8). Hi nomen profitebantur apud magistratum comitiis præfuturum; a quo in album recepti, ac multo etiam ante precibus, donis, omnibus modis suffragia captare solebant, lege tamen largitionem et fraudes vetante, nomenclatore etiam, obviorum nomina suggerente,

comitati 9). Hinc ambire, ambitio, cretata ambitio 10), ambitus 11), crimen, judicium ambitus (§. 264.), prensare, prensatio 12).

1) Cf. Liv. 31, 50. — 2) Cf. Cic. *Phil.* 11, 5, Liv. 32, 7. — 3) Cf. Cic. *Agr.* 2, 2. — 4) Cf. Liv. 25, 2, Cic *Phil.* 5, 17. — 5) V. Liv. 40, 44. Cf. Ernesti *clavis Cicer.* in *lex annalis.* — 6) Cf. Liv. 40, 44, Cic. *pro lege M.* 21. — 7) Cf. Liv. 7, 42, 39, 39. — 8) Cf. Liv. 4, 25. — 9) Cf. Cic. *ad Att.* 4, 1, *p. Mur.* 36, Q. Cic. *de Pet. Cons.* 8, Sen. *de Tranq.* 12, et *Ep.* 19, Hor. *Ep.* 1, 6, 50. — 10) Pers. 5, 177. — 11) Cf. Lucan. 1, 179. — 12) Cf. Liv. 3, 35, 39, 41, Cic. *pro Planc.* 10, *ad Att.* 1, 1, Hor. *Ep.* 1, 6, 49. sqq.

185. Nascentis civitatis summi magistratus fuerunt Reges, a quo nomine vel ejusdem originis faciunt apud Germanos usurpata *reix*, *rhek*, et in propriis Gallorum nominibus *rix*. Græci et Reges Romanorum et Cæsares βασιλεῖς dixerunt. Regum potestas, supra (§. 177.) definita, tota fere ad Consules transiit. In Rege Sacrifico (§. 323.) ut invisum regium nomen servaretur, religionis reverentia videtur suasisse. Insignia Regum 1) feruntur trabea 2), corona aurea, sceptrum (scipio) eburneum, in quo aquila, quale et triumphantium 3), sella curulis, quam majorum magistratuum esse diximus, duodecim lictores cum fascibus, inserta securi 4). In cæteris insignibus toga picta 5), et, nescio, an recte, cothurni 6), item (§. 452.) latus clavus 7), et quæ prætexta a limbo purpureo vocatur 8). E memoratis insignibus quædam, ut trabea 9), Latinorum Regum; alia a Tuscis, ut multa in republica constituenda, repetuntur, Tarquinio Prisco, ut Dionysius refert, ab eorum legatis donata 10).

Præter Regem magistratus sub Regibus occurrunt Tribunus Celerum, (si magistratus hic dicendus,) Præfectus Urbi, Quæstores, et extraordinarius magistratus, Interrex; durante autem libertate majores ordinarii Consules, Prætores,

Censores, Ædiles Curules, majores extraordinarii Interrex, Dictator, Magister Equitum, Præfectus Urbi, Decemviri legibus scribendis, et Tribuni Militum consulari potestate, minores ordinarii Tribuni Plebis, Ædiles Plebeji, Quæstores; extraordinariorum magnus numerus.

1) Cf. Dionys. 3, 61, Lyd. *de Magistrr.* 1, 7. — 2) Cf. Liv. 1, 41. De etymo, crederes, trabeam quasi trabibus virgatam dici. Cf. *clavatus*. A trabea trabeatus, ut Quirinus, Ovid. *Fast.* 1, 37, equites, Tac. *Ann.* 3, 2. — 3) Cf. Juven. *Sat.* 10, 43. — 4) Cf. Liv. 1, 8, Lyd. 1, 32. — 5) *περιβόλαιον πορφυροῦν*, *ποικίλον*, Dionys. 3, 61. — 6) Cf. Lyd. 1, 32. — 7) Cf. Dionysii *χιτῶνα πορφυροῦν*, *χρυσόσημον*. — 8) Cf. Plin. 9, 39. — 9) Cf. Virg. *Æn.* 7, 187, Lyd. 1, 32. — 10) Cf. Sall. *B. Cat.* 51, Liv. 1, 8, Flor. 1, 5.

MAGISTRATUS MAJORES ORDINARII.

CONSULES.

186. Expulso Tarquinio S., regia potestas, auctore Junio Bruto, binis magistratibus annuis iisque patriciis permissa 1); ab anno demum 387. alter e plebe 2) creatus (§. 205.) Consules a consulendo (velut senatum, aut reipublicæ), an a judicando dicti sint, jam veteribus, irridente Quintiliano 3), quæsitum; et prius Prætores (§. 190.) judicesque vocatos, veteres tradiderunt 4). Mysticis argutiis deberi videtur derivatio a *conditis* consiliis, unde Neptunum Consum (§. 284.) finxere 5). Græcis Consules *ὕπατοι*, i. e. supremi, dicuntur. Popularem magis rempublicam, sublata singulari potestate, meditatus traditur Servius Tullius 6). Quo propior regno consularis potestas, eo impensius cautum, ne sine collega Consul relinqueretur 7). Insignia quoque eadem fere cum Regibus habuere 8), corona tamen semper, sceptro certe in libera civitate detracto 9). Sub Cæsaribus, in solatium ademtæ potestatis, in aliis et trabea sive reddita sive primum concessa; unde Trabea pro consulatu 10), trabeata domus 11), trabeatæ

fabulæ 12), alia. Concessi et fasces laureati, olim triumphantium 13), et in urbe secures 14). Insigne etiam Consulibus, quod anno nomen (ad a. Chr. 541.) dabant; unde fasti consulares (§. 334.) Fasces autem, exemplo dato a Valerio Publicola, in urbe sine securibus et alternis alteri Consulum præferebantur 15). Obvio Consuli omnes cedere, et equo vectos descendere, mos erat, lictore, si quis negligeret, animadvertente 16). Cæteri item magistratus, ut omnino inferior superiori, et assurgebant Consuli, et fasces submittebant 17).

1) Cf. Liv. 2. 1. — 2) Cf. Liv. 7, 17 et 24. — 3) Varro *de L. L.* l. 4. p. 22. *Consul nominatus, quod consulere populum et senatum debet; nisi illinc potius, unde Actius ait in Bruto, qui recte consulat, Consul fiat.* Cf. Cic. *de Legg.* 3, 3, Quint. 1, 6, *pravis ingeniis ad fœdissima usque ludibria dilabuntur: sitne consul a consulendo, an a judicando; nam et hoc consulere veteres adpellaverunt*, etc. Cf. Liv. 3, 55. — 4) Niebuhr (*Rœm. Gesch.* v. 2. p. 118.) Zonaram, monet, non esse negligendum, consules post decemviros sublatos demum sic adpellatos (l. 7. c. 19.) referentem; cujus testimonio suam addit conjecturam, ante Dictatores potuisse adpellari. Cf. Dirksen *Versuche zur Kritik des Rœm. Rechts*, pag. 48. — 5) Cf. Lyd. 1, 30, Creuz. §. 151. — 6) Liv. 1, 48. Cf. Beauf. disc. prélim. p. 16, Nieb. *Rœm. Gesch.* v. l. p. 288 et 290. — 7) Cf. Liv. 2, 7, Plut. in *Pomp.* p. 648, Suet. *Cæs.* 26. — 8) Liv. 2, 1. — 9) Cf. Dionys. 3, 62, 4, 74, Vopisc. in *Aurel.* 13, Beauf. v. 1. p. 287. — 10) Symm. *Epist.* 9, 112, Claud. *in Ruf.* 1, 243, *in Eutrop.* prolog. l. 2. v. 10. — 11) Claud. *de Cons. Mall. Theod.* 336. — 12) Suet. *Gramm.* 31. — 13) Cf. Cic. *de Divin.* 1, 28, *in Pis.* 22. — 14) Cf. Claud. *in Eutrop.* prolog. l. 2. v. 7. — 15) Cf. Liv. 24, 9, Dionys. 5, 2 et 19, ibiq. Grimmii notam. — 16) Liv. 24, 44, *pater filio legatus ad Suessulam in castra venit. Quum obviam filius progrederetur, lictoresque verecundia majestatis ejus taciti anteirent, præter undecim fasces equo prævectus senex, ut Consul animadvertere proximum lictorem jussit, et is, ut descenderet ex equo, inclamavit; tum demum desiliens, experiri, inquit, volui, fili, satin' scires, Consulem te esse.* Cf. Sen. *Ep.* 64. — 17) Cf. Cic. *in Pis.* 12, Suet. *Cæs.* 78.

187. Potestatem vero consularem, quamvis binorum, nimiam libertati visam, ipso consulatus initio temperavit

Valerius Publicola, fasces populo submittens 1), idemque vitæ necisque potestatem iis ademit, legem de provocatione ferens, sive potius a Regibus neglectam revocans, a Consulibus etiam non semel violatam, ideoque repetitam (§. 71.), extrema autem libertate ad certa, ut videtur, crimina restrictam 2). Impensius autem eorum auctoritas impedita per Tribunos Plebis, perpetuos senatus atque adeo Consulum adversarios. Magna tamen, quamvis varie, Censoribus, post Prætoribus etiam creatis, circumscripta potestas, ad finem libertatis permansit 3); ac quandoque in gravissimo reipublicæ periculo infinita et par dictatoriæ dabatur noto illo senatus consulto: *videant* (*dent operam*) *Consules, ne quid respublica detrimenti capiat* 4).

Ad consuetam vero consulum potestatem cum aliis hæc referenda 5). Majora auspicia (§. 152.), et in bello Regum imperium habebant 6), utpote ordinarii civitatis imperatores; duces quoque inferiores (§. 247 et 366.), et in his ex parte Legatos et Tribunos militum legebant. Iisdem jus senatum et populum convocare, utriusque congregationi præesse, senatum de omni republica consulere, ad populum leges, inprimis comitiis centuriatis, ferre, et jussa utriusque exequi; scilicet et omnibus magistratibus, præter Tribunos Plebis, imperabant 7), cæterum vicariis maxime Prætoribus utentes. Denique provinciarum quoque iis, ut principibus senatus, summa administratio, et pecuniam publicam (§. 393.) ad belli necessitates vel sine senatusconsulto erogabant.

1) Liv. 2, 7, Cic. *de Rep.* 2, 31. — 2) Cf. Cic. *Phil.* 1, 9. — 3) Cf. Schulze pag. 102. — 4) Sall. *Cat.* 25, *Ea potestas per senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi, militiæque imperium atque judicium summum habere. Aliter, sine populi jussu,*

nulli earum rerum Consuli jus est. Cf. Cæs. *B. C.* 1, 5. — 5) Cf. Polyb. 6, 12. — 6) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 3. — 7) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 7 et 16.

188. Domi munere fungentes, imperium fascesque alternis mensibus (§. 186.), interdum et alio intervallo, habebant; unde *cum fascibus esse* 1). Cæterum plerumque ambo foris bellum gerebant, provincias (§. 244.), vel mandante senatu, vel, quod serius usu venit, sorte 2) vel comparatione partiendas designante. Hinc provincias sortiri, parare, comparare, sorte, comparatione dividere, etc. Postremis tamen libertatis temporibus, consulatu plerique in urbe fungentes, in provincias Proconsulum nomine mittebantur. Munus inibant olim, ut alia 3), primis sæculis, initia mittamus, Id. Decemb. 4), post Id. Mart., postremo Cal. Jan. 5); ineuntes in leges jurabant, iidem ad Capitolium solenni pompa (processus consularis) pergentes, ibique sacrificantes 6). In solennibus etiam ponuntur augurium in foro, ante Curiam sacrificium, muneris a servo manumittendo (§. 59.) auspicium 7), et, peracto anno, abdicantis sacramentum, se rempublicam fide administrasse 8).

1) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 31, Dionys. 5, 2, Suet. *Cæs.* 20. — 2) Cf. Liv. 4, 37. — 3) Cf. Pitiscus. — 4) Cf. Liv. 4, 37. — 5) Cf. Cic. *Phil.* 2, 32. — 6) Cf. Ovid. *de P.* 4, 4, 23. sqq. — 7) Cf. Amm. Marc. 22, 7, Claud. *Hon. C.* 4, 613. — 8) Cf. Cic. *ad Div.* 5, 2, ibique Manutium.

189. Sub Cæsaribus Consulum potestatis umbra, honos tamen super cæteros magistratus, novis etiam ornamentis, relictus (§ 186.) At simul imminuta dignitas, paulatim pluribus per annum, binis tamen semper, creatis, unde ordinarii, suffecti 1), etiam, nullo munere, honorarii, ornamentis consularibus 2); quo trahendi quoque codicilli, tanquam diplomata 3), et diptycha 4) consularia (§. 424.) Ademtis, aut specie tantum relictis, queis Consulum in libera civitate potestas cernebatur, nova iisdem munera

mandata, in quibus pupillo tutorem dare (§. 112.), vectigalia, quod olim Censorum, locare (§. 393.), ludis circensibus (§. 348.) præesse 5), quos suo sumtu magnifice et insigni in populum liberalitate celebrabant 6), quæ res inprimis Justinianum movit, ut consulatum aboleret 7), in Imperio Orientali ad a. Chr. 541. superstitem.

1) Cf. Suet. *Galba* 6, *Domit.* 2, Tac. *Hist.* 1, 77, Dio Cass. 48, 35. — 2) Cf. Suet. *Cæs.* 76, Tac. *Hist.* 1, 79. — 3) Cf. Suet. *Cal.* 55, *Cod. Theod.* 6, 22, 1, et 6, 4, 23, Lyd. *de Magistrr.* 3, 7. — 4) Cf. Creuz. §. 138. — 5) Cf. Juven. 11, 193. sqq. — 6) Cf. Lydus 2, 8. — 7) Cf. Gibb. *Hist. of the Fall.*

Prætores.

190. Prætorum origo repetitur ab anno 387, quo quum senatus cum plebe communicatus esset, patricii hanc jacturam novo sui ordinis magistratu compensare studuerunt, causa utentes, absentes plerumque Consules tot rebus gerendis, præsertim juri dicundo, jam non sufficere; sic gradu consulatui secunda 1), iisdemque auspiciis (§. 152.), et velut vicaria potestas, inprimis tamen justitiæ administrandæ, prætura instituta 2); sed eadem mox (circa a. 420.) cum plebe communicata 3). Prætoris, tanquam *præitoris*, a *præire*, vocabulum omnino ducem, unde Græcis στρατηγὸς, principem, præpositum significans, de multis diversisque magistratibus usurpatum. Consulem olim Prætorem, Dictatorem Prætorem maximum esse adpellatum, testatur Livius 4). Inter derivata prætorium, prætoria cohors, alia. Anno, ut plerique existimant 5), 510 accessit, qui inter peregrinos civesque et peregrinos 6) jus diceret, ideoque vocatus Prætor Peregrinus 7); unde distinctio Peregrini et Urbani, qui major etiam et honoratus dicitur 8). Posterius ad sex pluresque auctus Prætorum numerus, e quibus duo Romæ juri

dicundo, reliqui primum provinciis Rectores, post et ipsi Romæ judiciis publicis præfuerunt (§. 264).

1) Cf. Lucan. 3, 106. — 2) V. Liv. 7, 1. — 3) Liv. 8, 15. — 4) 3, 55, 7, 3. Cf. Cic. *de Legg.* 3, 3.— 5) Cf. Hugo *Gesch. d. Röm Rechts* §. 158. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 1, 15. — 7) Cf. Hugo §. 158 et 77, p. 273. — 8) Cf. Ovid. *Fast.* 1, 52.

191. Omnes Prætores, sive Romæ sive in provinciis (§. 251.), munus ineuntes, edictum publicabant per annum ab ipsis in jure dicundo servanda continens. Jus de rebus ad munus eorum pertinentibus edicendi (§. 183.), sive edictis statuendi, multis magistratibus, ut par est, commune fuit, et, Pontificum collegio fuisse, arguit jus pontificium (§. 318.) Edicta distinguuntur repentinis et perpetuis. Inter magistratuum autem edicta, ut reliquiis in jure Justinianeo celebratiora, sic ratione jurisprudentiæ Romanæ inprimis memoranda sunt Ædilium Curulium (ædilitia), et multo etiam majoris momenti Prætorum (prætoria) sive urbana, sive provincialia edicta. Jus ab Ædilibus et Prætoribus inductum honorarium vocatur, ut vulgo docent, ab honore sive auctoritate statuentis magistratus 1).

1) Cf. *Prætor honoratus*. V. Pomponius *Digg.* 1, 2, 2, §. 10, *Institt.* 1, 2, §. 7. Aliter tamen Papinianus *Digg.* 1, 1, 7. Cf. Hein. *Hist. Jur. R. et Germ.* 1, 3, 61, ibique notam Ritteri.

192. Edicti Prætorum annui exemplar nullum exstat; fragmenta 1) et vestigia e *Pandectis*, et quæ præterea in juris fontibus aliasve 2) reperta, multi vel collegerunt vel illustrarunt, quidam genuinam edicti formam restituere conati 3). E fragmentis non obscure intelligitur, in edicto Prætorem multa cum interdixisse tum jussisse, tum vero declarasse, quibus in rebus casibusque, et quo in singulis litigantium pœnæ multæve periculo vel conditione, actio-

nem vel possessionem etiam concederet 4): unde formulæ *vim fieri veto, actionem, possessionem, judicium dabo, agendi potestatem faciam; actio in factum, in rem, in personam, in duplum, triplum; actio centum, ducentorum aureorum; ut, quanti ob eam rem æquum videbitur, condemnetur*, et similia. V. not. ad §. 271. l. Hinc simul conjicimus, quatenus leges, e quibus causa dijudicanda esset, edicto comprehensæ, omninoque ab eo, quod legum codicem vocare consuevimus, non uno nomine discrepare 5). Alia de actionibus ad §. 171. sqq. retulimus 6).

1) Fragmentorum, et in his capitum edicti prætorii exemplum multis locis præbent *Pandectæ*, e quibus cf. l. 3. *de sepulchro violato*; l. 7. 15. 17. *de injuriis et famosis libellis*, ubi multiplex injuriæ distinctio (V. Hein. *Syntagma* 4, 4, 5, vol. 2. pag. 206. sqq.); l. 1. *de servo corrupto* (v. Hein. ib. 4, 3, 9.) De edicto ædilitio *Institt.* 1, 2, 7: *Proponebant et Ædiles Curules edictum de quibusdam causis, quod edictum juris honorarii portio est.* De ipsis rebus cf. *Institt.* 4, 9, et l. 1. 38. 40. sqq. *D. de ædil. ed.* etc.; unde colliges, hoc edicto, quod in provinciis etiam obtinuit, de rebus, maxime de servis (§. 53. Cf. Heindorf. ad Hor. *Sat.* 2, 3, 285.) et jumentis venalibus, deque animalibus feris coercendis statutum. De formula actionis ædilitiæ cf. Hein. *Synt.* 4, 9, 4, pag. 287. Cæterum res ædilitio comprehensæ ad prætorium quoque edictum, certe pleræque, trahebantur, quocum postremo ædilitium esse confusum, existimant. Cf. Hein. 4, 9, 3. Edicti prætorii, quæ supersunt, sententias, ab Hauboldio ordinatas, Mackeldeyi libro, quem §. 261. memoravimus, addidit professor Warnkœnig. — 2) Cf. Cic. *pro Quint.* 27, *Verr.* 1, 45. — 3) V. Hauboldi *Institt. J. R. litter.* t. 1. p. 331. sqq. — 4) Cf. Cic. *p. Rosc. Com.* 8. — 5) Cf. Hugo §. 178. — 6) De ordine rerum in edicto Prætoris Urbani Hasse (*Rhein. Mus.* 1. Jahrg. 1. Heft pag. 51.), hoc edictum, in primaria *de actionibus* parte, ad priscas legis actiones fuisse ordinatum, eamque rationem (*System*) in *Codice* etiam *Justinianeo*, et magis in *Digestis* posse animadverti.

193. Prætori jus erat priorum edictis nova addendi, et, quæ viderentur, mutandi, omnino suum proponendi 1).

Hinc divisio capitum in nova et tralatitia. Cæterum in componendo morum temporis sui mutatæque reipublicæ rationem habebant, cum nova addentes, tum antiquarum legum rigorem temperantes, ipsumque jus honorarium, *juris civilis*, cui, (ut neque populi legibus, neque principali auctoritate constitutum,) opponitur (§. 262.), *adjuvandi, vel supplendi vel corrigendi gratia propter utilitatem publicam*, inductum esse, docet Papinianus 2). Quo nomine ut populi voluntatem Prætores sequerentur, necesse fuit, a lege scripta iis abire licere, sive directe et aperte id, sive antiquitatis specie servata facerent; neque adeo pravis Prætorum artibus tribuenda sunt, quæcunque ab iis per nova vocabula, exceptiones, restitutiones in integrum, et fictiones aliisve modis nova inducta aut mutata inveniuntur; idque contra Heineccii sententiam cum alii, tum egregie demonstrasse videtur Ritterus 3). Dubium tamen non est, quin auctoritate sua abuti facile Prætores et cum bonis mala inducere, quamvis non semper impune, potuerint. Cæterum mutati per annum edicti inprimis accusatos 4) e senatusconsulto (a. 585.), ex actis senatus descripto, colligeres, jubente, *uti Prætores ex suis perpetuis edictis jus dicerent* 5). Sed spurium esse hoc monumentum, Bachio 6) post alios persuasum video. Idem utique centum post annis magna cum nobilium offensione cavit lex Cornelia 7). Posterius mutandi aut inique interpretandi libidinem nonnihil coercuit formula in edicto posita: *quod quisque juris in alterum statuit, ut ipse eodem jure utatur;* quam Salviano demum edicto adjectam existimat Bachius 8). Certum est, paulatim constantius evasisse jus honorarium, idque in libera adhuc civitate; quo magis consentaneum fuit, in eo interpretando atque ordinando jam tum jure consultos operam ponere; e quibus

Cæsaris ætate Servius Sulpicius et Ofilius, uterque Pomponio memorati 9).

1) Cf. Hugo §. 178. — 2) L. 7. §. 1. *de Just. et Jur.* — 3) V. Hein. *Syntagma* l. 1. t. 2. §. 24, ejusd. *Hist. Jur.* cum notis Ritteri l. 1. c. 3. §. 67-70. Cf. et Hugo §. 178 et 179, et Bach. *Hist. Jurispr. Rom.* lib. 2. c. 2. §. 11. sqq. — 4) Cf. Cic. *Verr.* 1, 41 et 45-46, 3, 7, Dio Cass. 36, 23. — 5) V. Hein. *Hist. Jur.* l. 1. c. 3. §. 72. — 6) L. 3. c. 2. §. 6. — 7) V. Ascon. Ped. ad Cic. *p. C. Corn.*, Dio Cass. 36, 23. — 8) L. 3. c. 2. §. 7. — 9) Fr. 2. §. 44. *D.* 1. 2. *Ante eum* (Ofilium) *Servius duos libros ad Brutum perquam brevissimos ad edictum subscriptos reliquit.* Cf. fr. 5. §. 1. D. 14. 3.

194. Neque tamen, quamvis jam pleraque, ut conjicere licet, multo abhinc tempore tralatitia, nec eadem, quæ olim, emendandi aut supplendi necessitas, Prætoribus mutandi aut nova capita addendi jus ademtum 1). Sed novum Adriani jussu edictum composuit Salvius Julianus 2), ipsius convenientia temporibus, compendio 3) materiis distincto, colligens, quædam etiam aut mutans aut nova adjiciens 4), ac, quod vero simile, Prætoris etiam peregrini edictum cum urbano confundens, ædilitio autem appendicis loco accedente 5). Novum hocce edictum perpetuum adpellatum est, non, quasi jam perpetuo idem mansurum, ut plerique credidere, sed servato antiquo edictorum nomine, quæ perpetua, ut annua, non repentina, vocabantur 6).

1) Cf. Plin. *Ep.* 5, 21. — 2) Pomponius *l. c. Edictum Prætoris primus diligenter composuit.* Cf. Eutrop. 8, 9, Vict. *de Cæs.* 19, *Cod.* 4, 5, 10, Constit. *de confirm. Digg.* §. 18. — 3) Cf. *brevis tractatus* Const. *Dedit.* §. 18. — 4) Cf. *Digg.* 37, 8, 3. — 5) Cf. Mackeldey *Lehrb. d. heut. röm. Rechts* §. 40, Hugo §. 311. pag. 518. — 6) Cf. Hugo §. 177 et 311. Is vulgari de novo edicto sententiæ vehementer, sed parum probanda testimoniorum vel interpretatione vel rejectione repugnat (§. 311.), omnium minime concedens, Prætoribus id, nulla in posterum mutandi potestate, servandum fuisse (cf. Mack. §. 40.); de quo dubitare possis, an unquam controversiæ finis futurus. Equidem eo libentius crederem, Principis auc-

toritati, si quid mutandum, esse relictum, quoniam ante et post novum Salvii Juliani edictum diu nihil novi accessisse, et alias vero simile videtur, et ipso Hugone auctore suspiceris (§. 310.); nec sane gravem facile causam reperias, cur Prætorum mutationi id exemtum incredibile sit, in quo moris jam esset nihil ab iis, aut rarissime mutari. Novum vero edictum, quale diximus, quin conditum sit, quamvis in repertis Caji *Institutionibus* non memoretur, minime tamen dubitamus, dubitanti non alius magis quam Mackeldeyi (§. 40.) auctoritatem opponentes.

195. Cætera, quæ de legibus jureque civili et judiciis dicenda, ad caput de justitiæ administratione retulimus (§. 260. sq.); hic de Prætoribus nonnulla addenda supersunt. Prætor de more, oratione in foro (pro Rostris) ad populum habita, edictum sive formulam, adhibitis juris prudentibus confectam, in tabula (album) scriptam, *ubi de plano recte legi posset* 1), proponebat. Solennis exordii formula *bonum factum* 2). Jus dicenti Prætori proprium faciunt 3) tribunal, erecta hasta et gladio; minores magistratus in subselliis judicant. Tribunal 4), cujus formam partesque, gradus, cancellos, cornua, suggestum, subsellia 5), dissertatione illustravit Hommelius 6), simul consilium Prætoris, (consiliarios, judices, assessores, decemviros,) recipiebat (§. 267.). Leviora tamen multa aut domi, aut quocunque loco cognoscebat, vel in via adeuntes audiens; unde notum illud *de plano cognoscere* 7). Judiciariam ejus potestatem definiunt verba *do, dico, addico* 8); de imperio et jurisdictione cf. §. 79. Insignia Prætoris tribunal, quod diximus, sella curulis, toga prætexta, lictores extra urbem sex; in urbe quot fuerint, dubitatur 9). Auspiciis iisdem, queis Consules, creatus dicitur (cf. §. 152.) In ministris, præter lictores, scribæ, accensi, præcones. Prætorem peregrinum munere ab urbano supra distinximus; e cujus edicto an jus dixerit, quæsitum est; suum habuisse, ostendit Hugo 10). Simile quæsitum de edictis provincia-

libus, quæ ad urbanum, quod aliquatenus factum non ægre crederes, composita 11), postremo eidem commista esse, conjiciunt magis, quam arguunt viri docti 12). In provinciis certe obtinuisse urbanum, testem, dubia tamen nonnihil sententia, habemus Theophilum 13); sed eadem prorsus fuisse, ne credamus 14), diversa multis nominibus provinciarum juris ratio suadet. Cæterum aliud, si de libertatis, aliud si de Cæsarum ætate, aliud etiam, si, post concessam cunctis ingenuæ conditionis Imperii incolis civitatem (§. 66.) quid placuerit, quæramus.

1) V. *Digg.* 2. 1. fr. 7. — 2) Cf. Plaut, *Pœn.* prol. — 3) V. Hein. *Synt.* 4, 6, 7. — 4) Cf. Cic. *in Vat.* 14. — 5) Tribunali proximum fuisse Puteal Libonis, quod et simpliciter Puteal adpellatum, eumque locum a fœneratoribus (cf. Ovid. *R. A.* 561, *qui Puteal Janumque timent celeresque Calendas*, et Cic. *p. Sext.* 8.) et causidicis, omnino a litigantibus frequentatum, duobus Horatii locis colligitur, qui, *Sat.* 2, 6, 34, *ante secundam, Roscius orabat, sibi adesses ad Puteal cras*, et, *Epist.* 1, 19, 8, 2, *Forum, Putealque Libonis mandabo siccis.* Ipsum vero, de quo agitur, Puteal, ut alia Romæ, in iisque Nævii, Auguris, memorata, a septo sive muro nomen habet, quo, tanquam putei margine, loca fulgure tacta religioso ritu circumdabantur (§. 94.); idemque Libonis et Scribonianum a Scribonio Libone, (unde in Scribonii quoque et Lepidi numis, aræ quidem specie, expressum cernitur,) vocatum, cui *sacella attacta* conquirendi et *procurandi* curam a senatu mandatam Festus (in *Scribonianum*) testatur. Cæterum, de Puteali Libonis veterum testimonia mire obscura, et alia aliis contraria, atque, ut crederes, valde corrupta, ad nos pervenerunt. Ex illis Porphyrion, ad Hor *Epist.* 1, 19, 8, Puteal, cum tribunali confundens, sedem vocat Prætoris; Acro autem, ad alterum Horatii locum, fœneratores ibi convenisse; sed alios locum dicere, *in quo tribunal solebat esse Prætoris.* Primum Recte rem expediisse Salmasium, adfirmat Wieland, ad Hor. *Epist.* 1, 19, 8; nec repugnat Heindorf, ad *Sat.* 2, 6, 35. Hommelius, licet extra ponat, tamen quasi partem Tribunalis Puteal, neque temere facit, id etiam, quin auctorem citet, addens, manus Puteali admovisse, *quos Prætor jurare cogebat*, notum, opinor, sacramenti ritum (§. 332.) ad Puteal quoque, certe ad aram ibi positam, referens. — 6) Cf. Hein. 4, 6, 7. — 7) V. Hein. ib. §. 8. — 8) Cf. Ovid. *Fast.* 1, 47. V. Hein. 1, 2, 22. — 9) Cf. Plaut. *Epid.* 1, 1, 26.

— 10) §. 177. pag. 275. — 11) Cf. Nieup. 2, 4, 5. — 12) Cf. Hugo. §. 311. pag. 513. 518. — 13) *Institt.* 1, 2, 7. — 14) Cf. Cic *Verr.* 1, 46, et Dirksen. *Versuche zur Krit. und Ausleg. d. Quellen d. Ræm. Rechts*, p. 147.

196. Reliquos Prætores initio provinciis, de quo §. 244., post Romæ judiciis publicis præfectos diximus, de quo §. 263. Novis quæstionibus institutis numerum Prætorum auxit Sylla; mox sub Triumviris ad sexaginta amplius crevit, ab Augusto dein ad duodecim vel decem imminutus 1). Post Augustum quoque variavit, labente Imperio, ad paucos redactus. Prætores fideicommissarios (§. 110.) duos instituit Claudius 2), fiscalem Nerva 3), Tutelarem (§. 112.) M. Aur. Antoninus 4). Ipsa prætura sub Cæsaribus, quoad jurisdictionem, nomine magis quam vetere potestate servata, adpellatione, quæ olim ad populum, ad Principem, serius ad Præfectum Prætorio quoque, ad Præfectum Urbi, et provinciarum Præsides translata. In edicto componendo pariter varie circumscriptam esse magistratus auctoritatem, non est cur dubitemus: quæ si non a novo Salvii edicto, certe non multo post nulla relicta est. Cæterum Prætores Constantinopoli quoque occurrunt, duo a Constantino M. introducti 5), queis urbanum Justinianus adjecit 6). Munera Prætorum a jure dicundo sejuncta, sub Cæsaribus perinde partim ademta, partim mutata, aliis locis attigimus. De ærarii cura cf. Tac. *Ann.* 1, 75, 13, 29, *Hist.* 4, 9.

1) Cf. Tac. *Ann.* 1, 14, 2, 36. — 2) L. 2. §. 32. *D. de Orig. Jur.* — 3) Ib. — 4) Jul. Capit. *M. Anton.* c. 10. et l. 6. §. 13. *D. de excus. tut.* — 5) Cf. Lyd. 2, 30. — 6) Lyd. 2, 29 et 30.

Censores.

197. Censui (§. 75.) agendo in libera civitate primum Consules, dein, circa a. U. C. 310., proprii magistratus bini præfuerunt, a munere Censores, (*a censere, nume-*

rare, æstimare,) tanquam æstimatores, ideoque Græcis τιμηταὶ, munus autem censura adpellata 1). Censores in libera civitate quinto quoque anno, quo censum renovatum diximus, interdum tamen majore intervallo creabantur; potestas autem justo longior libertati, unde jam tum haud exiguam fuisse colligeres, post secundam censuram lege Æmilia annua et semestris facta 2), per reliquum lustri censoria officia Ædilibus. (§ 209.), ut maxime crederem, post Prætore etiam implente. Primum diuque e patriciis (ad a. 404?), dein promiscue, et interdum ambo de plebe creati, sed plerumque consulares. Dignitatis præcipuum mandata morum cura, et omnes ordines notandi jus, (unde nota, animadversio, ignominia cenoria,) dubium 3), quo tempore, vel, si Zamoscium, Livii loco, IV, 24, nitentem, sequimur, initio concessa 4). In senatum Equestremque Ordinem et legendi, et indignos movendi Censorum jus in utroque ordine memoravimus.

1) Liv. 4, 8. — 2) V. Liv. 4, 24. — 3) Cf. Liv. 4, 8. — 4) Liv. 4, 8, *Idem hic annus censuræ initium fuit, rei a parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque romanæ penes eam regimen, senatus Equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent.* Ubi vides Censorum, qualis, quum maxima, fuit, potestatem, non, qualem credibile sit eos aut initio aut paucis post annis habuisse; neque vero hoc vult Livius, *a parva origine deinde* tantopere *auctam* dicens; sed idem, 4, 24, Mamercum Æmilium de censura, ut *magno imperio* loquentem, et *grave esse*, dicentem facit, *iisdem per tot annos magna parte vitæ obnoxios vivere;* unde quid aliud consequetur, nisi, aut Livium, hic, quid velit, vix ipsum scire, aut morum curam jusque cives notandi jam tum, decem videlicet post institutam annis, censuræ fuisse?

198. Omnis autem censoria animadversio ad mores, non ad crimina, quæ proprie vocamus, spectabat. In singulis 1) memorantur: senatu movere, equum adimere (§. 139.),

tribu, velut e rustica in urbanam (§. 143.), movere 2), ærarium facere vel relinquere, i. e. tributo tantum civem relinquere 3), ære uxorio cœlibem multare 4), in Cæritum tabulas referre 5). Notatis ad populum provocatio concessa 6); ipsique Censores se mutuo notare, et in aliis notandis impedire poterant 7). In aliis Censorum muneribus vectigalia locare (§. 393.), opera publica reficienda curare, ***sarta tecta exigere*** 8), et anserum in Capitolio cura 9). De edicto censorio cf. Nep. *Cat.* 2.

1) Cf. Val. max. 2, 9.—2) Cf. Liv. 4, 24, 24, 43.—3) Cf. Liv. ib. et Ascon. in Cic. *Divin.* — 4) Cf. Græcorum *ἀγαμίου* et *ὀψιγαμίου δίκη*. Cf. Val. Max. 2, 9, 1, Fest. in *uxorium*, ibique notam Dacier. — 5) Cf. Hor. *Ep.* 1, 6, 62, Gell. 16, 13. — 6) Cf. Liv. 4, 24. — 7) Cf. Cic. *p. Cluent.* 43. sqq. — 8) V. Cic. *Verr.* 1, 40 et 50. sqq. 3, 7. — 9) V. Cic. *p. Rosc. Am.* 20, Plin. 10, 22.

199. Sub Imperatoribus munera censoria partim ab aliis magistratibus, partim ab ipsis impleta 1), qui morum censuram perpetuam, a senatu Augusto delatam 2), usurpantes, lustralem censum, nec durante libertate statuto semper tempore actum 3), rarius, sive soli, sive adsumto collega 4), egerunt, a Vespasiani imperio (?) omissum 5). Hinc censuram nonnulli extraordinariis magistratibus adnumerant. Insignia Censoribus, præter lictores, eadem quæ Consulibus, haud scio, an satis vere, tribuuntur: proprium, quod, ab a. 488., nemo bis Censor 6) esse poterat; quod, altero mortuo, alter abdicabat 7), quod lecti statim munus inibant.

Ædiles Curules infra (§. 209.) cum Plebejis conjunximus.

1) Cf. Dio Cass. 53, 17. — 2) V. Suet. *Aug.* 27. — 3) Cf. Cic. *in Pis.* 5. — 4) V. Suet. *Aug.* 27, *Tib.* 21, Tac. *Hist.* 1, 9. Planci et Paulli sub Augusto censuram memorat Vell. 2, 95. — 5) Cf. Treb. Poll. *Valer.* — 6) Cf. Val. Max. 4, 1, 3, Liv. 24, 43. — 7) Cf. Liv. ib. et 5, 31, 9, 34.

MAGISTRATUS MAJORES EXTRAORDINARII.

INTERREX ET DICTATOR.

200. Mortuo Rege, unus, vel, si Livium 1) potius, quam Dionysium 2) probamus, decuria senatorum, uno imperii insignia lictoresque habente, summam reipublicæ per quinque dies tenebat 3), succedente vel decuria, vel singulis senatoribus, eodemque ordine ad finem interregni servato 4). Mos, durante libertate, retentus, quum aut auspicia renovanda (§. 158.), aut casu magistratus maximi vel nulli in republica, vel comitiis adesse non possent, alias Dictatore (§. 201.), alias Interrege, eoque semper patricio et a patriciis creato 5).

1) 1, 17. — 2) 2, 57. — 3) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 127, Grimm. ad Dionys. l. c., Wachsmuth *Ælt. Gesch.* pag. 141. — 4) Cf. Wachsm. ib. — 5) Cf. Liv. 6, 41.

201. Dictatoris, paucis post Reges expulsos annis 1), creandi causa fertur Consulum imminuta lege Valeria (§. 71.) potestas, et præsens reipublicæ periculum, Latii populis in Romanos, *concitante Octavio Mamilio*, conjurantibus 2). Cæterum, nec de anno, nec de nomine primi Dictatoris inter veteres convenit 3). Ejusdem nominis magistratum Latinis fuisse, satis constat 4). Vocabuli varia est interpretatio. Alii Dictatorem quasi dictum sive creatum 5), alii quasi edictis sive jussis gubernantem adpellatum esse volunt 6). Idem magister populi vocatus 7). De plebe primum esse dictum (a. 399.) C. Marcium Mamercum, testis Livius 8). Quæ initio, eadem postea Dictatoris creandi causa fuit, summum civitatis, velut tyrannidem metuentis, aut discordia flagrantis, aut ab hostibus vehementius pressæ, discrimen 9). Sed idem aliis quoque de causis creatus inve-

nitur, ut comitiis (§. 158.) habendis 10), quæstionibus exercendis 11), feriis curandis 12), et semel senatui legendo 13). Memorabilis superstitione Dictator clavo figendo; cujus rei originem a vetusto more annos infixis parieti clavis numerandi repetunt 14); sed incertum, quando primum calamitati publicæ avertendæ, incertum etiam, an hic nonnisi a Dictatore fixus 15).

1) Cf. Dionys. 5, 70, Liv. 2, 18 et 32. — 2) Iidem ib. — 3) Cf. Liv. ib., Dionys. 5, 72. Cic. *de Rep.* 2, 32, *decem fere post* primos *Consules* Dictatorem institutum, primumque T. Larcium facit. — 4) V. Liv. 1, 13, Cic. *p. Mil.* 10. — 5) Cf. Varr. *de L. L.* l. 4. p. 22. Cic. *de Rep.* 1, 40, — *Dictator quidem ab eo adpellatur, quia dicitur, sed in nostris libris vides eum, Læli, magistrum populi adpellari.* — 6) Cf. Dionys. 5, 73, Suet. *Cæs.* 77. — 7) V. Fest. in *optima lex.* Cf. Cic. *de Fin.* 3, 22, *de Legg.* 3, 3, *de Rep.* 1, 40. — 8) 7, 17. — 9) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 3. — 10) Liv. 8, 23. — 11) Liv. 9, 26. — 12) Liv. 8, 40. — 13) Liv. 23, 22.— 14) Liv. 7, 3. — 15) V. Liv. ib. et 8, 18.

202. Imperium Dictatoris, cujus arbitrio nil exemtum 1), a tyrannide eo maxime differebat, quod a senatu, nec sine populi, initio certe, consensu datum 2), et sex mensium spatio circumscriptum esset. Edictis Dictatoris tanquam divinis parebatur 3); creato, omnes magistratus, præter Tribunos Plebis, solvebantur 4), quos tamen perinde Dictatoris imperio lege quidem subjectos fuisse, prorsus crederes, ad rempublicam nempe ordinandam instituto 5). A sententia dictatoria provocatio initio non dabatur, non obstante, opinor, lege Valeria, quam in causis creandi Dictatoris memoravimus. Serius tamen provocari potuisse, nonnullis persuasit inprimis locus Festi 6); accedente et e Livio auctorite 7), sed parum apta ad rem dirimendam 8). In aliis, queis coercita posterius aut impedita potestas Dictatoris, ponitur, extra Italiam bellum gerere non licuisse, nec ærario sine senatus auctoritate uti, et, quod mirum

videatur, nec equo sine populi consensu 9); denique, abdicato munere, ad reddendam populo rationem vocari potuisse, vereor, ne male, colligunt ex Liv. VII, 4.

1) Cf. Polyb. 3, 87. — 2) Cf. Dionys. 5, 70. — 3) Liv. 6, 39, 8, 33 et 34. — 4) Polyb. 3, 78. — 5) Cf. Liv. 7, 3, Plut. *Cam.* 39, Creuz. §. 162. — 6) In *optima lex.* — 7) 8, 33. — 8) Cf. Creuz. §. 162. interrogantem. — 9) V. Liv. 23, 14.

203. Præter memorata de Dictatore hæc notanda supersunt. Non populi suffragiis, sed a senatu 1), post ab altero consulum 2), captis auspiciis, *nocte silentio* creabatur sive dicebatur 3). Dici poterat extra urbem, non extra agrum Romanum 4). Imperium plerique paucis diebus, rebus, ob quas creati, compositis, posuerunt; unus Camillus annum tenuit 5.) Insignia eadem, quæ Consulis, sed duplice lictorum numero. Postremo libertatis sæculo dictatura post longum intervallum 6), nomine magis, quam ex vetere instituto, renovata est a Corn. Sylla et Julio Cæsare, Dictatoribus perpetuis.

1) Liv. 2, 30, 3, 26. -- 2) Liv. 9, 38. Cf. 22, 8. — 3) Dionys. 10, 23, Liv. 8, 23. Cf. id. 9, 38, et Fest. in *sinistrum*. V. Creuz. §. 161. p. 173. — 4) Cf. Liv. 27, 5. — 5) Liv. 6, 1. — 6) Cf. Vell. 2, 28.

MAGISTER EQUITUM ET PRÆFECTUS URBI.

204. Magister Equitum dicebatur a Dictatore 1), interdum tamen a senatu aut populo additus 2). Munus ejus equitatui præesse et Dictatoris jussa exequi. Hinc similitudo cum Tribuno Celerum (§. 135.), et Præfecto Prætorio (§. 225.); quatenus ille, regiæ cohortis dux, primum a Rege in republica locum tenuisse narratur 3), hic, imperatoriæ cohortis dux, primum ab Imperatore tenuit 4). Insignia Magistri Equitum eadem quæ Prætoris feruntur.

Præfectus Urbi (Urbis) absentis Regis, post Consulum, et alias, et per ferias Latinas, unde Præfectus feriarum Latinarum 5), vicem implevit, postremo ob hanc tantum

causam, ac sub Cæsaribus etiam, creatus 6). Absente Cæsare Dictatore, sex Præfectis cum Magistro Equitum urbis custodia credita, quem morem Augustus quoque per bella civilia servavit 7). De Præfecto Urbi ab Augusto inducto vide §. 223.

1) V. Liv. 7, 28. — 2) Cf. Liv. VII, 12 et 24. — 3) Cf. Lyd. 1, 14. — 4) Cf. *Digg.* lib. 1. t. 11, Lyd. l. c. — 5) Cf. Dio Cass. 41, 14, Vell. 3, 18. — 6) V. Tac. *Ann.* 6, 11, Gell. 14, 8. — 7) Tac. 6, 11, Vell. 2, 88. V. Creuz. §. 165.

DECEMVIRI LEGIBUS SCRIBENDIS, ET TRIBUNI MILITUM CONSULARI POTESTATE.

205. Circa finem sæculi tertii, vix interrupta inde a Regibus expulsis plebejorum cum patriciis contentione, utrisque persuasum, legibus porro carere rempublicam non posse, queis, totius populi consensu sanctis, jura cum publica tum privata accuratius definirentur 1). Quare, præeunte jam (a. 293.) lege Terentilla, Terentii Arsæ, Tribuni Plebis, ex senatusconsulto (a. 300) legati in Græciam legum colligendarum causa missi; quibus reversis, Decemviri, legibus scribendis creati, legem, quæ decemviralis, eademque a numero, queis continebatur, tabularum, XII tabulæ adpellatur, composuerunt 2). His simul summa reipublicæ in annum tradita, reliquis magistratibus abdicare jussis. Deinde, quod, decem tabulis confectis, quædam omissa videbantur, alter annus potestati, novis cum Appio Clodio, qui inter priores fuerat, decemviris creatis, accessit; quo elapso, duabusque tabulis adjectis 3), a miti imperio ad tyrannidem progressi, abdicare noluerunt, tertioque anno, imprimis Appii Claudii in Virginiam scelere, pars cæsi, pars exules 4), funestum exitum habuerunt 5).

Ab a. fere 310., durante ordinum de consulatu cum plebejis communicando contentione, per annos prope octoginta Consulum lóco creati sunt Tribuni Militum (legionum) consulari potestate, interpositis tamen sæpe Consulibus, quum senatus prævaleret 6); donec a. 387., omissso per multos annos consulatu, plebs evicit, ut alter Consulum de suo ordine legeretur. Tribuni, quamvis invitis patriciis inducti, ut plurimum tamen ex his creati. Numerus 7) inter tres et octo 8) variavit.

1) Hanc vulgo allatam improbat Hugo (§. 50.), longe præcipuam caussam faciens Tribunos Plebis inter et Consules discordiam. Minus novitatis amans, Mackeldey (§. 21.) vulgarem sententiam, egregie interpretans, tuetur. — 2) V. Liv. 3, 9 et 32. sqq. Dionys. lib. 10 et 11, Cic. *de Rep.* 2, 36. Cf. Lyd. 1, 34. — 3) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 37. — 4) V. Liv. 3, 58, et 4, 15, ubi *bonis*, *exilio*, *capite mulctatos*, Dictatorem dicentem fingit. — 5) Decemviros in XII tabulis componendis ab Hermodoro quodam, Ephesio, (de quo cf. Niebuhr. *Ræm. Geschichte* v. 2. p. 110, et, quem hic laudat, Menag. ad Diog. Laert. l. 9. c. 2.) esse adjutos, veteribus fidem faciebat statua ei Romæ in Comitio publice dicata, quam memorans Plinius (34, 5.), *legum quas decemviri scribebant interpretem* eum nominat. De eodem Pomponius (*de Orig. Jur.* l. 2. §. 4.), *quarum* (legum XII tabb.) *ferendarum auctorem fuisse Decemviris Hermodorum quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam retulerunt.* Quo loco Pomponium ob duo reprehendit Dirksen (*Versuche zur Kritik* p. 211.), alterum, quod in re certa, statua scilicet Hermodori confirmata, *quosdam retulisse* dixerit; alterum, quod ex interprete *auctorem legum ferendarum* fecerit. Quæ verba, ut multa Pomponii in titulo *de origine juris*, hominis sunt, quem diceres parum, quid velit, scire. Cæterum, nec e Plinii loco, qualem decemviris operam Hermodorus præstiterit, equidem satis intelligo. — 6) V. Liv. 4, 6. 7. sqq., Dionys. 11, 60. 62. sqq., Pompon. *de Orig. Jur. Digg.* l. 1. t. 2. §. 25, Lyd. *de Magg.* 1, 35 et 45. — 7) De quo cf. conjecturas Creuz. §. 170. — 8) V. Liv. 5, 1, ubi, quod ad *octo*, dubia lectio.

MAGISTRATUS MINORES ORDINARII.

TRIBUNI PLEBIS.

206. Expulsis Tarquiniis, pejor fuit plebis conditio;

quippe Regum potestate (§. 186.) in Consules translata, plebejis, præter legem de provocatione (§. 71.), vix quidquam præsidii contra potentium libidinem relinquebatur. Senatu et cæteris honoribus exclusam, paupertas et hinc contractum æs alienum patriciis magis obnoxiam reddebant: qui legum in obæratos severitate abutentes (§ 72), plebem eo desperationis egere, ut (circa a. 260.), auctore quodam Sicinio, urbe patriciis, et, ut quidam conjiciunt, eorum clientibus 1) relicta, in Montem Sacrum ad Anienem 2) secesserit 3). Missis ex urbe legatis, pax composita, cum alia plebi, ut solvendo imparibus æris alieni abolitionem, concedentibus patriciis, tum, ut proprios de suo ordine magistratus sacrosanctos (§. 71.) ad jura sua defendenda crearet 4). Creati in ipso monte (duo?), sive, quod sunt qui conjiciant, ut lecti e tribunis militum, sive, quod malo, ut plebi præpositi, Tribuni Plebis adpellati sunt 5). Numerus mox ad quinque 6), postremo (a. 297.) ad decem auctus 7). Olim inter plebejos promiscue, septimo jam urbis sæculo inter senatores tantum plebejos legebantur, quod necesse est post legem demum Atiniam, quam a. 624. faciunt 8), placuisse, qua lege Tribunos senatores esse factos, apud Gellium 9) discimus. Patricii a tribunatu semper exclusi (§. 181.), certe suspectus est repugnans Livii locus 10). Exclusos etiam, quibus pater curuli magistratu functus superstes, testatur Livius 11).

1) Cf. Nieb. v. 1. p. 412, Schulze p. 31. — 2) Plebis (sic proprie dicuntur) secessiones plures memorantur, in iisque in Aventinum, quo hanc quoque factam esse, auctor est Piso. Contra alii et hanc et, quæ, Decemviris dominantibus (a. 305.), contigit, ad Montem Sacrum referunt; de qua Cic. *de Rep.* 2, 37, — *et primum Montem Sacrum, sicut erat in simili causa antea factum, deinde Aventinum armatos insedisse.* Idem, 2, 33, de altera secessione; — *cum esset ex ære alieno commota civitas, plebs montem Sacrum prius, deinde Aventinum occuparit.* —

3) V. Liv. 2, 23. sqq. et 2, 32, Dionys. lib. 6. — 4) Liv. 3, 55, Dionys. 6, 89. — 5) Aliter Pomponius (*de Orig. Jur.* 20.) Cæterum tribuni vocis, cui Græcis respondet δήμαρχος, et varius, ut præfecti et magistri, et antiquissimus, in tribuum et Celerum tribunis, usus. In aliis tribuni militum, cohortium, ærarii. — 6) Liv. 2, 58. — 7) Liv. 3, 30. — 8) V. Bach. *Hist. Jurispr. R.* l. 2. c. 2. §. 52. — 9) 14, 8. Cf. Suet. *Aug.* 10. — 10) 3, 65. Cf. Suet. l. c. — 11) 30, 19.

207. Potestas tribunitia initio nulla fere nisi senatus decreta plebi contraria impediendi, quod faciebant solennibus vocabulis *veto* 1), *intercedo;* unde intercessio tribunitia. At mox iidem ad populum, certe ad plebem (§. 168.), leges ferendi, postremo et senatui imperandi jus usurparunt 2). Cæterum, olim, senatu deliberante, ante valvas curiæ sedentes 3), post munere senatores facti; quæ tamen sententia difficultate non caret (cf. §. 175.) Jus quoque, sed parum exploratum, quibus in causis, dixerunt. Denique potestas Tribunorum, nullo satis certo limite coercita, quandoque tyrannidi propior fuit, dissensione inter ipsos, quam callide fovere consueverat senatus (cf. §. 162.), potissimum impedita; postremo a Sylla Dictatore ad solam intercessionem redacta, moxque per Pompejum restituta, quum ad finem usque libertatis durasset, Augustus (§. 221.) in tribunitia potestate 4) justæ dominationis speciem quæsivit, manente tamen ad labentis Imperii tempora inani nomine magistratus 5), et incerto Tribunorum numero.

1) V. Liv. 6, 35, Suet. *Tib.* 2. — 2) Cf. Liv. 4, 26, 5, 9, 6, 35, 25, 3 et 4. — 3) Cf. Val. M. 2, 2, 7. — 4) Cf. Tac. *Ann.* 1, 2, Suet. *Aug.* 27. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 1, 77. Cf. Nieup. Sect. 2. c. 6. §. 4.

208. Præter originem, et quæ de potestate Tribunorum Plebis hic aliisque locis diximus, hæc notanda veniunt. Munus inibant mense Decembri, quo primi creati; de die vide §. 171. Insignia magistratuum nulla habebant, viator

tamen prodeuntibus adparebat; neque in tribunali (§. 195.), sed in subselliis jus dicebant, iidem tamen inter alios magistratus primo loco sedentes. Persona eorum vel verbis violanti sacra (§. 71.), potestas etiam Dictatoris imperio exemta fuisse dicitur (cf. §. 202.), cæterum extra urbem mille passuum spatio, scilicet quibusdam in rebus, circumscripta. Rure pernoctare Tribunis non licebat, neque ultra diem, nisi per ferias Latinas 1), urbe abesse. Fores denique eorum noctu quoque patebant 2): quæ singula quibus temporibus et quatenus ita cauta observataque fuerint, difficile sit, certe in plerisque, idoneis argumentis demonstrare.

1) Cf. Dionys. 8, 87. — 2) V. Gell. 3, 2, 13, 12, Macrob. *Sat.* 1, 3.

ÆDILES PLEBEJI ET CURULES.

209. Ædiles, (unde ædilitas et ædilitius), ut plerique veterum tradidere, a parte muneris, ædium, sive omnino 1) sive sacrarum 2) cura, adpellati 3), alii plebeji, alii curules, utrique bini fuere: illi simul cum Tribunis, iisque ministri 4), et semper de plebe creati, nullis insignibus, sed sacrosancti, ut Tribuni 5); curules, a sella curuli, prætextam insuper et jus imaginum (§. 132.) habentes 6), a. 387., ludorum magnorum occasione, accesserunt, adjecta, in memoriam communicati cum plebe consulatus, die; qua quum præesse ludis Ædiles plebeji recusarent, juvenes patricii ea conditione curam hanc ultro suscepere, ut bini e patriciis Ædiles adderentur 7). Sed ab anno insequenti alternis plebeji et patricii, post promiscue creati sunt 8).

1) Cf. Fest. in *Ædilis*. — 2) Cf. Dionys. 6, 90. — 3) Pomponius, fr. 2, §. 21. *de Orig. Jur.* — *ut essent, qui ædibus præessent, in quibus omnia scita plebs deferebat, duos ex plebe constituerunt, qui etiam ædiles adpellati sunt.* Quæ, quod ad ædes, unde Ædiles dicantur, nec cum aliorum

sententia conveniunt, et, quin corrupta sint, vix dubitandum existimo; quo quidem magis miror, Dirksenium, historicam Pomponii fidem (*Versuche zur Kritik — d. röm. Rechts*, p. 207. sqq.) expendentem, hunc locum silentio præteriisse.—4) Cf. Dionys. 6, 90.— 5) V. Liv. 3, 55. — 6) Cf. Cic. *Verr.* 5, 14. — 7) V. Liv. 6, 42. — 8) V. Liv. 7, 1.

210. Munus Ædilium, a parvis initiis profectum, non absimile eorum, quos *politiæ* vel præfectos vel inspectores hodie vocamus 1). In illo fuit templorum, et omnino publicorum operum, viarum etiam cura; neque pars exigua muneris ludorum publicorum celebratio, et annonæ cura 2), rerumque venalium regimen, unde Græcis ἀγορανόμοι dicuntur 3). Late item patebat morum publicorum iisdem mandata cura 4); quo nomine difficile fuerit eos a Censoribus (§. 197.) munere distinguere. Cæterum, satis constat, non omnia utrisque Ædilibus communia fuisse; et plebejis censura instituta quædam detracta, cum aliis facile crederes; quamvis credibile etiam, cessante per majorem lustri partem Censorum potestate, ad Ædiles eorum munera quædam pertinuisse. A curulibus ludos præcipuos procuratos, certum est 5): quod officium sub finem liberæ civitatis sumtuosissimum 6). Sub Cæsaribus ædilitatis nomen ad Constantinum M. superasse videtur. De edicto ædilitio vide §. 192. Novum genus Ædilium Cereales 7), a Julio Cæsare frumento dividendo, unde nomen, præfecti 8), quos patricios semper fuisse, vereor, ne temere contendant 9); certe, cur fuerint, probabilem causam quæreres.

1) V. Dionys. 6, 90, Cic. *Verr.* 5, 14, *de Legg.* 3, 3. — 2) V. Cic. ib. — 3) V. Dionys. l. c., Lyd. 1, 35. Cf. Juven. 10, 101, Pers. 1, 130, Plaut. *Rud.* 2, 3, 42. — 4) Cf. Gell. 10, 6, Sen. *de Vita Beata* 7. — 5) Cf. Cic. *de Legg.* 3, 3. Idem *Verr.* 5, 14, *nunc sum designatus Ædilis. Habeo rationem, quid a populo Romano acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cæremonia Cereri, Libero Liberæque faciundos, mihi Floram matrem populo plebique Romanæ ludorum celebritate*

placandam, mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæ, esse faciundos, mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam urbem tuendam esse commissam. Ob earum rerum laborem et sollicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendæ. — 6) Cf. Cic. *p. Mur.* 19. 20, Plin. 33, 3, Beauf. vol. 1. p. 355. — 7) Cf. Lyd. 1, 48. — 8) V. Pomp. *Digg.* 1, 2, 2, §. 32. — 9) Cf. Nieup. sect. 2. c. 5. §. 2.

QUÆSTORES.

211. Quæstorum originem veteres plerique ab Regum ætate, et crebrior fama a Tullo Hostilio repetebat 1); contra et Plutarchus 2) a Valerio Publicola institutos, et Pomponius 3) Tribunis plebis posteriores facit. A Livio autem 4) primum memorantur circa annum 269; ut hinc colligere de eorum initio nequeas. Creandi etiam potestas, si, Tacitum aliosque secuti, initio regum, deinde Consulum quoque fuisse statuamus, quo tempore populo concessa sit, dubium relinquunt dissentientes auctores 5). De numero tamen convenit, primum duos creatos, post 6) duos additos esse. Convenit etiam, exinde duos Romæ munere functos, duos Consules in bellum comitatos; unde hi militares vel provinciales (§. 249.), illi urbani adpellantur. Italia subacta, quatuor accesserunt 7), singuli, ut quidam volunt 8), singulis partibus sive provinciis (§. 243.) Ad vicenos, nisi potius vicenis, numerum auxit Sylla 9), senatui supplendo (§. 173.), ad quadraginta Cæsar 10); sub Cæsaribus variavit. Quæstura patriciorum jure fuit ad annum, ut videtur, 334; sed plebeji aliquot post annis demum creati inveniuntur 11). Eadem primus honorum ad consulatum gradus 12), et prævia (§. 174.) senatoriæ dignitas, insignibus tamen carebat; nisi quod, militaribus lictores adparuisse, quidam conjecerunt 13). Prehensionem Quæs-

tores non habuisse, testis Gellius 14). De jure ad populum referendi cf. eundem, et Dionysium 15).

1) V. Ulp. in *Pandd. de Off. Quæst.* Cf. Dionys. l. 5. p. 305. Tac. *Ann.* 11, 22, *apud majores virtutis id* (quæstura) *præmium fuerat, cunctisque civium, si bonis artibus fiderent, licitum petere magistratus. Ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa consulatum ac dictaturas inirent. Sed Quæstores Regibus etiam tum imperantibus instituti sunt: quod lex curiata ostendit, a L. Bruto repetita. Mansitque Consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret. Creatique primum* (sc. a populo) *Valerius Potitus et Æmilius Mamercus*, LXIII. *anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein, gliscentibus negotiis, duo additi, qui Romæ curarent* (?). *Mox duplicatus numerus, stipendiaria jam Italia, et accedentibus provinciarum vectigalibus. Post, lege Syllæ, viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat, etc.* — 2) In *Public.* pag. 183. — 3) L. 2. §. 22. *Digg. de Orig. Jur.* — 4) 2, 41. — 5) Cf. Ulpianus, et Tacitus l. c. — 6) Circa a. 335.? V. Liv. 4, 43, Tac. l. c. — 7) Cf. Tac. l. c. et Liv. ep. lib. 15. — 8) V. Nieup. 2, 7, 1. — 9) Tac. l. c. Cf. Lyd. 1, 27. — 10) V. Dio Cass. 43, 47. — 11) V. Liv. 4, 43 et 54. — 12) Cf. Cic. *Phil.* 11, 5. — 13) Cf. Cic. *p. Planc.* 41. — 14) XIII, 12. — 15) 8, 77.

212. De munere autem Quæstorum, si Regum, quin etiam proxima liberæ civitatis tempora respicias, ut concedas, Regum tum potius Consulumque ministros, quam populi magistratus fuisse 1), non facile tamen ad liquidum perduxeris, utrum pecuniæ publicæ jam tum exactores, custodesque ærarii, an maleficiorum modo delatores publici 2) fuerint; quanquam, utrumque fuisse, vero similius existimamus; et ipsa vocabuli apud Varronem interpretatio 3) utrumque complectitur; qua nos ita movemur, ut a maleficiis potius, quam a pecuniis conquirendis 4) vocatos esse, statuamus, vocabuli posteriore ætate vim intuentes 5), postquam, mutato vetere instituto, præcipuum in Quæstorum munere fuit vectigalium cum custodia tum administratio.

1) Cf. Creuz. §. 156. — 2) Cf. Liv. 2, 41, 3, 24 et 25. Cic. *de Rep.*, 2, 35, Dionys. l. 8. p. 544 et 546. Judices rerum capitalium (*Blutrichter*), ut Quæstores parricidios, facit Creuzer (§. 156.) Munere, quo post Triumviri Capitales, functos esse Quæstores, tradit Varro (v. notam seq.); sed cum his triumviris (§. 215.) non confundendi Quæstores Parricidii. — 3) *De L. L.* l. 4, p. 22. *Quæstores, a quærendo, qui conquirerent publicas pecunias, et maleficia, quæ triumviri capitales nunc conquirunt; ab heis postea, qui quæstionum judicia exercent, quæstores dicti.* — 4) Cf. Fest. in *Quæstores;* Pomp. *de Orig. Jur. Digg.* l. 1. t. 2. §. 22. — 5) In *Quæstor, Quæsitor, quæstiones perpetuæ, Quæstores Parricidii* (V. §. 133.) Cf. Varro l. c.

213. Ex eo igitur Quæstorum urbanorum 1) fuit pecuniam publicam exigere, cogere, in ærario condere, et, sub senatus auctoritate, in obvias necessitates erogare, acceptorumque et expensorum rationes conficere. Unde par erat, ad eosdem pertinere prædam hostilem 2) et damnatorum bona publicata vendere 3). In aliis officiis ponitur jurisdictionis species parum nota 4); quod legatos publico hospitio excipiebant 5), senatus consulta (§. 182.) itemque signa militaria (§. 367.) in Ærario adservabant, quæ ducibus ad bellum abeuntibus mittebant 6). Mos etiam, triumphaturos apud Quæstores jurare, verum se senatui hostium cæsorum numerum scripsisse 7). Dubito, an ad urbanos tantum pertineat, quod Quæstoris fuisse memorant, jus centumviralem hastam cogendi, ab Augusto ad decemviros translatum 8). Sub Quæstoribus scribarum magnus numerus, et tribuni, ab eo, quod pecuniam 9) militibus reddebant, ærarii adpellati 10); quos numerosos fuisse, Ciceronis loci 11) declarant. Ex iis tertiam judicum decuriam compositam (§. 269.), eosdemque valde honoratos diximus (§. 380.)

Quæstores provinciales, iidem passim proquæstores aut pro quæstore adpellati 12), stipendii (§. 374.) et annonæ apud exercitum curam habentes, privatam quoque militum

pecuniam apud signa depositam custodientes 13), simul vectigalia et tributa cum alia, tum frumenti cogebant, manubiasque vendebant, de his omnibus ad urbanos Quæstores referentes. Iidem mandatam a provinciæ rectoribus jurisdictionem exercuisse inveniuntur 14), interdum et absentium vicem implentes.

1) Insignis de primario horum officio locus Plut. in *Cat. min.* p. 766. sqq. — 2) Cf. Dionys. 7, 63. — 3) Cf. Gell. 13, 24. — 4) Cf. Plut. *Cat. min.* p. 766. — 5) Cf. Plut. *Quæst. Rom.* 42, Val. M. 5, 1, 1. — 6) V. Liv. 3, 69, 7, 23. — 7) V. Val. M. 2, 8, 1. — 8) Cf. Suet. *Aug.* 36, Creuz. §. 157. — 9) Æs militare. V. §. 271. c. Cf. Gell. 7, 10, Plaut. *Aulul.* 3, 5, 52. — 10) V. Varro *de L. L.* l. 4, p. 42. — 11) *Cat.* 4, 7, *p. Planc.* 8. — 12) De pro Quæstore, ut Quæstoris provincialis vicario, cf. ambiguos locos Cic. *Verr.* 1, 15 et 36. Cic. *Div.* §. 19 et alii et ipse male huc traxi. — 13) Cf. Suet. *Cæs.* 7. — 14) Cf. Cic. *ad Div.* 2, 15 et 18.

214. Sub Imperatoribus quæstura, ne perpetua quidem, ut e Tacito 1) colligitur, multas crebrasque mutationes experta 2), in quibus ab Augusto binis Prætoribus mandata ærarii cura 3), quæ a Claudio 4) triennalibus reddita, inde ab Nerone ad Quæstores non rediisse videtur 5). Novum genus Quæstorum, sub Augusto primum, sed nondum perpetuo munere, occurrentes 6), Quæstores, Candidati, tanquam ad majores honores adspirantes, opinor (v. §. 184.), iidemque Candidati et Quæstores Principis a munere, utpote Principum libellos in senatu legentes, adpellati 7). Cum Principum auctoritate crevit dignitas muneris, filiis etiam eorum et in imperio successuris mandati 8). Postremo Cancellariis nostris non absimiles 9), tumque Quæstores Palatii vocati inveniuntur, dubitante tamen Creuzero 10), an nova hæc majorque dignitas 11). Ab omnibus, quos memoravimus, differunt Quæstores Parricidii (§. 263.) Classicos, rerum ignarus, induxit Lydus 12).

1) *Ann.* 13, 29. — 2) Tac. ib. — 3) V. Suet *Aug.* 36, Dio Cass. 53, 2. — 4) V. Suet. *Claud.* 24. — 5) Cf. Lips. excurs. ad Tac. l. c. — 6) Cf. Dio Cass. 54, 25, Suet *Aug.* 35, Creuz. §. 158. — 7) V. Ulp. *de Off. Quæst. Digg.* 1, 13. Cf. Tac. *Ann.* 16, 27, Lyd. 1, 28. — 8) Cf. Suet. *Tit.* 6. — 9) Cf. Symm. *Epistt.* 1, 17. — 10) §. 158. — 11) Cf. Lyd. 1, 28. 12) 1, 27. V. Creuz. §. 158.

CURATORES, TRIUMVIRI, ETC.

215. In magistratibus nobis etiam memorandis dintinguuntur Curatores et Triumviri, utrique partim ordinarii, partim extraordinarii, cæterum multiplicis generis, atque ordinarii plerique sub Cæsaribus instituti 1). Inter Curatores occurrunt viarum (§. 48.), quæ cura olim Ædilium, primum omnibus quatuor, post singuli singulis 2); Curatores riparum (alvei), aquarum (§. 50.) Prorsus diversi generis Curatores Kalendarii, de quo §. 384. Inter Triumviros sunt Capitales, etiam simpliciter Triumviri 3), de servorum et infimæ conditionis hominum 4), de peregrinorum etiam criminibus cognoscentes, et ab aliis magistratibus damnatos supplicio adficientes 5); nocturni, urbis vigiliis, queis sub Augusto Præfectus Vigilum, præpositi 6); monetales 7), qui auro, argento, æri flando, feriundo dicuntur, in monumentis sæpe litteris a. a. a. f. f. designati 8), non confundendi cum numulariis 9) sive pecuniæ spectatoribus 10).

1) Cf. Suet. *Aug.* 7, Onuphr. Panv. *de Civ. Rom.* c. 58. sq. — 2) Cf. Cic. *ad Att.* I, 1. — 3) Cf. Plaut. *Amphitr.* 1, 1, 3. — 4) Cf. Plaut. *Aul.* 3, 2, 2. — 5) Cf. Liv. 32, 26, Sall. *Cat.* 51, Val. M. 8, 4, 2. — 6) V. *Digg. de Off. Præf. Vig.* Cf. Lyd. 1, 50. — 7) Cf. Cic. *ad Att.* 10, 11. — 8) V. Pomp. *Digg.* 1, 2, 30. Cf. Dio Cass. 54, 26. Spanh. *de Usu et Præst. Num.* 2. p. 167. Eckh. *Doctr. Numm.* v. 5. p. 6. — 9) V. l. 39. *Digg. de solut.*, et Donat. ad Ter. *Eun.* 3, 15, 18. — 10) Ad magistratus minores etiam trahendi Decemviri stlitibus judicandis (§. 267.), et e præfectis illi, quos a populo in Præfecturas Italiæ missos diximus (not. §. 127.); quosque, numero quatuor, cum Decemviris, Triumviris Capitalibus, Triumviris Monetalibus, cumque sex Viarum Curatoribus collegio Vigiuti sex Virorum comprehensos esse, unus fere idoneus testis est Dio

Cassius (54, 26. Cf. Fest. in *Præfecturæ.*) Hoc collegium, eodem auctore Dione, sub Augusto, abolitis scilicet Præfectis illis, duobusque viarum extra urbem curatoribus, ad viginti viros, unde Vigintiviratus (Tac. *Ann.* 3, 29.), redactum, tumque ex Equitibus compositum; idemque, ut prævium quæsturæ munus, ab adolescentibus, e Principum quoque domo, tanquam primus honorum gradus, expetitum (v. Dio 54, 26. Cf. *Tac. Ann.* 3, 29, Æl. Spart. *Did. Jul.* 1, Masson in *Vita Ovidii*, ad versum *eque viris quondam pars tribus una fui*, Stieglitz *Archæol. Unterhalt.* p. 42, Creuz' §. 160.)

216. In extraordinariis magistratibus, præter alios quam plurimos, etiam numerantur Præfecti vel Curatores 1) annonæ (§. 209.), sub Augusto ordinarii facti 2); Quinqueviri v. Triumviri Mensarii (§. 384.), æri alieno ordinando et solvendo 3); Triumviri, Quatuorviri, Decemviri coloniæ deducendæ, iidem agrarii et agris dandis, dividundis adpellati 4), in numis occurentes; Quinqueviri minuendis sumtibus; Duumviri dedicandis ædibus; navales 5); Triumviri ædibus sacris reficiendis 6); Quinqueviri muris turribusque reficiendis 7); Triumviri valetudinis, qui an fuerint, ab interpretatione numi gentis Aciliæ pendere video 8), etc.

1) Cf. Suet. *Aug.* 37. — 2) Cf. Liv. 4, 12, Cic *ad Att.* 4, 1, Dio Cass. 39, 9. Abundantiam sub Trajano laudat Plin. *Pan.* 29. — 3) V. Liv. 7, 21, 23, 21. — 4) Cf. Liv. 3, 1; 8, 16; 34, 53, 39, 22. — 5) V. Liv. 9, 30. Cf. 40, 18, 41, 1. — 6) V. Liv. 25, 7. — 7) V. Liv. ib. — 8) V. Reines. *Synt. Inscriptt. Class.* 1. n. 116, Eckhel *Doctr. Numm.* v. 5. p. 119, Spanh. *de Usu et præstant. Numismm* 2. p. 15., Creuz. *Symbolik* 2. p. 414-416, qui, locos hic indicatos laudans (*Abriss der Rœm. Antiqq.* §. 159.), idem quærit, Triumviros valetudinis fuisse, an literatis monumentis argui possit.

MAGISTRATUUM MINISTRI.

217. Post liberæ civitatis magistratus ministri eorum memorandi veniunt, iidem, certe plura genera, adparitorum nomine, unde adparitio, Tamquam adparentium sive

præsentium ad jussa facienda 1), comprehensi, et in provinciis quidam statores etiam, tanquam stantes ad jussa, adpellati 2), cæterum omnes, quamvis ex infima conditione, liberi tamen, nisi servos publicos huc trahamus, ac sæpe magistratus liberti 3); sed distinguendi ab aliis, qui publice addebantur. Inter ministrorum genera occurrunt scribæ 4), in decurias 5), et inter magistratus sorte divisi 6), ab iisque nomen habentes, unde scriba consularis, prætorius, censorius, alii 7); præcones 8), et ipsi officiis varii, in comitiis, in senatu, aliisque congregationibus, in auctionibus (§. 100.) etiam judiciisque et funeribus 9) proclamantes, prædicantes; coactores 10), iidem collectarii dicti, debita sive ab auctionibus, sive alias cogentes, i. e. exigentes, colligentes 11); lictores 12), Consulibus, Prætoribus, omnino imperium habentibus adparentes, cumque fascibus antecedentes, obviosque observantiæ, quo trahenda vox *animadvertere* (§. 186.), admonentes 13), iidem damnatos pœna, (virgis, verberibus, securi,) adficientes 14).

1) Cf. Serv. ad *Æn.* 12, 851, Gell. 10, 3, Sigon *de Ant. Jure civ. Rom.* 2, 15, Creuz. §. 174; de voce *adparitio* Cic. *ad Div.* 13, 54, *ad Quint* fr. 1, 1, 4, Ulp. *Pandd.* 4, 2, 23, 3. — 2) Cf. Petron. *Satyr.* c. 120, Cic. *ad Div.* 2, 17, Ulp. *Pandd.* 4, 16, 10. — 3) Cf. Sigon. l. c., Cic *ad Quint. fr.* 1, 1, 4. — 4) De voce et munere cf. Fest. in *scribas*, Cic *Verr.* 3, 79. — 5) V. Schwarz ad Nieup. p. 190. — 6) Cf. Cic. *Cat.* 4, 7. — 7) Cf. Cic. *Verr.* 3, 80, Suet. *Vesp.* 3. — 8) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 86. — 9) Cf. Varr. *de L. L.* l. 4. p. 38.— 10) Cf. Hor. l. c., Cic. *p. Cluent.* 64. — 11) Cf. Suet. *Vesp.* 1, *coactiones argentarias factitavit*, et *Pandd.* 40, 7, 40, §. 8, *argentarius coactor quum pæne totam fortunam in nominibus haberet*, etc. — 12) De Voce cf. Gell. 12, 3, ubi, Tironem Tullium, Ciceronis libertum, scripsisse, lictorem vel a limo vel a licio dictum; *licio enim transverso, quod limum adpellatur, qui magistratibus præministrabant*, cinctos fuisse. At ipse Gellius tanquam virgis cædendorum manus et crura ligantes, sive vincientes, lictores vocatos mavult, Valgii Rufi, quam refert, sententiam sequens. Plutarchus (*Rom.* 26. p. 34.), vocem a ligando derivans, idem tamen conjicit, fortasse prius *lictores*,

tanquam λειτουργοὺς (ministros), post, inserto K, lictores esse adpellatos. — 13) Cf. Liv. 24, 44, et, Suet. *Cæs.* 80, *lictor animadverti jussit.* — 14) Cf. Liv. 1, 26.

218. In cæteris ministris viatores, ut Tribunorum Plebis (§. 208.), Censorum 1), Consulum 2), a via sive convocandi munere, ut volunt, dicti 3); accensi 4) et aliis officiis apud magistratus 5), et olim horis clamandis 6), in funeribus quoque memorati 7), cæterum diversi a militaribus (§. 144.), qui ad literatam sub Cæsaribus militiam sive officia traducti (§. 239.); nomenclatores 8), primum privatorum (§. 184.), post magistratuum etiam 9). Ministris denique interpretes etiam adnumerantur, quorum in senatu, ut par erat 10), et vulgo in provinciis usus, unde in magistratuum provincialium comitatu reperiuntur (§. 247.) Infimo loco, ut hodie etiam, munere abominato carnifex, ideoque urbe exclusus 11), servorum (§. 55.) et infimæ sortis hominum supplicio, olim, ut nonnulli volunt, carceris quoque sub Triumviris (§. 215.) custos 12).

1) V. Liv. 39, 44. — 2) Id. 8, 18. — 3) Cf. Cic. *Cat. maj.* 16. — 4) Num ut adcensi sive additi? Ab acciendo derivat Varr. *de L. L.* pag. 62. Cf. Lyd. 1, 13. ibiq. notam nostram in *Epist. ad Has.* p. 16. — 5) Cic. *ad Quint. fr.* 1, 1, *Verr.* 2, 10. — 6) V. Varr. l. c. — 7) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 24. 61. — 8) A *calare*, v. §. 149. — 9) Cf. Lyd. 3, 8. — 10) Cf. Cic. *de Fin.* 5, 29. — 11) V. Cic. *p. Rab.* 4 et 5, Plaut. *Pseud.* 1, 3, 98, Tac. *Ann.* 2, 33. — 12) Cf. Plaut. *Rud.* 3, 6, 19.

DE MUTATA SUB CÆSARIBUS REIPUBLICÆ FORMA.

219. Quod in præfatione ad hunc librum diximus, nos in antiquitatibus Romanorum enarrandis ea, quæ ad Cæsarum ætatem pertinent, pleraque attingere tantum, paucis immorari constituisse, id hoc loco repetendum ducimus, de mutata sub Imperatoribus reipublicæ forma præcipua quæ-

præsentium ad jussa facienda 1), comprehensi, et in provinciis quidam statores etiam, tanquam stantes ad jussa, adpellati 2), cæterum omnes, quamvis ex infima conditione, liberi tamen, nisi servos publicos huc trahamus, ac sæpe magistratus liberti 3); sed distinguendi ab aliis, qui publice addebantur. Inter ministrorum genera occurrunt scribæ 4), in decurias 5), et inter magistratus sorte divisi 6), ab iisque nomen habentes, unde scriba consularis, prætorius, censorius, alii 7); præcones 8), et ipsi officiis varii, in comitiis, in senatu, aliisque congregationibus, in auctionibus (§. 100.) etiam judiciisque et funeribus 9) proclamantes, prædicantes; coactores 10), iidem collectarii dicti, debita sive ab auctionibus, sive alias cogentes, i. e. exigentes, colligentes 11); lictores 12), Consulibus, Prætoribus, omnino imperium habentibus adparentes, cumque fascibus antecedentes, obviosque observantiæ, quo trahenda vox *animadvertere* (§. 186.), admonentes 13), iidem damnatos pœna, (virgis, verberibus, securi,) adficientes 14).

1) Cf. Serv. ad *Æn*. 12, 851, Gell. 10, 3, Sigon *de Ant. Jure cir. Rom*. 2, 15, Creuz. §. 174; de voce *adparitio* Cic. *ad Div*. 13, 54, *ad Quint* fr. 1, 1, 4, Ulp. *Pandd*. 4, 2, 23, 3. — 2) Cf. Petron. *Satyr*. c. 120, Cic. *ad Div*. 2, 17, Ulp. *Pandd*. 4, 16, 10. — 3) Cf. Sigon. l. c., Cic *ad Quint. fr*. 1, 1, 4. — 4) De vôce et munere cf. Fest. in *scribas*, Cic *Verr*. 3, 79. — 5) V. Schwarz ad Nieup. p. 190. — 6) Cf. Cic. *Cat*. 4, 7. — 7) Cf. Cic. *Verr*. 3, 80, Suet. *Vesp*. 3. — 8) Cf. Hor. *Sat*. 1, 6, 86. — 9) Cf. Varr. *de L. L*. l. 4. p. 38.— 10) Cf. Hor. l. c., Cic. *p. Cluent*. 64. — 11) Cf. Suet. *Vesp*. 1, *coactiones argentarias factitavit*, et *Pandd*. 40, 7, 40, §. 8, *argentarius coactor quum pæne totam fortunam in nominibus haberet*, etc. — 12) De Voce cf. Gell. 12, 3, ubi, Tironem Tullium, Ciceronis libertum, scripsisse, lictorem vel a limo vel a licio dictum; *licio enim transverso, quod limum adpellatur, qui magistratibus præministrabant*, cinctos fuisse. At ipse Gellius tanquam virgis cædendorum manus et crura ligantes, sive vincientes, lictores vocatos mavult, Valgii Rufi, quam refert, sententiam sequens. Plutarchus (*Rom*. 26. p. 34.), vocem a ligando derivans, idem tamen conjicit, fortasse prius *lictores*,

tanquam λειτουργοὺς (ministros), post, inserto K, lictores esse adpellatos. — 13) Cf. Liv. 24, 44, et, Suet. *Cæs.* 80, *lictor animadverti jussit.* — 14) Cf. Liv. 1, 26.

218. In cæteris ministris viatores, ut Tribunorum Plebis (§. 208.), Censorum 1), Consulum 2), a via sive convocandi munere, ut volunt, dicti 3); accensi 4) et aliis officiis apud magistratus 5), et olim horis clamandis 6), in funeribus quoque memorati 7), cæterum diversi a militaribus (§. 144.), qui ad literatam sub Cæsaribus militiam sive officia traducti (§. 239.); nomenclatores 8), primum privatorum (§. 184.), post magistratuum etiam 9). Ministris denique interpretes etiam adnumerantur, quorum in senatu, ut par erat 10), et vulgo in provinciis usus, unde in magistratuum provincialium comitatu reperiuntur (§. 247.) Infimo loco, ut hodie etiam, munere abominato carnifex, ideoque urbe exclusus 11), servorum (§. 55.) et infimæ sortis hominum supplicio, olim, ut nonnulli volunt, carceris quoque sub Triumviris (§. 215.) custos 12).

1) V. Liv. 39, 44. — 2) Id. 8, 18. — 3) Cf. Cic. *Cat. maj.* 16. — 4) Num ut adcensi sive additi? Ab acciendo derivat Varr. *de L. L.* pag. 62. Cf. Lyd. 1, 13. ibiq. notam nostram in *Epist. ad Has.* p. 16. — 5) Cic. *ad Quint. fr.* 1, 1, *Verr.* 2, 10. — 6) V. Varr. l. c. — 7) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 24. 61. — 8) A *calare*, v. §. 149. — 9) Cf. Lyd. 3, 8. — 10) Cf. Cic. *de Fin.* 5, 29. — 11) V. Cic. *p. Rab.* 4 et 5, Plaut. *Pseud.* 1, 3, 98, Tac. *Ann.* 2, 33. — 12) Cf. Plaut. *Rud.* 3, 6, 19.

DE MUTATA SUB CÆSARIBUS REIPUBLICÆ FORMA.

219. Quod in præfatione ad hunc librum diximus, nos in antiquitatibus Romanorum enarrandis ea, quæ ad Cæsarum ætatem pertinent, pleraque attingere tantum, paucis immorari constituisse, id hoc loco repetendum ducimus, de mutata sub Imperatoribus reipublicæ forma præcipua quæ-

dam, et in his imperatoriam potestatem novosque magistratus, postremo dignitates, ut vocant, utriusque Imperii, maximam partem ruente jam orbe Romano inducta munera titulosque, brevissime complexuri.

Victarum gentium divitiis moribusque corrupti, Romani in semet sævire cœperunt. Respublica Syllano bello vix emersa, et vehementius adflicta, quam ut stare diu posset, plane interiit secundo bello civili. Cæsaris dictaturam excepit acerbior triumvirorum libido, fluctuante etiam civitatis statu, postquam unus Octavianus superavit, donec ad eum summa rerum consensu senatus populique (a. U. C. 727.) delata est.

220. Tali modo Augustus, quam antea vi tenuerat, legitimam potestatem adeptus, a proposito, sive vero sive simulato, libertatem Romanis reddendi Mæcenatis auctoritate deterritus, ejusdemque callido in republica ordinanda consilio usus, imperium ita retinuit, ut speciem libertatis relinqueret 1). Nam, manente senatu, manentibus populo (§. 228.) comitiis, sensim primaria utriusque jura, nec minus summorum magistratuum potestatem in se traxit 2). Qua ratione quum ipse principatum suum satis firmasset, semel imperatoriæ potentiæ vindicata ad secutos Cæsares velut hereditate transierunt; sive ea lege quadam — quæ regia vulgo, sed Imperii quoque lex (cf. l. 3. *C. de Test.*), et a Justiniano (l. un. §. 14. *C. de Cad. toll.*) Augustum Privilegium vocata, quamque in *Digestis* et *Institutionibus* memoratam 3) monumenti etiam, quo contineatur (§. 426.), auctoritate confirmant — aut omnia aut ex parte imperium capessentibus tradita esse, sive, quod probabilius Hugoni videtur, ejusmodi legem nullam extitisse 4) ponamus 5).

1) Cf. Dio Cass. lib. 52 et 53. — 2) Tac. *Ann.* I, 2, Dio Cass. 53, 17. — 3) Cf. D. 1, 4, 1, *Instt.* 1, 2, §. 6. Cf. Tac. *Hist.* 1, 47, 2, 55, 4. 3. —

4) Heineccius, *Synt.* 1, 2, 65, — *adparet, quæcunque sensim Augusto detulerat senatus, ea postea Tiberio, aliisque Principibus fuisse decreta. Omnia ergo illa SCta non uno eodemque tempore facta, sæpiusque deinde repetita, simul sumta, lex* IMPERII *vocari consueverunt a jureconsultis, ut et* LEX REGIA, *exemplo, ut opinor, veterum Romanorum, qui, urbe vix nata, Romulo supremam potestatem concesserant* LEGE REGIA, *cujus meminit Livius* (34, 6.) Ad quæ Hauboldi *operis heineccīani epicrisis*, p. 918, *Quæ auctor de lege regia-maxime* §. 65. *scripsit, iis nunc patrocinari videtur Gaius* 1. §. 5. ubi hæc: *nec unquam dubitatum est, quin id* (scil. quod Imperator decreto, vel edicto, vel epistola constituit) *legis vim obtineat, quum ipse Imperator per legem imperium accipiat.* Difficultates, quibus etiam nunc *tota de lege regia quæstio laboret*, idem Haubold, ab Hugone (*Gesch. d. Ræm. R.* p. 520-23. ed. 8.) strictim esse expositas, monet. Nempe hic quoque vereor, ut satis caverint viri docti, ne, de re consentientes, de verbo litigarent. — 5) V. Hein. *Synt.* 1, 2, 62-7, ibiq. Haub. *Epicrisin*, et ejusd. *Institt. J. R. litter.* p. 253, Hein. *Hist. Jur. Rom.* l. 1, §. 169, Bach *Hist. Jurispr.* l. 3, c. 1, §. 3, Hugo §. 277. pag. 520-23 ed. 8.

221. Ipsa autem jura, queis, postea latius usque extensa, initio composita est Cæsarum sub Principis nomine 1) dominatio, in Augustum, partim in majus aucta potestate, congestis liberæ civitatis muneribus, hæc fere inveniuntur, consularis scilicet et tribunitia potestas, imperium, proconsulatus, præfectura morum, et pontificatus maximus. Consularem potestatem, certe jus de quibuscunque rebus referendi, Augustus, per multos annos consulatu functus, perpetuum accepit 2), Consulibus administratione magis, quam potestate relicta. Tametsi non parum obscura hæc quæstio videtur. Potestatis autem tribunitiæ, quam J. Cæsaris exemplo Augustus perpetuam sibi ab a. 731. vindicavit 3), e vetusto civitatis instituto ea vis in Principibus fuit, ut senatum populumque congregare, cum utroque agere, ut ad eos, tanquam ad populum, adpellari contra magistratus, ut judicum sententias rescindere, et senatus decretis intercedere possent, iidemque, ut Tribuni plebis, populi jurium defensores et socrosancti

haberentur 4); unde tribunitia potestas haud dubie, ut maxima pars, sic præcipuum principatus firmamentum (cf. §. 207.); quominus miremur, ab illa Cæsarum imperii annos in numis et publicis monumentis vulgo numerari.

1) Cf. Tac. *Ann.* 1, 1, Suet. *Cal.* 22, Dio Cass. 57, 8. — 2) Cf. Tac. *Ann.* 1, 2, 9, Dio Cass. 53, 32, Bach. l. 3. c. 1. §. 6. — 3) V. Tac. *Ann.* 1, 2. — Cf. Dio Cass. 53, 17.

222. Imperatoris (αὐτοκράτωρ) nomen 1), J. Cæsari datum, perpetui in omnes exercitus imperii significationem habet 2), quale Regum et Consulum fuerat, utpote summorum ducum; nisi quod Cæsarum imperium, ut fere in cæteris muneribus, majus quam durante libertate, addita vitæ et necis in ipsa urbe potestate, et, quod ad populum pertinuerat (§. 170.), belli pacisque arbitrio 3). Diversa significatione Imperatoris nomen Principibus, ut prisco civitatis more ducibus, ob res bello præclare gestas decernebatur; qui honos in Cæsarum titulis cum consulatu et tribunitia potestate conjungi solet. Proconsulatus iisdem in omnibus provinciis majorem quam Rectorum potestatem 4), præfectura morum, quæ pars censuræ (§. 199.), civium dignitatis quasi arbitrium tribuebat, senatores, equites, judices etiam legendi jure, et omnino censoria animadversione 5); denique pontificatus maximus in rebus sacris ordinandis summam potestatem; et ipse principatus non leve tutamen, tum, quod majestatem apud vulgus augebat religionis mandata cura, tum, quod e suis eam rationibus commodisque moderari poterant 6); unde hanc dignitatem vel primi Principes christiani non recusarunt.

Honoris modo significationem habent nomina Cæsaris et Augusti, (tanquam, ut augurio consecrata 7), sancti et venerandi, unde Græcis σεβαστός), illud adoptione a J. Cæsare (§. 91.), hoc senatus decreto Octaviano datum 8).

Principis item nomen, in libera civitate usurpatum (§ 175.), excellentiæ potius quam potestatis erat. A Græcis Imperatores Romani, eodem vocabulo, quo Reges, βασιλεῖς dicuntur. Crescente adulatione, vulgo domini adpellati sunt 9), quod nomen, ut servituti proprium, Augustum et Tiberium horruisse constat 10), idem tamen jam tum a liberis quoque hominibus, inter salutantium et blandientium voces, usurpatum 11). Ipsi quoque titulis suis et alia epitheta, velut felix, pius, victor, et a devictis gentibus addidere 12).

1) Cf. Suet. *Cæs.* 76, *Tib.* 26. — 2) Cf. Dio Cass. 43, 44, 53, 17. — 3) Cf. Dio Cass. 53, 17. — 4) Cf. Dio Cass. 53, 32. — 5) Dio Cass. 53, 17. — 6) Cf. Dio Cass. ib. — 7) Cf. Fest. in *augustus locus*, Suet. *Aug.* 7, Dio Cass. 53, 18, Creuz. §. 187 et 189, qui ab *augur*, non ab *augeo*, deductum vult. Festus et Suetonius utrumque adferunt. — 8) Suet. *Aug.* 7. — 9) Cf. Plin. in epistolis ad Trajanum, Lyd. *de Magistrr.* 1, 6. — 10) Suet. *Aug.* 53, *Tib.* 27, Cf. Tac. *Ann.* 2, 87. — 11) Cf. Ovid. *Am.* 3, 7, 11, Sen. *Epist.* 3, Mart. 1, 113, 5, 58, Briss. *de Form.* l. 8. p. 744. — 12) Cf. titulus Justiniani in *Pandd.*

223. Primarios liberæ civitatis magistratus sub Cæsaribus nomine potius quam re 1) superasse, cum de singulis, tum de imperatoria potestate a nobis dicta satis ostendunt. Potestate ademta, par fuit munera quoque mutari, aliis in ipsos Principes (§. 189 et 199.) translatis, aliis in novos, quos crearunt, magistratus. Ex his Quæstores Candidatos, Prætores Fideicommissarios ac Tutelarem, et inter minores magistratus complures supra (§. 196. 214. 215. 216.) attigimus; sed omnium maxime memorabiles sunt Præfectus Urbi et Præfectus Prætorio.

1) Cf. Tac. *Ann.* 1, 3.

224. Præfectum Urbi Augustus, suadente Mæcenate, instituit 1), liberæ civitatis magistratum (§. 204.), sed specie tantum revocans, ut minus offenderent in novum congesta, Ædilium maxime et Prætorum, quorum insignia

habuisse putatur, munera, ab Ulpiano 2) enumerata. In his erat servorum de dominis, patronorum de libertis querelas audire, curatorum et tutorum crimina cognoscere, argentariorum fraudes coercere, carnis curam gerere, et omnino tranquillitatem civium tueri 3); unde et spectaculorum disciplina ad eum pertinuit; eidemque subjectæ cohortes urbanæ et Præfectus Vigilum 4). Potestas autem, extra urbem quoque ad centesimum lapidem patens, tanta, ut Italia interdicere et in insulas relegare posset. Præfectura urbis, Constantinopoli ut Romæ instituta, ad sera Orientalis Imperii tempora duravit 5).

1) Cf. Tac. *Ann.* 6, 11, Suet. *Aug.* 37, Dio. Cass. 52, 21. — 2) *Pandd. de Off. Præf. Urb.* — 3) Cf. Tac. *Ann.* 6, 11, Juven. 4, 77, Dio. Cass. 52, 21. — 4) Cf. *Pandd. de Off. Præf. Vig.* — 5) Cf. Lyd. 1, 34, 2, 6.)

225. Præfectus Prætorio, unde Præfectura Prætorii, (Græcis ὕπαρχος, ἔπαρχος 1), unde ἐπαρχότης,) ab Augusto pariter creatus, prætorio (§ 190), sive cohorti prætoriæ, vel prætorianis, ut simpliciter quoque vocantur, i. e. militibus præerat, quos Imperatores ad corporis custodiam, Regum et ducum Romanorum exemplo (§ 204.), selectos habebant 2). Initio duo, sub Tiberio unus 3), exinde modo unus, modo plures inveniuntur 4). Potestas eorum, primum modica 5) et 6) tota militaris, postea, Cæsarum imperio et salute a prætorianorum fide potissimum pendentibus, eo crevit, ut super omnes magistratus eminerent, gravissima quæque negotia, in his aulica 7), sive Domus Augustæ officia, (§. 232. sqq.) procurantes 8). Erant enim quasi perpetui Principum comites, ad jussa exsequenda præsentes; iidemque supremi judices, postremo ne ad Imperatorem quidem adpellatione concessa 9); ut merito dicantur a regni societate prope abfuisse 10). Magnæ potestatis indicium

gladius, quem creans Imperator dabat 11). Præter gladium insigne habebant carpentum 12). De titulo v. §. 236. Constantinus M. Imperium Romanum in quatuor partes, præfecturas, Orientis (per Orientem), Italiæ, Illyrici, Galliarum, dividens, singulis Præfectum Prætorio rectorem dedit. Italiæ præfecturæ accessit Africa, Galliis Hispaniæ et Britannia 13). Præfecturæ in diœceses sive vicariatus, diœceses in provincias divisæ, illis Vicarii, quo et Exarchi trahuntur, his Proconsules, Correctores, Præsides, etc. præfecti. Exin potestas, initio militaris, post mixta, civilis facta est, militari in Magistros Militum translata, postremo pæne sola jurisdictione (§. 231.) relicta 14).

1) Cf. Lyd. 2, 6. — 2) Cf. *Digg. de Off. Præf. Præt.*, Dio. Cass. 52, 24, 55, 10. — 3) V. Tac. *Ann.* 1, 24, 4, 1. — 4) Cf. Tac. *Ann.* 14, 51. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 4, 2. — 6) Ad Adrianum? Cf. Spart. *Adr.* 18. — 7) Cf. Suet. *Cal.* 19. — 8) Lydus (2, 6.), ut solet, tempora confundit. Cf. Creuz. §. 166. p. 182. — 9) Cf. Capit. *Anton. Phil.* 11, Herod. 7, 6, *Digg.* tit. *de Off. Præf. Præt.* — 10) Cf. Herodianus 5, 1, Vict. *de Cæs.* c. 9, Lyd. 2, 9. — 11) Cf. Plin. *Paneg.* 67, Xiphil. in *Trajano*, Lyd. 2, 9 et 13. — 12) Græcis ἀπήνη. Cf. Lyd. 2, 14, 3, 57. Cf. *carruca*, Symm. 10, 40. — 13) Cf. Lyd. 2, 10 et 11.

226. Quæ de mutata sub Imperatoribus republica hic conjuncta posuimus, pleraque ad priora Cæsarum sæcula referenda sunt. Nam sub finem sæculi tertii tanta rerum conversio incidit, ut vix quidquam confusum æque et desperandis difficultatibus implicitum in Romanorum historia reperiatur, atque illis temporibus reipublicæ forma: quæ quum nobis, quamvis novas dignitates infra (§. 230–40) attingentibus, pertractanda non sit, restat, ut, intra eosdem terminos, de duorum, comitiorum et senatus, liberæ civitatis institutorum mutatione paucissima adjiciantur. Cætera, quæ non prætereunda videbantur, et in iis ad provinciarum administrationem spectantia, suo quæque loco inserere maluimus.

In populi, quatenus, a plebe differens, senatui opponitur, potestate (§. 146 et 147.) sedulo distinguenda sunt, quæ hanc proprie definiunt jura, ab illa potentia, quæ a comitiorum forma fatisque, et Tribunorum Plebis libidine pendens, modo latiori limité modo arctiori contenta, universe tamen ad extrema libertatis tempora immensum aucta cernitur. Post bellum Punicum secundum prævalente nobilitate et senatus artibus clusam restituerunt Gracchi; ad summum elatam fastigium depressit Sylla Dictator (§. 207.), cum multa populo jura adimens, tum Tribunis Plebis nil præter intercessionem, quam primi habuerunt, relinquens. Mox in integrum a Cn. Pompejo restituta, qualis sub ipsum finem libertatis specie quidem fuerit, docet Appianus, *de B. C.* IV, 92, Cassium ante pugnam ad Philippos sic loquentem inducens:

« Vos enim » inquit « qui de populo estis, in bello quidem ducibus vestris paretis, veluti dominis; sed in pace vicissim eandem potestatem vos ipsi in nos accipitis. Et senatus quidem de iis rebus, quæ ad vos referuntur, ante deliberat, quominus vos fallamini: sed ipsi vos judicatis; vestrisque comitiis, sive tributis, sive centuriatis, creantur Consules, Tribuni Plebis, Prætores: tum quos vestris suffragiis ad honores promovistis, in eos deinceps iidem vos de rebus maximi momenti exercetis judicium; pœnasque aut præmia decernitis, prout in gerendis magistratibus vel reprehensionem vel laudem commeruimus: – et Tribunos Plebis quotannis creatis vestro arbitratu; qui, si ita vestra utilitas postularet, nobis intercederent, etc. »

227. Quo loco et primaria populi jura supremaque in republica gubernanda potestas, a Cæsare, ut sequentia apud Appianum docent, eversa, et inter populum et senatum ratio lucide adparent. Sed illa tum maxime, ut

specie magna, sic re vera pæne nulla superabat: quippe diu jam adsueta singulorum dominatui civitate; qui populo, dum ejus se extollere gratia nitebantur, blandientes, postquam ad potentiam pervenerant, illius perinde atque senatus decreta ludibrio habebant. Inter quos rerum potitus Cæsar, primum Syllæ exemplo iis, quæ pro libidine statuebat, decernendis inanem comitiorum speciem, postremo ne hanc quidem adhibuit, vetustissima populi jura, et in his magistratuum creationem usurpans, quam initio cum populo et senatu partitus (cf. Suet. *Cæs.* 41.), sub finem vitæ totam sibi vindicavit.

228. Nec melior comitiorum conditio sub Triumviris, congregato plerumque populo, non tam, ut de re proposita suffragiis libere decerneret, quam, ut dominis visa confirmaret 1). Augustus autem, Principis nomine rempublicam ordinans, in magistratuum creatione 2) mediam viam tenuit 3). Nam, comitia servans, id præstitit, ne legerentur, nisi quos ipse probasset, partem etiam ipse legens 4). Minore servituti adsuetos verecundia regens Tiberius, exiles hasce potestatis reliquias ad senatum transtulit 5), ita, ut, Consules sibi vindicans, 6) cæteris magistratibus aut candidatos proponeret, aut lectionem senatus arbitrio permitteret. Hoc unum, quasi in ludibrium veteris majestatis, relinquens, ut lecti populo in Campo Martio, majores centuriatim, minores tributim congregato ostenderentur. Hæc comitiorum species, in quibus, precibus nuncupatis, lectio peracta vel a Consule vel ab ipso Principe, aut præconis voce renuntiabatur, 7) Alexandro Severo imperante, etiam superabat 8). A Tiberio igitur, si rem ipsam, non inane nomen quærimus, finis omnis populi potestatis recte repetetur. Nam quod Caligula comitia, (dubium, an, qualia sub Augusto fuerant,)

restituit, id in brevissimum tempus obtinuit, ipso Tiberii rationem revocante 9).

1) Cf. App. *B. C.* 3, 30 et 31. — 2) De legibus v. §. 77. — 3) Cf. Dio Cass. 52, 20 et 30, 56, 40, Suet. *Aug.* 56. — 4) Cf. Dio. Cass. 53, 21. — 5) Tac *Ann.* 1, 15. — 6) Cf. Dio Cass. 58, 20. — 7) Cf. Plin. *Paneg.* 63 et 64. — 8) Cf. Dio Cass. 58, 20. — 9) Cf. Dio. Cass. 59, 9 et 20, Suet. *Cal.* 16.

229. In senatus autem auctoritate pari, atque in populi potestate fecimus, modo distinguendum est; quatenus in ea multa fuere a populo aut nunquam aut frustra adfectata, veluti plurima in belli et provinciarum administratione, senatus arbitrio semper permissa 1). Contra de aliis cum plebe et populo ita contendit, ut paulatim aut amiserit, aut imminuta servaverit. In his ponenda est senatus in comitiis auctoritas: quæ cum initio tanta fuisset, ut populo non nisi vana potestatis species relinqueretur, post arcte circumscripta eidem supremum reipublicæ regendæ arbitrium concessit.

Igitur, ut hujus, sic senatus potestas temporibus variavit, alia sub Regibus, alia initio, alia sub finem libertatis, alia bello Punico secundo 2). A Gracchis vehementer concussam ad formam *aristocratiæ* propiorem restituit Sylla (§. 226.) Mox per bella civilia contemta 3) fluctuans, postremo simul cum libertate interiit. Nam Princeps Augustus, ut majores magistratus, ita senatum nomine non veteri auctoritate servavit; qua cum maxime videri vellet gravissima quæque agere, et alias multa ei detraxit, et senatusconsulta voluntati suæ vel ideo obnoxia tenuit, quod idem consulari potestate (§. 221.) congregandi senatus, et tribunitia potestate intercedendi jus habebat, cæterum per Consules, quoties videretur, privatim consultata proponens 4); unde postea consilium secretum Principis. Nec

alia conditio senatus sub secutis Cæsaribus; e quibus Tiberius, translatis ad eum magistratuum comitiis (§. 228.), re vera parum auctoritati adjecit, non magis libero legendi arbitrio, quam sub populo fuerat, et insuper adulatione ad serviendum parara 5). Cæterum, quum hereditaria non esset Imperatorum potestas, senatus decreto, utpote populo a republica excluso, sed vix unquam libera sententia tribuebatur 6). Nam si vivo Principe successor designandus, illius voluntati, sin mortuo, plerumque militum prætorianorum libidini obtemperabat (cf. §. 225.), idem defunctis Imperatoribus divinos honores decernens, sive bonis volens, sive pessimis coactus (§. 490.) Neque ideo minus senatores, quale in Consulibus accidisse vidimus, novis nominibus (§. 236.) ornati, ut evidentius esset, eos omnem splendorem a Principe trahere: cui quidem eo magis devincti erant, quod ad ejus libitum, ac dato aut suppleto, si opus esset, censu, legebantur 7).

1. Cf. Cic. in *Vat.* §. 15. — 2) Cf. Polyb. 6, 14, Appianus l. c. — 3) Cf. Cic. p. *Sext.* 10, Suet. *Cæs.* 22. — 4) Cf. Tac. *Ann.* 13, 26. — 5) Cf. Plin. Paneg. 75 et 76, Vopisc. *Tac.* 7. — 6) Cf. Vop. l. c. — 7) Cf. Tac. *Ann.* 2, 37 et 38.

DIGNITATES UTRIUSQUE IMPERII.

230. Restant, quas diximus, sero pleræque, et in ruinam jam manifestius vergente Imperio Romano, inductæ dignitates, sive munera et tituli, a scriptoribus ejus ævi, præsertim in *Novellis* et *Codicibus Justinianeo* et *Theodosiano* frequenter sparsimque memorata, sed uno superstite nobis libello, *Notitia Dignitatum utriusque Imperii*, nominibus comprehensa: quam locuplete doctoque commentario (in *Thes. Græv.* vol. VII. pag. 1309–2022.) illustravit Pancirollus. Ad insigne hocce monumentum, nostra demum ætate, exiguus, nec limpidus, non tamen spernendus fons

notitiarum accessit, Joannis Laurentii Lydi ***de Magistratibus Romanorum reipublicæ*** opusculum, qui, singulari libro de Præfectorum Prætorio adparitoribus exponens, multa etiam cum illo argumento conjuncta attingit. Nos, rei etiam nunc obscuræ et confusæ explicationem lectionibus servantes, hic tantum proponimus, quantum necesse, ne nudis nominibus peragere voluisse videamur.

231. Imperium Romanum quatuor in præfecturas divisum mutatamque simul Præfectorum Prætorio potestatem supra memoravimus (§. 225.): quæ, etsi, imperio militari aulaque detractis 1), multum imminuta, magna tamen manebat, in aliis cursum publicum et fabricas, non meram, ut nonnullis placere video 2), jurisdictionem retinens; quibus sub Arcadio demum, in Oriente certe, spoliata, tum quoque sumtuum circa magistratus aliaque curam servavit 3). Cum hisce mutationibus tempore fere congruit, quam diximus, Notitia, divisi Theodosii voluntate, Orientalis scilicet et Occidentalis, Imperii dignitates nominibus, non explicatis muneribus, complectens, quorum in Imperio Orientali, quam hic damus, et similis in Occidentali, quam ideo brevitatis gratia omittimus, series (v. *Thes. Græv.* vol. VII. p. 1336. et 1787.)

Præfectus Prætorio Orientis.

Præfectus Prætorio Illyrici (§. 17.)

Præfectus urbis Constantinopolitanæ (§. 224.)

Magistri equitum et peditum in præsenti duo; alii tres, equitum et peditum per Orientem, equitum et peditum per Thracias, equitum et peditum per Illyricum.

Præpositus sacri cubiculi.

Magister officiorum.

Quæstor (§. 214.)

Comes sacrarum largitionum.

Comes rerum privatarum.

Comites domesticorum duo, equitum et peditum.

Primicerius sacri cubiculi.

Primicerius notariorum.

Castrensis sacri palatii.

Magistri scriniorum, (scilicet,) *memoriæ, epistolarum, libellorum Græcorum.*

Proconsules duo, Asiæ, Achaiæ (§. 19 et 26.)

Comes Orientis.

Præfectus Augustalis.

Vicarii quatuor, Asianæ diœceseos, Ponticæ, Thraciarum, Macedoniæ.

Comites rei militaris duo, Ægypti, Isauriæ.

Duces per Ægyptum duo, Libyæ, Thebaidos; per Orientem sex (adduntur nomina regionum); *per Ponticam unus, Armeniæ; per Thracias duo, Mœsiæ secundæ, Scythiæ; per Illyricum duo, Daciæ ripensis, Mœsiæ primæ.*

Consulares quindecim: per Orientem quinque, *Palæstinæ*, *Phœnices*, *Syriæ*, *Ciliciæ*, *Cypri; per Asianam tres, Pamphyliæ*, *Hellesponti*, *Lydiæ; per Ponticam duo*, *Galatiæ, Bithyniæ; per Thracias duo*, *Europæ, Thraciæ; per Illyricum tres, Cretæ*, *Macedoniæ*, *Daciæ Mediterraneæ. Ægyptus autem* (addit Notitia) *Consularem non habet.*

Præsides provinciarum quadraginta (adduntur singulorum Præsidum provinciæ.)

Correctores duo, Augustanicæ, Paphlagoniæ.

1) Cf. Lyd. 2, 10 et 11, 3, 40 et 41. — 2) Cf. Creuz. p. 182. — 3) V. Lyd. l. c.

232. Propositæ seriei dignitates alias civiles, alias mi-

litares, alias propie aulicas esse, ipsa nomina declarant; sunt etiam, quas mixtas adpellare possis. Singulas autem quod attinet, de Præfectis Prætorio et Urbis, quantum compendio satis videtur, diximus. Ad Magistros Militum a Præfectis Prætorio rem militarem translatam pariter (§. 225.) memoravimus (v. Pancir. comment. pag. 1408. sqq.)

E Magistris duo præsentales vel in præsenti, tanquam in conspectu Principis, quippe militibus palatinis et comitatensibus, i. e. aulæ vel palatii custodibus comitibusque Principis, præfecti, quæ copiæ et ipsæ præsentes ac præsentales adpellatæ (ib. pag. 1411.) Eædem tamen in provincias quoque mittebantur, sub Magistris Militum per eas imperantibus, nomen et prærogativas servantes (v. pag. 1480.)

Præpositus Sacri Cubiculi curam Principis personæ et cubiculi arcanarumque literarum habebat; unde sub eo ponuntur Primicerius Cubiculi cum Decanis, Castrensis cum Primiceriis Mensorum, Cellariorum, Lampadariorum, Comes Sacræ Vestis, Chartularii Cubiculi, Decuriones Silentiariorum, etc. (ib. 1491.)

233. Magister Officiorum 1) dicitur officiis sive ministeriis aulæ 2), cum aliis tum armatis, præpositus, quæ scholæ vocantur. Sub eodem scrinia memoriæ, epistolarum, admissionum (§. 494.), deprecationes gentium, fabricæ item armorum et cursus publicus 3), quo, accepto ad eam rem synthemate (diploma), utebantur publice iter facientes 4); unde in ejus officialibus Adjutores Fabricarum, Curiosus cursus publici præsentalis, Curiosi per provincias, Interpretes diversarum gentium, etc. (Pancir. comment. pag. 1498.).

Comites Sacrarum Largitionum, et Rerum Privatarum instituit Constantinus M. Ille, vectigalia, tributa, omnino

reditus Imperii omnes simulque sumtus, et in his stipendia militum et magistratuum salaria curans, a largitionibus adpellatur, quo nomine olim 5) publicis impensis accedebant Principum sive veræ sive coactæ liberalitatis dona (§. 395), postremo autem stipendia quoque et salaria comprehensa sunt, nec hodie prorsus inusitato Principum more 6). Sub Comite Sacrarum Largitionum cum aliis Comites Largitionum per omnes diœceses, qui impensas suæ quisque provinciæ curabant; Præfecti Thesaurorum, scilicet provinciæ redituum, Comiti necessariam pecuniam, reliquum Præsidi provinciæ, qui ad Arcam Largitionum mittebat, tradentes; Comites Commerciorum per Orientem, Mœsiam, etc., Comes Metallorum per Illyricum; Magistri Lineæ Vestis; Procuratores Baphiorum, Monetarum, Linificiorum, Bastagarum (a βαστάζω). In ejusdem officio ponuntur Primicerii multorum scriniorum, in quibus scrinii canonum, tabulariorum, aureæ massæ; annularensis, etc. 7).

1) Cf. Lyd. 2, 23-26. — 2) Cf. Hegewisch. *Rœm. Finanz.* pag. 252. — 3) Ad hunc trahenda vocabula *evectio*, velut ap. Symmachum, 4, 6, in *evectiones impetrasse me gaudeo*, et *veredarii*, a *veredo*, equo, jumento (cf. Lyd. 3, 61.) Idem Symm., 7, 14, *cum veredarii deesset occasio, privato homini reddenda scripta commisi.* — 4) V. Lyd. 2, 10, 3, 40 et 61. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 1, 11. — 6) Cf. Pancir. Comment. pag. 1520. sqq. Hegew. pag. 349, Burm. *de Vect.* pag 115. — 7) Pancir. pag. 1527. Hegew. pag. 350. sqq.

234. Sub Comitis Rerum Privatarum cura, quæ olim sub Curatore Patrimonii, privata pecunia Principis, ex agris, saltibus, pascuis, gregibus, aliisque rebus dominicis redeuntia 1). Sub ejudem dispositione Notitia (Pancir. pag. 1557.) ponit Rationales Rerum Privatarum, Bastagam privatam, Præpositos gregum et stabulorum, Procuratores saltuum, et Primicerios plures, in iis scrinii largitionum privatarum.

Primicerium Sacri Cubiculi et Castrensem Sacri Palatii sub Præposito Sacri Cubiculi memoravimus. Castrensis (ib. p. 1569.) ministeriis extra cubiculum, in his pincernis, cellariis 2), mensoribus præerat, queis singulis sui erant Primicerii sive præpositi, ob eam rem, unde nomen, in ceris (i. e. tabulis) sive catalogis 3) sui officii primo loco nominati. In mensoribus, quos ad mensæ ministeria refert Pancirollus 4), mutata re, nomen militare servatum, propter similitudinem eorum cum castrorum mensoribus, inter quos ducis tentorium (prætorium), et hinc omnino domicilium struentes ornantesque erant; nec diversa ratio est vocabuli *castrensis*, unde castrensiani dicuntur (v. Pancir. p. 1570.), servata hic quoque in officiis militiæ imagine.

1) Cf. Burm. pag. 116. — 2) Cf. Burm. pag. 36. — 3) Cf. Lyd. 3, 2 et 4. — 4) Pag. 1570. Aliter Hegew. pag. 253.

235. Magistri scriniorum (Panc. p. 1581.) a cistis sive armariis dicti, quæ, ut et scripta iis inclusa, scrinia adpellantur; unde scriniarii in illis militantes. Scrinia quatuor distinguunt res in singulis tractatæ; unde scrinium memoriæ, et memoriales, laterculo minore et alias occupati; scrinium epistolarum et epistolares, qui legationes civitatum, consultationes et preces tractant; scrinium libellorum, quo cognitiones 1) et preces continentur; scrinium epistolarum Græcarum.

Primicerius Notariorum (ib 1577.) iis præpositus, qui dignitatem aliquam a Principe consecutos laterculo §. 237. memorato inferebant, iisdemque codicillos, queis nominari diximus (§. 237. Cf. 189.) magistratus, e laterculo ductos tradebant, ab hoc notandi sive scribendi munere nomen habentes 2), cæterum Tribuni titulo 3) honorati.

Proconsules uni provinciæ, Præfectus Augustalis et Co–

mes Orientis (Pancir. 1617. 1621. et 1639.) pluribus præerant; Vicarii singulis diœcesibus in provincias divisis (ib. 1619.) Sub his omnibus singulis provinciis præfecti, aliis Consulares, aliis Præsides, duabus Correctores (ib. 1763. 1767. 1766. 1660.) Comites autem domesticorum equitum et peditum (ib. 1565.) aulicis hisce militibus, Comites rei militaris et Duces per suas provincias copiis, quas singulis addit Notitia, præerant (ib. 1683. 1693. 1697.)

1) Cf. Sen. *de M. Claud.* extr. — 2) Notarii, a duplice vi, quæ in *nota* et *notare*, alias omnino scribæ sive exceptores, ut magistratuum, officiorum (cf. *Cod. Theod.* l. 6. t. 10, Trebell. Poll. *Claud.* 14.), alias brevioribus vulgari verborum scriptura signis utentes (cf. Quint. 7, 2, 24, Mart. 5, 32, 2, Plin. *Epist.* 3, 5, 15, 9, 36.), qualia siglas (§. 271. i.) et notas, ut Turonis in Grut. *Inscript.*, dicta esse constat (cf. Cic. *p. Mur.* 11, Isid. *Orig.* 1, 21.) Græcis utrique *ταχυγράφοι*, i. e. celeriter scribentes (cf. Lyd. 3, 6, 9, Fuss. *Epist. ad Has.* pag. 31.), quin semper sigillis utentes intelligant. — 3) V. Lyd. 3, 9.

236. Singulis, quas recensuimus, dignitatibus suum titulum et insignia, singulis suam præfecturam, ut Præfectis Prætorio, vel diœcesin, ut Vicariis, vel provincias unam pluresve, ut Proconsulibus, Consularibus et Præsidibus, singulis militaribus suas copias, singulis denique dignitatibus suum officium sive cohortales (§. 247.) Notitia adtribuit.

In titulis summus est Illustris (Vir Illustris), quem in serie nostra habent omnes ad Primicerium Sacri Cubiculi; inferior Spectabilis (Spectabilitas), quem habet is et sequentes ad Consulares, inferior Clarissimus (Claritas), quem habent Consulares, Correctores et Præsides. His senatorii ordinis viri distinguebantur (§. 178.); humiliores erant Perfectissimi, ut quidam Præsides, infimi, ut Scriniarii Principis, Egregii (v. Pancir. comment. c. II. *Thes. Græv.*

28

vol. VII. p. 1342 sqq.) In cæteris occurrunt Gloriosissimus, eximietas 1), magnificentia, Sublimitas, Celsitudo, Culmen 2) (ὑπεροχή), qui sunt in consuetis Præfectorum Prætorio titulis, Gravitas, Perfectissimatus, Egregiatus, alia multa.

1) Cf. Symm. 10, 79. — 2) Ipsius Principis ap Symm. 18, 61.

237. Insignia pro dignitate et muneribus varia, velut carpentum (§. 225.) et cerei ardentes Præfectorum Prætorio et Urbis (v. ib. p. 1396. et 1798.), clypei Magistrorum Militum, quibus legionum, cohortium, vexillationum, aliorumque ordinum insignia sive *symbola* depicta exhibentur (ib. pag. 1412.), et Castrensis mensæ vasis et panibus onustæ (ib. 1570.); alia contra multis dignitatibus, ut abacus, tapeto instratus, imagines Principum (v. ib. 1389.), mulieres, provincias magistratui subjectas repræsentantes (ib. pag. 1621.), aut regionum, urbiumve effigies (ib. 1683. 1755.); alia, ut liber mandatorum, forma quadrata, omnibus fere communia.

Cæterum insignia simul cum dignitatum, provinciarum, copiarum, aliorumque indice libris sive codicibus continebantur, laterculorum nomine notis: quorum alterum, majus adpellatum (ib. 1578.), sub Primicerii Notariorum cura, omnes magistratus civiles et militares, exceptis limitaneis, alterum, minus, sub Quæstoris cura (ib. 1518. 1689.), Præfectos, Tribunos et Præpositos castrorum limitum complectebatur. A laterculi præposito magistratus codicillos sive tabulas, quibus nominabantur, cum insignibus accipiebant; unde e laterculo majore, minore emitti (prodire) dicuntur (ib. 1574. 1689. Cf. Lyd. 3, 4 et 7.) Quidam tamen excipiendi, e scrinio epistolarum prodeuntes.

238. Copiarum non parva est a muneribus aliisque causis varietas, multaque nomina occurrunt ab antiqua Romano-

rum militia aliena, multa etiam, quorum, licet antiquiora sint, nonnisi posterioris ævi notitiam ad nos pervenisse, credibile est. Exemplo sint copiæ, quas *sub* Magistri Militum Præsentalis *dispositione* ponit *Notitia* (pag. 1412.), scilicet *Vexillationes palatinæ* (palatii custodes) *quinque: equites promoti seniores, comites clibanarii* (§. 364.), *comites sagittarii juniores, comites Taifali, equites Arcades; Vexillationes comitatenses* (e comitatu Principis) *septem: equites cataphractarii Biturigenses, equites armigeri seniores Gallicani, equites quinto Dalmatæ, equites nono Dalmatæ, equites primi scutarii, equites promoti juniores, equites primi clibanarii Parthi; legiones Palatinæ sex: lancearii seniores, Joviani juniores, Herculiani seniores, Fortenses, Nervii, Mattiarii juniores; auxilia Palatina duodeviginti,* in his *Batavi seniores, braccati juniores, Salii, defensores, felices Honoriani,* etc. Aliud exemplum sint scholæ militum *sub dispositione* Magistri officiorum (ib. pag. 1498.) positæ: *sc. scutariorum prima, sc. scutariorum secunda, sc. gentilium seniorum, sc. scutariorum sagittariorum, sc. scutariorum clibanariorum, sc. armaturarum juniorum.*

239. Officium, quo referenda officiales, cohors, §. 225 et 247, cohortales, adparitores, adparitio §. 217., litterata militia, τάξις, ταξιῶται etc., quodque singulis dignitatibus adtributum diximus, origine a militibus prætoriæ cohortis (promoti, adjutores) repetitur, ab armata ad civilem militiam translatis; unde inepte Lydus, III, 2. 3. 4. 22, Cornicularium ab Romæ incunabulis deducit. Cæterum nec omnes officium habent, nec, qui habent, omnes idem; velut longe diversum Castrensis aut Comitis Largitionum a Ducis officio. In plerisque tamen vel omnia vel pars nominum recurrit, quibus officium Præfectorum Prætorio, quale

et Præsidum fere fuit (ib. 1364.), componitur (Panc. pag. 1339.), scilicet: *Princeps*, *Cornicularius*, *Adjutor*, *Commentariensis*, *Ab Actis*, *Numerarii*, *Subadjuvæ*, *Cura Epistolarum*, *Regerendarius*, *Exceptores*, *Adjutores*, *Singularii* (cf. Lyd. III, 7.)

240. In officialibus, præter quos hic memoravimus, et alii sunt, et sæpe occurrentes Agentes in rebus 1), ex officiis Magistri Officiorum (Panc. 1503. 1512. Cf. Lyd. II, 10, III, 40.) ad cursum publicum pertinentes. E Præfecti autem Prætorio adparitoribus alios singulos videmus, ut Principem et Cornicularium, alios plures, ut Subadjuvas; Lydus 2) alios etiam, ut Primiscrinios, Commentarienses, et Ab Actis (actis præpositos) binos facit. Sed magnus numerus Exceptorum (§. 235.), i. e. sive dictata sive omnino scribentium, qui litteratorum nomine, utpote litteras sive scribenda tractantes, ab aliis officialibus, velut 3) a Singularibus, Ducenariis, Centenariis, distinguuntur, opera non litterata fungentibus; nec mirum, utrumque genus præfecturæ officio contineri, cujus primarium munus justitiæ administrationem diximus (§. 231.) Alii scilicet, ut universe distinguamus, causis, cum criminalibus tum pecuniariis, in quibus utrisque cum fisco conjunctæ, tractandis, alii exequendis sententiis adhibentur 4). Cæterum adparitores litterati, certe Illustrium et Spectabilium (cf. Pancir. p. 1365.), codicillis Principis (probatoriis), constitutum pretium solventes, nominabantur. Commune iisdem 5), per gradus vel ad Cornicularii vel ad Primiscrinii munus, quod alio nomine designatum a *Notitia* crederem, adscendere 6), eoque impleto *cingulo posito*, peracti sero 7) laboris sive militiæ præmiis, commodis scilicet non levibus et honoribus insuper per reliquam vitam frui 8).

De singulorum vero officii ordinum munere, nec paucis

exponi satis lucide potest, et longiorem explicationem vetat jam, vereor, ne nimis, producta rei notitia, quam ampliorum quoque de antiquitatibus Romanis voluminum auctores alii omisere, alii vix attigerunt. Certiora, quam Pancirollus 9) et Gutherius 10) potuere, in nonnullis, opinor, docebit Lydus.

1) Cf. Symm. 2, 62. — 2) V. 3, 4. — 3) Cf. Lyd. 3, 7, qui singulares, *συγγουλαρίους*, dictos facit, quod uno veredo, *πάριππος*, provincias obierint. — 4) Cf. Fuss. *Ep. ad Has.* pag. 32 et 41. — 5) Cf. Lyd. 3, 2, 67. — 6) Cf. Fuss. *Epist.* pag. 31. — 7) Cf. Lyd. 3, 9. — 7) Cf. Lyd. 3, 4, 25, 30. — 9) V. p. 1364. sqq. — 10) *De Officiis Domus Augustæ*, in *Thes. Sallengr.* vol. 3. p. 285-624.

DE COLONIIS.

241. Cæteris, quæ ad rerum publicarum sive administrationem sive constitutionem pertinent, absolutis, de coloniis deque provinciis exponendum restat: sed coloniarum in Romanas, Latinas, Italicas, item juris singularum distinctionem et rempublicam supra attigimus (§. 119); hic origo earum, utilitas, et in fundandis consuetudo memorandæ supersunt.

Romani, aliarum civitatum exemplo, hoc ab incunabulis reipublicæ institutum servabant, ut hostibus devictis agrum (§. 252.) aut integrum aut partem adimerent 1). Sic, primo proximis circa urbem, deinde remotioribus quoque populis debellatis, in terras his ademtas coloni mittebantur, sive urbem victam, soli aut simul cum victis, habitaturi, sive novam condituri 2); in quo duplex reipublicæ eaque maxima utilitas (§. 114.) Victos enim inter hostes Romani cives suos spargentes, et quandoque eadem in urbe utrosque miscentes, cum subactos a seditionibus deterrebant 3), tum ipsam Romam perniciosa infimæ plebis multitudine liberabant 4).

1) Cf. Liv. 2, 41. — 2) Cf. Vell. 1, 14. — 3) Cic. *Agr.* 2, 27, *Colonias*

sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiæ, sed propugnacula imperii videantur. — 4) Cf. Beauf. v. 2, p. 236.

242. In mittendis vero et fundandis coloniis hæc cum aliis observata reperimus. Postquam, rogato populo, aut quandoque, ut nonnulli volunt, sola senatus auctoritate 1), coloniam mittendam placuisset, lex, quot et quibus colonis (§. 119.), quemque in locum, constituebat. Tum profecturi nomen dabant; ac si major statuto numerus esset, sors ducendos legebat. Quo facto, comitiis tributis curatores (Triumviri, etc. §. 216.) creabantur. His ducibus colonia, captis ante auspiciis, lustrata (§. 332.), sub vexillo ad destinatum locum pergebat 2). Hic auspiciis repetitis, sacrificio celebrato, et ager colonis dividendus, et, si urbs condenda, ejus mœnia aratro (§. 40.) designabantur; unde aratrum bel boves in numis coloniarum.

Novum genus coloniæ militares, e veteranis maxime, agro, hosti, initio civibus etiam ademto, donatis 3), fidei in duces, post peractæ militiæ præmio. Quem morem reipublicæ exitiosum introduxit Sylla, imitati sunt Cæsar, Augustus, alii. Postremo eædem coloniæ locorum infrequentiæ subvenerunt 4).

1) Cf. Beauf. p. 237. — 2) Cf. Cic. *de Divin.* 1, 45, *Agrar.* 2, 12, 32, *Phil.* 2, 40. Ad colonias militares Tac. *Ann.* 14, 27. — 3) Cic. *Cat.* 2, 9, *hi sunt homines ex iis coloniis, quas Fæsulis Sylla constituit, — qui se inspiratis repentinisque pecuniis sumtuosius insolentiusque jactarunt. Hi, dum ædificant tanquam beati; dum prædiis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatis delectantur, in tantum æs alienum inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sylla sit iis ab inferis excitandus.* Luc. 1, 335, *Quæ sedes erit emeritis? Quæ rura dabuntur?* Ad Cæsarum ætatem Tac. *Ann.* 14, 31. — 4) Cf. Tac. *Ann.* 14, 27.

DE PROVINCIIS, EARUMQUE ADMINISTRATIONE.

243. Provincia, (ut quidam, a *provincere*, ut alii, a *providere*,) initio dicta est belli etiam in Italia adminis-

tratio, ipsáque, in qua gerebatur, regio; quæ notio, incertum, primitavane sit, an ab illa derivanda, quam habet vocabulum muneris qualiscunque significationem. Posterius autem, manente antiqua notione, de iis extra Italiam regionibus præcipue usurpari cœpit, quas ex urbe missi magistratus populi Romani nomine regebant 1).

Regione enim sub imperium Romanum redacta, quinque vel decem 2) viros senatus mittere solebat, cum duce, regionem occupante, simul rationem constituturos, ad quam illa in posterum gubernanda esset; unde forma, formula provinciæ; in formam provinciæ redigere 3). Hæc non omnibus eadem, sed pro diverso gentis subactæ reipublicæ statu diversa præscribebatur, cæterum aliis acerbior, aliis tolerabilior, prout placeret, aut victi meruisse viderentur 4). Diverso sensu in ipsa Italia provinciæ memorantur, Ostiensis s. aquaria, Calena, Calabria, Umbria 5), quæstoriæ adpellatæ, quod in singulis singuli Quæstores vectigalibus præerant. (§. 211.) Provinciæ Imperii Romani priore hujus libri parte continentur (§. 8–37.); de crescente magnitudine primarius locus est Velleji 6); opes et necessitates, arma, classes, tributa et vectigalia, omnino rationem Imperii volumine complexus erat Augustus; quod, a Tacito memoratum, rationarium et breviarium Imperii vocat Suetonius 7). Gravem hujus jacturam compensare aliquatenus poterat Appiani historiarum, qui pariter interiit, liber ultimus, quo similia contineri, ipsius præfatio §. XV. testatur.

1) Cf. Fest. in *Provinciæ*, Isid. *Origg.* 14, 5. — 2) Cf. §. 251. Cic. *Verr.* 2, 13, et *ad Att.* 13, 6. — 3) Cf. Vell. 2, 38. — 4) Cf. Hein. *Synt.* App. §. 100. — 5) Cf. Suet *Claud.* 24, Cic. *in Vatin.* 5. — 6) 2, 38. sqq. Cf. Polyb. 3, 1, 6, 1, Appian. præf. §. 1-6. — 7) Tac. *Ann.* 1, 11, *Suet. Aug.* 28, et extr. Cf. Dio Cass. 56, 33.

244. Regendis provinciis, e quibus primæ Sardinia et

Sicilia, mox et Hispaniæ 1), initio Prætores quotannis Creati sunt, singuli singulas administrantes, prorogato uni alterive imperio, quum omnibus non sufficerent (§. 190.) Deinde, c. a. U. C. 605., constitutis quæstionibus perpetuis; placuit, ut his præfecti Prætores, absoluto Romæ munere, in provincias mitterentur 2), ubi eosdem modo Prætores, modo Proprætores adpellatos videmus 3). De *pro prætore* et *proprætor*, an differant, post multos quærit Creuzer §. 176. Nec multo post (a. 631.), lege Sempronia de ordinandis provinciis, ante Consulum et Prætorum comitia utrisque provinciæ designatæ, quas sorte aut comparatione inter se divisas obtinerent, Consules per consulatus sui annum, Prætores, ut antea, Romæ munere functi 4). Extremo demum reipublicæ tempore Consules, pariter Romæ manentes, absoluto anno, in provincias, Proconsulum nomine missi; tametsi nec in omnibus ita accidisse, vel Ciceronis proconsulatus satis arguit, nec vero lege, sed ita tum suadente rerum statu accidisse, putamus. Atque omnino hoc tenendum, non levem esse, et in Rectorum nominibus, et in mandandis sive lege sive consuetudine provinciis 5), veterum scriptorum discrepantiam; ut citius, quid sæpius, quam, quid lege factum aut fieri necesse fuerit, intelligas 6). A nominibus magistratuum, quibus decernebantur, provinciæ dicuntur consulares, et prætoriæ, nullo potestatis discrimine, sed Consulibus, par erat, maxime mandari, quarum major administrationis cum alias, tum imprimis ex armis gloria 7).

1) V. Liv. 27, 36, 28, 12, 34, 55, Vell. 2, 38. — 2) Cf. Bach. *Hist. Jur. R.* 2, 1, 4. — 3) Cf. Cic. *de Divin.* 2, 36, *de Prov. Cons.* 7, Tac. *Ann.* 2, 66. — 4) Cf. Cic. *p. Domo.* 9. — 5) Cf. Cic. *de L. A.* in senatu §. 8, *de Prov. Consul.* 2, Cæs. *de B. C.* 1, 6, *provinciæ privatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætoriæ.* — 6) V. Wieland., *Cicero's Briefe*, — v. 1. pag. 255. (ad epist. *ad div.* 5, 5.) et vol. 3. p.24. sqq. — 7) Cf. Beauf. vol. 2, pag. 339.

245. Proconsulum origo secundum Dionysium est a. U. C. 275; secundum Livium, si, de verbo litem vitans, vocis usum sequaris, nescias, ad a. 291., an ad 428. referas 1). Proprætorum initia modo attigimus. Vocabulorum ea vis est, ut Consulum et Prætorum in provinciis vicem (pro Consule, pro Prætore) gerant; sed, ut duplex horum magistratuum potestas, civilis et militaris, sic Proconsulum et Proprætorum genera distinguenda sunt. Alii scilicet, qui post consulatum, prorogato imperio, in provinciis manebant, cujus prima apud Livium mentio occurrit VIII, 23, 2), alii, quos interdum, velut Scipionem Africanum 3), aut privatos aut inferiori magistratu functos, Proconsulis nomine exercitibus præfectos, aut, quum minorem gererent magistratum, prorogato imperio, eodem titulo honoratos esse reperimus. Utrumque in Proprætoribus quoque usu venit 3). Alii item Proconsules et Proprætores, qui, consulatu aut prætura Romæ functi, anno transacto, provincias obtinebant (§. 244.) Denique ab his Proconsulibus potestate diversi, qui sub Cæsaribus in senatorias provincias mittebantur, et ab omnibus ipsorum Cæsarum proconsulatus. Porro, quum a magistratus notione nequeat separari civilis potestas (§. 183.), patet, quæstionem ab antiquariis agitatam, an Proconsules et Proprætores magistratus fuerint, ita dirimendam esse, ut in magistratuum numero memorati omnes ponantur, iis exceptis, quos exercitibus præfectos esse diximus, utpote nonnisi militarem potestatem habentes 4).

1) V. Dionys. lib. 9. pag. 574, Liv. 3, 4, 8, 23. — 2) Circa a. 428. Cf. 45, 17. — 3) Liv. 26, 18. — 4) Cf. Beauf. vol. 2, p. 338. — 5) Cf. Beauf. vol. 2. pag. 340.

246. Senatus, ut in provinciis cætera fere omnia suo arbitrio ordinabat, sic numerum earum finesque, et quas Consules, quas Prætores inter se dividerent, statuebat 1),

servato veteri civitatis more, quo ad populum creatio magistratuum, eorum autem, quæ agerent, moderatio ad senatum pertinuit. Igitur ad comitia recurrendum erat, quoties aut extra ordinem privato imperium dare, aut provinciam obtinenti imperium prorogare 2), aut omnino, quoties aliquid contra consuetudinem vel leges facere, jure legibus solvendi (§. 184.), placuisset 3). Verum senatus hæc quoque suæ auctoritati adrogare consueverat, sæpe tamen repugnantibus Tribunis Plebis, donec res tribuum suffragiis decerneretur. Iis creabantur magistratus provinciales (§. 169.), præter Consules ac Prætores, qui, comitiis centuriatis creati, muneris sui vi provincias regebant. Imperium contra omnibus juxta lege curiata (§. 155.) dabatur. Qua lege lata, senatus decreto, quantum copiarum Rectori traderetur, ejus comitatus, legatorum numerus, nec non impensæ ad decorum ipsius comitumque pro reipublicæ dignitate ornatum definiebantur, redemtoribus jumenta, vehicula, tabernacula, alia *ornandæ provinciæ* 4) præbentibus 5). In itinere item publice quædam, sed dubito, an et hæc ærarii impensis, suppeditabantur 6).

1) Cf. Polyb. 6, 15, Liv. 28, 45. — 2) Cf. Liv. 26, 18. — 3) Cf. Liv. 28, 40 et 45, Sall. *Jug.* 73 et 84. v. 69 et 81. — 4) Cf. Cic. *ad Att.* 3, 24, — *neque enim unquam arbitror ornatas esse provincias designatorum.* Cf. *vasarium* ap. Cic. *in Pis.* 35. — 5) Cf. Liv. 30, 17, 42, 1, Suet. *Cæs.* 18, *Aug.* 36, Cic. *Verr.* 4, 5, Gell. 15, 4. — 6) Cf. Hor. *Sat.* 1, 5, 45, *proxima Campano ponti quæ villula, tectum præbuit, et parochi quæ debent ligna salemque.* V. not. Heind., et Burm. *de Vectig. pop. Rom.* c. 6, p. 93.

247. In comitatu Rectoris erant Quæstor, de more a populo lectus, ab eodemque auctoritatem habens, et Legati, numero pro provinciæ amplitudine aut belli necessitate, senatu adprobante, a Rectore lecti 1), et ab ejus voluntate pendentes 2), iidem tamen fere amplissimi viri et in provinciis insigniter honorati, lictoribus etiam uten-

tes 3). Ab iis diversi, qui, permittente senatu, in provinciis Legati titulum habebant, sine publico munere honoribus commodisque fruentes, ob eamque rem provinciis graves 4). Ejusmodi legatio et libera, et, quatenus voti in provincia solvendi causa vel fieret, vel fieri fingeretur, votiva dicebatur 5).

A legatis primo gradu Tribuni, legionis cohortibus præfecti (§. 366.), et ipsi magno in honore 6), partim a populo 7), partim a Rectore lecti; qui et solus inferiores legionis equitum peditumque, et primarios quoque auxiliarium copiarum duces nominabat. Accedebant comitatui, inter honoratos, Præfecti 8), humilioris ordinis scribæ, interpretes, aruspices, præcones, lictores, multiplicis generis ministrorum turba 9); a quibus discernendi ordinarii præterea Rectoris comites, negotiorum et consiliorum participes, aut alias familiaritate conjuncti, nobiles item adolescentes (contubernales) belli et rerum administrandarum arte exercendi, quæ omnis multitudo cohortis prætoriæ nomine designari solet 10). De fœminis, comitatu in libera civitate exclusis, v. Tac. *Ann.* III, 33 et 34, Juven. *Sat.* VIII, 128, Lampr. *Alex.* 42.

1) Cf. Liv. 30, 33, Cic. *p. L. M.* 19, *ad Att.* 6, 6, *Phil.* 2, 20, Nep. *Att.* 6. — 2) Cf. Cæs. *B. C.* 2, 17, 3, 51. — 3) Cf. Dionys. l. 11. pag. 706, Liv. 29, 9. — 4) Cf. Cic. *Agr.* 1, 3, 2, 17, *de Legg.* 3, 8. — 5) Cf. Cic. *ad Att.* 15, 11 et 4, 2. Ad legationes liberas trahitur lex Julia. V. Bach. 2, 2, 92. — 6) Cf. Cic. *ad Att.* 5, 21. — 7) Ab a. 391. Cf. Liv. 7, 5, 9, 30. — 8) Cf. Cic. *Verr.* 2, 10, Nep. *Att.* 6, *multorum Consulum prætorumque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus.* — 9) Cf. Cic. *Verr.* 2, 10. 11, *ad Q. fratr.* 1, 1. — 10) Cf. Horat. *Ep.* 1, 8, 2, *Sat.* 1, 7, 23, Cic. *ad Att.* 7, 2.

248. In provinciam iturus magistratus antecessorem, nisi gravior inimicitia intercederet, de profectione sua certiorem reddebat, simul consilium ejus, et imprimis colloquii

in provincia aut itinere copiam expetens, quo sibi mutuo communicarent, quæ scire aut ipsius aut utriusque interesset. Et vero, in magna Rectorum auctoritate, multa intelligimus fuisse, in quibus se mutuo, præsertim, in quibus provinciam tenens successorem juvare posset; sed erant interdum in succedentes parum officiosi 1).

Ipso profectionis die magistratus solenni processu, primoribus civitatis viris, propinquis, amicis populoque comitante, in Capitolium pergebat, ubi postquam Jovi sacrificasset, votaque nuncupasset, paludatus cumque lictoribus 2), eadem qua venerat pompa, urbe egrediebatur. Egressus, nisi posito imperio, intra mœnia redire non poterat; unde, si quid Romæ parandum superesset, in suburbio exspectare cogebatur 3). Itineris in provinciam via, sub Cæsaribus severe præscripta, nec ante libera fuisse videtur 4). Mari proficiscenti vel respublica vel socii naves præbebant 5). In provincia magno concursu ab amplissimis viris in primaria quadam urbe excipiebatur, legatis undique ad salutandum convenientibus.

1) Cf. Val. Max. 9, 3, 7, Cic. *ad Div.* 3, 7. — 2) Cf. Liv. 42, 49, 45, 39, Cic *Verr.* 5, 13, Cæs. *de B. C.* 1, 6, Varro *de L. L.* l. 6. p. 72. — 3) Cf. Ascon. Ped. in *Verr.* 2, 6. — 4) Cf. Cic. *in Vat.* 5. — 5) Cf. Cic. *ad Att.* 5, 13, 6, 8, *Verr.* 5, 19.

249. Civilem et militarem administrationem conjungens Rector, in utraque adjutoribus et vicariis Legatis utebatur, qui, copiis præfecti, simul reliqua ex ejus mandatis curabant, quæ ipse præsens regere non posset, obeuntes. Cæterum, sicut Romæ Prætores munus ineuntes (§. 191.), aut ex itinere aut statim atque advenisset, edictum sive formulam publicabat, quam in justitiæ administratione secuturus esset. Hoc præcipuum Rectoris munus, cui statuto tempore primariis in civitatibus vacabat, quippe provincia

in regiones, una in singulis jurisdictione, divisa. In his igitur et jus dicebat et simul alia ordinabat; unde adveniente eo frequens hominum concursus in civitates, quæ ob eam rem conventus 1), jurisdictio etiam 2) et forum adpellatæ; unde conventum, forum indicere, agere 3), assessores honorarii, recuperatores, consilium. Quodsi bellum, ut fere in finibus Imperii, gerendum esset, huic æstas dabatur, civilibus negotiis in hiemem delatis 4).

Quæ autem ad reditus publicos spectabant, ea non Rector, sed Quæstor ejus curabat (§. 213.), exercitus etiam stipendio et commeatui prospiciens, majori auctoritate quam urbani Quæstores, lictoribus, et quæsitum, an sella etiam curuli usus 5), nec tam Rectori quam reipublicæ rationem administrationis reddens, idem tamen arcta plerumque necessitudine cum illo conjunctus 6). In provincia morienti successorem ipse Rector Proquæstoris nomine dabat; ac si contingeret, ipsius successorem serius advenire, Quæstorem plerumque vicarium relinquebat (§. 213.) Sub Quæstore et alii adparitores et scribarum multitudo.

1) Cf. Juven. 8, 129. — 2) Cf. Plin. *H. N.* 3, 1, 5, 28. — 3) Cf. Cic. *ad Att.* 5, 21, *Verr.* 5, 11, Cæs. *de B. G.* 1, 54, 6, 44.— 4) Regendæ provinciæ munus erudite complexus Beaufort v. 2. p. 336. sqq., Ciceronis castam sapientemque administrationem, ex ipsius epistolis collectam, proponens. — 5) Cf. Beauf. v. 2. pag. 349. — 6) Cf. Cic. *Verr.* 1, 15, *Divin.* 18.

250. Durante munere Rectorem senatus aut populi injussu provinciæ fines egredi lex vetabat 1); anno elapso, nisi imperium, ut quandoque fiebat, prorogatum, intra triginta dies discedebat, in binis civitatibus perscriptam administrationis rationem relinquens, tertiam Romæ in Ærario depositurus 2). Neque ab ipso tantum ratio exigebatur, sed a Legatis quoque interdum, et si qui ex inferioribus suspecti haberentur 3). Imperio caste et clementer usi, quo rariores

erant, eo cariores provincialibus, exquisitis vulgo honoribus, quidam divinis, aris, templis festisque culti; unde Marcellea, Mucia, etc. 4), legatis etiam interdum Romam laudandi causa missis. Verum, quod initio grati animi in bonos indicium, id postea vel pessimis præstare sæpe cogebantur 5). Bello præclare a Rectore gesto, et insigniori victoria Romam nuntiata, supplicatio (§. 331.) indici solebat: in urbem reverso summus honos triumphus; cui ornando mos erat victorem a provincialibus coronis aureis, unde aurum coronarium 6), donari. Munus sub Cæsaribus in tributi speciem conversum 7).

Pensionem sive salarium, quod vocamus, uti omnino magistratus, nullum habebant Rectores 8), cæterum, publico sumtu et ad profectionem et in itinere necessariis quibuscunque abunde provisis 9), a provincialibus honorarii nomine 10) frumentum, aut pro frumento pecuniam accipiebant 11), numquam deficiente reditus vel caste augendi copia, quemadmodum egregie docet Ciceronis in Cilicia integritatis laude singularis administratio 12). Arbitrarii autem reditus vel parum cupiditati indulgentibus immensi 13.)

1) Cf. Cic. *in Pis.* 21. — 2) Cf. Cic. *ad Fam.* 5, 20, *in Pis.* 25. V. Bach. *Hist. Jurispr. Rom.* l. 2. c. 2. §. 84. — 3) Cf. Liv. 38, 45. — 4) Cic. *Verr.* 2, 21 et 63, *ad Att.* 5, 21, Val. Max. 8, 15, 6.— 5) Cf. Cic. *Verr.* 2, 21, *Fam.* 3, 7. 9, 8, 6. — 6) V. Cic. *Agr.* 2, 4, *in Pis.* 37. — 7) Cf. Dio Cass. 51, 21. V. Pit. in *aurum coronarium.* — 8) Cf. Hegew. *Ræm. Finanz.* p. 16. sq. — 9) Cf. Dionys. *excerpt. legatt.* p. 746. — 10) Cf. Cic. *in Pis.* 35. — 11) Cf. Beauf. vol. 1. p. 428. vol. 2. p. 381. — 12) Cf. Beauf. vol. 2. p. 363. — 13) Cf. §. 254. Cic *Verr.* 5, 48.

251. Ut provinciarum, quoad leges victis datas juraque relicta, aliis gravior, aliis tolerabilior (§. 243.), sic ejusdem provinciæ incolarum non una conditio, inspersis liberis 1) sociisque civitatibus 2), sub Cæsaribus coloniis

quoque et municipiis. E quibus municipes cives Romani; cæteri item a provincialibus statu civili diversi (§. 115. sqq.) Præter municipes vero, durante quoque libertate, frequentes in provinciis cives Romani, multi negotiorum, multi fœneris exercendi causa, quos sæpe civitatum versuræ ditabant, plurimi denique publicani, agri publici et vectigalium redemtores, quorum principes Equites fere (§. 137.), et sub iis numerosa inferiorum turba. Hi omnes civis Romani prærogativa abutentes, si avaritiæ eorum Rector indulgeret, provinciæ exitiosi, si severe coerceret, propter Equestris Ordinis in republica potentiam ipsi metuendi 3); neque in cives Romanos potestatem nisi civilem habebat, exceptis, qui, ad exercitum ejus pertinentes, imperio militari subjecti.

Pari modo, quas diximus, prærogativis gaudentes civitates multis nominibus Rectoris potestati exemtæ. Cæteri incolæ legibus regebantur subactæ provinciæ datis (§. 243.), et si quæ postea, ut fieri solebat, sive omnibus communes, sive singulis adjicerentur 4). Legibus accedebat edictum, in justitia administranda, quæ a Rectoris arbitrio et æquitate pendebant, ob eamque rem ab aliis aliter ordinari poterant 5), definiens: quod cum per anni cursum observandum esset, sæpe, ut interdum Romæ Prætorum edicta (§. 193.), a pravis Rectoribus violabatur, edicta perinde atque leges provinciæ contemnentibus; unde fiebat, ut, quod ad formam, mitiori, non minus premerentur, quam asperrima conditione servientes.

1) V. Dirksen *Vers. zur Krit. und Ausleg*, p. 144. sqq. — 2) Cf. Cic. *Verr.* 3, 6. — 3) Cf. Vell. 2, 13, Liv. ep. l. 70. — 4) Memorabilis hic locus Cic. *Verr.* 2, 13, quales Siculis, a Marcello devictis, post mutatam a P. Rupilio provinciæ constitutionem, leges, quoad judiciorum rationem, et quænam privilegia fuerint, sic explicans: *Siculi hoc jure sunt, ut, quod civis cum cive agat, domi certet suis legibus, quod*

Siculus cum Siculo non ejusdem civitatis, ut de eo Prætor judices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem Legatorum sententia statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur; quod privatus a populo petit, aut populus a privato, senatus ex aliqua (alia?) *civitate, qui judicet, datur, quum alternæ civitates rejectæ sunt; quod civis romanus a Siculo petit, Siculus judex datur; quod Siculus a cive romano, civis romanus datur. Cæterarum rerum selecti judices civium romanorum ex conventu proponi solent. Inter aratores et decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam adpellant, judicia fiunt.* De iisdem Siculis, quoad agrorum vectigalium rationem, v. §. 252. Cic. *Verr.* 3, 6. — 5) Cf. Cic. *ad Att.* 6, *Fam.* 3, 8.

252. Ut leges, de quo modo expositum, sic tributa nec omnibus provinciæ incolis eadem, et in aliis graviora, in aliis leviora inveniuntur. Sed a tributis, quæ proprie vocantur, distinguenda sunt cætera, et in iis agrorum vectigalia (§. 393.), quorum hæc ratio erat. Romanorum vetustissimum morem victis aut omnem agrum aut partem adimendi supra attigimus (§. 241.): quo constanter servato, pars non minima Italiæ fundorum, in iis ager Campanus 1), populo Romano cessit, et multo major in provinciis; quibus, præter privatis ademtos, civitatum communes fundi, et qui victarum gentium Regibus proprii fuerant, comprehensi 2). Cæterum ademti agri non simplex usus. Initio pars patriciorum, ut sane nonnullis persuasum, dominio 3) accessit, pars plebejis, inopiæ sublevandæ, aut victoriæ præmium, utenda, nulla aut perexigua mercede, permissa; unde coloniarum in remotioribus jam ab urbe regionibus origo (§. 241.); pars reipublicæ servata, qui mos posterius etiam in provinciarum agro, neque tamen, opinor, in omnibus æque retentus — Hujus enim pars reipublicæ relicta 4): de quo agro equidem dubito, ipsumne conduxerint publicani, an ejus vectigalia modo redemerint, quod in aliis vulgo factum 5) constat; tametsi utrumque accidisse crederem 6) —; pars dominis, manente quod ante dederant vectigali, de-

cuma fere proventus, reddita 7), pars, urgente ærario, certi et perpetui vectigalis conditione vendita; pars denique inter egenos cives tum quoque, missis coloniis sive aliis sivo veteranorum, divisa 8). Ex hisce triplicis generis agris, quos passim confundunt recentiores auctores, primus proprie ager publicus, tertius vectigalis, secundus nescio au potissimum decumanus dicatur.

1) Cf. Cic. *Agr.* 2, 31, *ad Att.* 2, 16, Vell. 2, 45, Hegewisch *Røm. Finanz.* p. 67. — 2) Cf. Cic *Agr.* 1, 2, 2, 19 et 30. — 3) An usui? Cf. Nieb. v. 2. p. 363. — 4) Cf. Nieb. v. 2. p. 351-2. — 5) Cf. Cic. *ad Att.* 1, 17. — 6) Cf. Nieb. v. 2. p. 353. sqq. — 7) Cf. App. *B. C.* 1, 7. Insignis est locus Cic. *Verr.* 3, 6, *Inter Siciliam cæterasque provincias, judices, in agrorum vectigalium ratione hoc interest, quod cæteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis et plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium ac pœna belli; aut censoria locatio* (§. 393.) *constituta, ut Asiæ lege Sempronia. Siciliæ civitates sic in amicitiam fidemque recepimus, ut eodem jure essent, quo fuissent, eadem conditione populo Romano parerent, qua suis antea paruissent. Perpaucæ Siciliæ civitates sunt bello a majoribus nostris subactæ: quarum ager quum esset publicus factus* (Cf. *Verr.* 5, 21, *qui publicos agros arant, certum est, quid ex lege censoria dare debeant.*) *tamen illis est redditus. Is ager a Censoribus locari solet. Fœderatæ civitates duæ sunt, quarum decumæ venire non soleant, Mamertina et Taurominitana, quinque præterea sine fœdere immunes civitates ac liberæ, Centuripina, Halesina, Segestana, Halicyensis, Panormitana: præterea omnis ager Siciliæ civitatum decumanus est; itemque ante imperium populi romani ipsorum Siculorum voluntate et institutis fuit,* etc. Cf. et *Verr.* 5, 21. — 8) E Cæsarum ætate huc trahendi, qui decumates agri (Cf. Tac. *Germ.* 29.) vocantur, et locus Pauli D. 21, 2, 11. Cf. Mascou *Gesch. d. Teutsch.* 4, 9.

253. In cæteris vectigalibus est, cui merces sive in portu, importatæ aut exportandæ, sive alias subjectæ (portorium, centesima rerum venalium), in provinciis a civibus Romanis quoque solvendum 1), in ipsa autem Italia a. U. C. 693. abolitum (§. 390.), idem per se leve, sed publicanorum fraudibus molestissimum 2). Tributum autem, præter

memorata vectigalia, provincialibus, stante etiam republica, (nam de Cæsarum ætate hic non quærimus,) neque idem omnibus impositum fuisse, dubium quidem non est, sed quale, quamque varium, et, rerum modo, anne personarum quoque fuerit, difficilis quæstio 3). Tributi quoque species, quæ Rectori ejusque comitatui ex lege conferenda, et ipsa tolerabilia, sed vexationibus opportunissima: de quibus præcipua hæc animadvertenda supersunt.

1) Cf. Cic. *Verr.* 2, 74. — 2) Cf. Cic. *ad Q. Fratr.* 1, 1, 11. — 3) Cf. Beauf. vol. 2. p. 333, Cic. *Verr.* 3, 6.

254. Nempe legum quidem et tributi habita ratione, si paucæ excipiantur acerbius tractatæ, tolerabilis sane provinciarum conditio videtur, et multis pejorem fuisse credas nondum Imperio Romano adjectis 1). Sed nimia potestas, et facilis Romæ, corruptis moribus, scelerum impunitas, extremo præsertim reipublicæ tempore, Rectores tyrannos, provinciales miserrimos reddidere 2). Nam inter illos moderati et ferendi pauci, boni autem quam rari fuerint, indicio est, quod eos tanquam homines de cœlo missos coluerunt (§. 250.) Ac profecto fatendum est, hos eo magis venerandos fuisse, quo difficilius ac periculosius erat provinciales contra civium Romanorum insolentiam et iniquitatem tueri 3). Optimi rectoris exemplum Cicero; inter pessimos illius orationibus notissimus Verres, Dolabella, Piso, alii, rapinis, crudelitate, flagitiis infames 4); a quorum pravitate cæteros plerosque parum abfuisse, multis argumentis colligitur 5). Nam quæ illis exprobrantur, ea vulgaria fuisse intelligimus, veluti jus, neglecto edicto, ex libidine dicere 6), divitibus insidias struere, innocentium vitam pretio inimicis concedere, sociorum privilegia non curare, et quæ innumera sunt ejusmodi. Quippe, contemtis

impune legibus, nullus iniquitatis modus, nisi quem sibi Rector statueret, relinquebatur.

1) Cf. §. 252. Cic. *Verr.* 5, 6. — 2) Cf. Tac. *Ann.* 1, 2, *neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio, ob certamina potentium, et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.* — 3) Cf. Cic. *ad Att.* 1, 15 et 17. Idem *ad Q. Fratr.* 1, 1, 11, *Atque hic tuæ voluntati ac diligentiæ difficultatem magnam adferunt publicani; quibus si adversamur, ordinem de nobis optime meritum, et per nos cum republica conjunctum, et a nobis et a republica dijungemus; sin autem omnibus in rebus obsequemur, funditus eos perire patiemur, quorum non modo saluti, sed etiam commodis consulere debemus.* — 4) Cf. Juven. *Sat.* 8, 98, sqq. — 5) Cf. Sall. *Jug.* 36, Cic. *Verr.* 2, 32, 5, 48, *quo confugient socii, quem implorabunt — si vos eos deseritis? Ad senatum devenient, qui de Verre supplicium sumat? Non est usitatum, non senatorium. Ad populum Romanum confugient? Facilis est causa populi. Leges enim sociorum causa jussisse, et vos ei legi custodes ac vindices præposuisse, dicet — non aurum, non vestem, non mancipia repetunt, non ornamenta, quæ ex urbibus fanisque erepta sunt. Metuunt homines imperiti, ne jam hæc populus Romanus concedat,* etc. — 6) Cf. Cic. *ad Att.* 6, 1, *ad Div.* 5, 8.

255. Igitur et tributa sæpe extraordinaria injussu senatus imperabant, ficta quadam necessitatis causa, exacta dein sibi servantes 1), et quod iis eorumque comitatui lege debebatur frumentum, provinciales pecunia solvere cogebant, ipsi, neglecto senatus de ea re decreto, pretium ponentes 2). Nec minor licentia in iis, quæ reipublicæ secundum provinciæ formulam aut vectigalia aut ad bellum copiæ navesque debebantur, in quibus Rectores potestate abutentes multa iniquissime statuere solebant, quum aut ultra debita, aut immodicum pro frumento pretium exigerent, aut citra necessitatem imperata pecunia remitterent; sicuti ex hibernis vulgo enormes summas ab iis civitatibus colligebant, quas hoc onere, cæteras eo impensius prementes, eximebant 3). Denique non leve malum Rectoris adventus 4), et per provinciam itineris luxuria, omnia large

conferre coactis, quorum per fines proficiscebatur; et quidam adeo impudentes, ut a vicinis quoque pecuniam eo nomine exigerent 5). Rectorem imitabatur comitum turba, rapinarum ejus plerumque administri et socii, ob eamque rem impune grassantes 6). Sed omnium provincialibus exitiosissimum versuræ, ad quas tributis oppressi confugere cogebantur, enormi fœnere a civibus Romanis pecuniam mutuantes 7); ut semel impliciti æri alieno se exsolvere non possent.

1) Cf. Cic. *p. Font.* 5, *in Pis.* 36, *ad Att.* 5, 17. — 2) Cf. Cic. *Verr.* 3, 81 et 82, *in Pis.* 35. — 3) Cf. Cic. *p. L. Man.* 13, *ad Att.* 5, 21, Tac. *Agric.* 19. — 4) Cf. Cic. *p. L. Man.* 5. — 5) Cf. Cic. *ad Att.* 5, 21, *p. L. Man.* 22. — 6) Cf. Cic. *Verr.* 2, 10, Juven. 8, 127. — 7) Cf. Cic. *ad Att.* 5, 18, 20, 21, 6, 1. V. Hegew. *Röm. Finanz.* p. 154 sqq.

256. Spoliatis Rectorem per legatos Romæ accusare concessum, judiciis de repetundis, de peculatu, de majestate constitutis (§. 196 et 264.); at vanum plerumque auxilium; nam leges per se bonas facile eludebant rei et divites et plerique potentes, iidemque a judicibus damnandi, quos, e senatorio, aliquamdiu ex equestri, mox ex utroque ordine lectos (§. 269.), eorundem criminum conscientia, aut, provincias ambientes, reum imitandi voluntas proniores ad ignoscendum reddebat 1). Et vero Ciceronis ætate, quam hic potissimum respicimus, e multis paucos et plerosque levioribus pœnis damnatos esse reperimus 2); quippe is tum erat reipublicæ status, ut neque alia mala remedium paterentur, neque primaria ejus ruinæ causa, nefanda provinciarum administratio. Exhaustis levamen attulit eversa libertas 3). Sub Cæsaribus et Rectorum potestas circumscripta, et rapinæ nonnunquam severe coercitæ 4); tributa autem ab aliis imminuta, ab aliis aucta, donec, labente Imperio, ad eam molem cumulata sunt, ut ne extremo

quidem reipublicæ tempore miserior fuerit provincialium conditio.

1) Cf. Cic. *Verr.* 1, 6, sqq. — 2) Cic. de *Off.* 2, 21, *nondum centum et decem anni sunt, quum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata lex est* (cf. Cic. *Verr.* 2, 6, *lege judicioque sociali*, et Bach. l. 2, c. 3, §. 46.) *nulla antea quum fuisset. At vero postea tot leges, et proximæ quæque duriores, tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum, tanta, sublatis legibus et judiciis, expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.* — 3) Cf. Tac. *Ann.* 1, 2, Juven. 1, 47, 8, 91. — 4) Cf. Tac *Ann.* 13, 33.

257. Præter hactenus de provinciis notata, pauca adjicienda sunt de mutata earum sub Cæsaribus administratione, ab Augusto repetenda. Is enim ad principatum provectus, quum intelligeret, quanta esset in provinciis Imperii vis, eas cum populo et senatu, quasi utrumque nimio onere levaturus, ita partitus est (a. 727.), ut reditu abundantiores, aut fidei suspectæ, aut situ hostium invasionibus obnoxias sibi vindicaret, reliquas senatui administrandas permitteret 1). Illæ imperatoriæ, Cæsareæ vel Cæsarum, hæ senatoriæ et populi vel populares vocatæ. In imperatoriis, quæ XIV diœcesibus divisæ, erant Hispania Tarraconensis, Lusitania, Galliæ (§. 10.), provinciæ ad Danubium, Syria, Armenia minor, Mesopotamia, Cilicia, Ægyptus 2); post aliæ accessere. Augusti institutum servarunt secuti Imperatores, commutatis tamen subinde, idque ipsius exemplo, inter se et senatum provinciis 3), nec raro senatorias ut suas usurpantes. Cæterum non eadem in utrisque administrationis ratio.

1) Suet. *Aug.* 47, *provincias validiores, et quas annuis magistratuum imperiis regi, nec facile nec tutum erat, ipse suscepit, cæteras proconsulibus sortito permisit, et tamen nonnullas commutavit interdum, atque ex utroque genere plerasque sæpius adiit.* Cf. Dio Cass. 53, 12, Strabo l. 17. extr. — 2) V. Creuz. §. 178. — 3) Cf. Tac. *Ann.* 1, 75.

258. Imperatoriarum Rectores, ab ipso Cæsare e senatoribus lecti, Legati Augusti vel Cæsaris, Proprætores etiam, quamvis consulares essent, ut certe volunt 1), post consulares quoque Legati et aliis insuper nominibus adpellati 2). Eorum potestas, et tempore et omnino a Cæsarum arbitrio pendens, militaris simul et civilis, cæterum magna erat, dato vitæ necisque apud exercitus jure; unde gladium et vestem militarem habuere. A legatis diversi procuratores, in novas provincias easque minores ab Augusto missi, Equites Romani maxime 3), dignitate inferiores, sed pari in provinciis auctoritate 4), et interdum Præsides vocati 5). Singularis administratio fuit Ægypti provinciæ, quam multis de causis suspectam Augustus senatorio magistratui credere veritus, forsitan superstitione quoque motus 6), Equiti Romano, Præfecti (Augustalis) nomine, mandavit, simulque vetuit, ne senator injussu ipsius provinciam ingrederetur 7).

1) Cf. Creuz §. 180. — 2) Cf. Suet. *Tib.* 41, *Vesp.* 4, Tac. *Agric.* 7. — 3) Cf. Tac. *Ann.* 12, 60. — 4) Ib. 15, 44. — 5) Cf. Suet. *Tib.* 41, Creuz. p. 220. — 6) Cf. Trebell. Poll. in *Æmil.* — 7) Cf. Tac. *Ann.* 2, 59, *Hist.* 1, 11.

259. Senatoriarum provinciarum Rectores, a senatu inter consulares aut prætorios sorte 1) lecti, et utrique Proconsules adpellati, annua et civili tantum potestate, ideoque sine gladio et veste militari; lictores tamen e vetusto more relicti. In utriusque autem generis provincias præter Rectores mittebantur Procuratores, pariter ab Augusto introducti, sed a Præfectis ejus nominis munere et dignitate diversi, sæpe libertini, vectigalia tantum provinciæ et reditus curantes, jurisdictione nulla nisi in fisci fraudatores 2). Cæterum de duplice Procuratorum genere vel ideo non parum implicita quæstio, quoniam iisdem Principum arbitrio alias plura aut

majora, alias minora tributa esse, multis scriptorum testimoniis efficitur 3). Accedit, quod Quæstores in senatorias provincias etiamtum missi 4). Denique supremam in has quoque provincias degentesque in iis exercitus auctoritatem Cæsaribus tribuebat proconsulatus perpetuus (§. 246.), quandoque futuris etiam Imperii Principibus a senatu datus, a quo distinguenda est, quam interdum extra ordinem viris quibusdam in tempus delatam esse legimus summam per plures provincias potestatem 5).

1) Cf. Creuz. p. 207. — 2) Cf. Tac. *Ann.* 12, 60, *Agric.* 9 et 15. — 3) V. Creuz. §. 184. — 4) Cf. Dio Cass. 53, 14. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 2, 43, 15, 25.

CAPUT III.

LEGES ET JUSTITIÆ ADMINISTRATIO.

DE LEGIBUS.

260. Civitates vel coloni fundant, vel, quod rarum, casu congregati homines: illi ut plurimum maternæ civitatis instituta legesque sequuntur, hi aut nullas initio leges aut paucissimas nec certas habere solent. Cæteras sociata vita paulatim invenit: quæ dum æquitate magis et usu observantur, mores atque consuetudines vocantur, post scriptam quoque legem vigentes, donec perfectior existat civitatis status.

Sic et Romanos initio perpaucas et simplicissimas leges habuisse constat, in iisque ipsius Romuli nonnullæ memorantur 1), quæ an aliquamdiu non scriptæ viguerint, alii dirimant 2). Reges, summi tum magistratus iidemque judices, ex æquo et bono lites judicabant; sententiæ dein pro legibus habitæ. Edicta vel tabulis (album) inscripta, vel per præconem vulgabant 3). Hinc manu gubernare dicuntur 4). Iidem tamen in gravissimis rebus, consulto senatu aut de curiarum sententia statuebant; unde regiæ leges curiatæ quoque vocantur: quæ, a Tarquinio S., si Dionysio 5) credendum, confusæ et pæne sublatæ, exactis Tarquiniis, paucæ et simplicissimæ servatæ, Consulibus pariter plurima ex arbitrio dirimentibus 6).

1) V. Dionys. 2, 25, Cf. Dirksen. *Versuche zur Kritik — d. Quell. d. ræm. Rechts*, p. 261. sqq. — 2) Cf. Dionys. 10, 1, Pomp. l. 2. *de Or. Jur.* Tac. *Ann.* 3, 26, *Nobis Romulus, ut libitum, imperitaverat. Dein Numa religionibus et divino jure populum devinxit. Repertaque quædam a Tullo et Anco; sed præcipuus Servius Tullius sanctor legum fuit,*

quis etiam Reges obtemperarent. Pulso Tarquinio, adversum patrum factiones multa populus paravit tuendæ libertatis et firmandæ concordiæ, creatique Decemviri, et accitis, quæ usquam egregia, compositæ XII tabulæ, finis æqui juris. — 3) Cf. Liv. 1, 32 et 44, Cic. *de Orat.* 2, 12. — 4) Pomp. l. c. *omnia manu a Regibus gubernabantur.* Cf. Tac. *Agric.* §. 9. — 5) 4, 41. sqq. — 6) Cf. Liv. 6, 1, Dionys. 4, 43. Cf. Hein. *Hist. J. R.* §. 15.

261. Igitur pro legibus Romanis initio fuerunt consuetudines maxime et Regum decreta; donec introductum jus ordinum consensu probatum, XII Tabulæ (§. 205.), cum patriis legibus commista Græcarum civitatum instituta 1). His, parva etiam tunc re Romana, et privata jura, et civitatis regendæ ratio, senatus, populi, ordinum, magistratuum potestas (jus publicum) definita, ex iisque cæteræ leges Romanorum, jussa populi, plebiscita, senatusconsulta, maximam partem fluxerunt, crescente simul et mutata republica, jure etiam honorario (§. 191.) immensum auctæ. In illis adeo tabulis, tanquam omnis juris Romani fonte 2), multorum quoque juris Justinianei capitum origo quærenda est.

Ipsas tabulas Justiniani ævo integras superstites 3) fuisse, constat. Nobis fragmenta tantum superant, a recentioribus e veterum scriptis (Cicerone, Gellio, Festo, Pandectis, Caji Institutionibus, Ulpiani Fragmentis, etc.) collecta, in quibus ad verum restituendis hodieque laborantes occurrunt; sed insignem atque, ut quidam nunc judicant 4), majorem adeo quam mereatur, laudem adeptus Jacob. Gothofredus, ejusque ad mentem redditus aliquatenus antiquissimi juris codex, multis de jurisprudentia libris, ut Hein. *Hist. Jur. civ. Rom.* ex edit. Ritteri., et Bachii *Hist. Jurisp. Rom.*, insertus, latinatis etiam causa memorabilis 5). Cæterum, Gothofredus quantum aliis præstandum reliquerit, quamque pronus fingentis acumini ingenii in-

31

dulserit, nostra demum ætate lucidius apparuit, opera ejus a viris doctis severius excussa 6), inter quos eminet Dirksen, cum aliis scriptis 7) de jurisprudentiæ romanæ historia studioque, tum de XII Tabulis in opere hoc argumentum tractante 8) egregie meritus. Atque hoc intuentes nos, quum statuissemus uni, quam in secunda hujus libri editione dedimus, Gothofredianæ tabulæ cæteras adjungere, maluimus, Dirksenii tabulas 9) e memorato ejus libro inserentes, sinceras easdemque, e Caji *Institutionum* locis, pleniores reliquias, quam ex parte confictas exhibere; ita tamen, ut primam Gothofredi tabulam exempli causa servaremus 10).

1) Sic adfirmare liceat, veterum scriptorum de legatis in Græciam missis testimonia pluris facienti, quam recentiorum quorundam, nostræ etiam ætatis, vel dubitationem, vel simplicem adeo in contrariam sententiam adseverationem. Ex his Macieiowski, *Hist. Jur. Rom.* præf. p. 5, de legatione illa in Græciam suscepta fabulas aniles a Livio et Dionysio Hal. confictas, idemque, p. 54, in locis Ciceronis *de Republica* operis, 2, 36 et 37, et, (ubi ipse frustra quid quæsivi,) 3, 37, *nullam*, ait *mentionem legum e Græcia* petitarum fieri. Quod mihi quidem locos illos, et, quid satis hic dixisse Ciceroni fuerit, consideranti, leve argumentum; gravius contra, quod idem Cicero, *de Orat.* 1, 44, *bibliothecas mehercule omnium philosophorum*, Crassum exclamantem fingit, *unus mihi videtur XII Tabularum libellus*, SI QUIS LEGUM FONTES ET CAPITA VIDERIT, *et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare:* quibus addit, quantum prudentia Græcis Romani præstiterint, facilius intelligi, si cum Lycurgo, Dracone et Solone leges Romanæ conferantur: quæ cuncta, nemo non videt, quam prorsus non congruant legibus, quas sive totas, sive parte tantum a Græcis mutuatas Cicero credidisset. At enim neque hæc ipsa, neque omnino a Cicerone de antiquissima Romanorum jurisprudentia variis locis, et, ut verum fateamur, varie quoque nec concordibus sententiis dicta, tanti ponderis ad rem dirimendam judicamus, ut Livium propterea et Dionysium, non, opinor, hic fingentes, sed vulgarem opinionem secutos, respuamus: quorum alter, 10, 52, legatos, ut apud Græcos leges colligerent (τοὺς παρ' Ἑλλήνων νόμους ληψόμενοι) creatos, et, 10, 54, ab Athenis et Græcis Italiæ civitatibus cum legibus (φέροντες τοὺς νόμους) reversos, Livius au-

tem, 3, 31, eosdem legatos *inclytos leges Solonis describere et aliarum Græciæ civitatum instituta mores juraque noscere* jussos esse, tradit; quibus confer Taciti, *Ann.* 3, 26 — *accitis, quæ usquam egregia, compositæ XII Tabulæ, finis æqui juris.* Inter recentiores, quorum in talibus sententiæ plurimum plerique tribuunt, Hugo, *Gesch. de Ræm. Rechts*, p. 64 ed. 8, non repugnat, quominus legatos missos, quin etiam Italiam fortasse egressos, persuasum habeamus; Dirksenio quid maxime placuerit, mihimet ulterius quærendum; Niebuhr autem, *Ræm. Gesch.* v. 2, p. 67. (cf. Wachsmuth *ælter Gesch. d. Ræm. Staats* p. 355.), Athenas usque missos, per se quidem credibile fatetur, at suspectam tamen esse famam scriptorum Romanorum more multa in Græcorum rebus obscura ad Athenas temere referendi; cujus temeritatis argumentum in iis cerni, quæ, narrata ab illis, incredibilia esse, ipsa chronologiæ ratio demonstret. Qui Athenas non venisse, nec, cur hinc in XII Tabulas quidquam migraverit, qui ipsam legationem confictam volunt, omnino, cur illis externæ quidquam legis aut consuetudinis includant, consentaneum est, causam non reperire. Quanquam, si legatos et missos, et cum Græcorum sive italiæ sive transmarinorum legibus esse reversos concedas, ne sic quidem, peregrina a Decemviris multa recepta esse, necessario consequetur; et, contra accidisse cur potius credamus, cum alia sunt, quæ longum hic attingere, argumenta, tum XII Tabularum reliquiæ, ipsiusque legis decemviralis brevitas (cf. Cic. *de Or.* 1, 44.) Enimvero nec credibile est, Romanos, quos alioquin institutorum suorum tenacissimos fuisse notum (cf. Niebuhr v. 2. p. 110.), leges, quas, exactis jam tribus ab U. C. sæculis, etsi non admodum numerosas habuere, tam facile cum peregrinis commutasse, et in Tabularum reliquiis occurrunt, quæ ipsi veteres, alia e regum, alia e liberæ jam civitatis ætate, recepta testantur. Neque vero in cæteris reliquiis, opinor, multa facile reperias, de quibus, an e Græcorum legibus sint petita, nulla controversia relinquatur; quo citius in XII Tabulis majorem utique partem patriis institutis esse tributam existimemus; idque tenentes, in tanta operis brevitate atque exiguo capitum numero, jam merito, peregrinis non multum spatii superasse, conjiciemus. Sed aliud, pauca ex his, aliud, nihil acceptum esse, contendere (cf. Macieiowski p. 5.): quod tum veterum testimonia vetant (cf. Dionys. 10, 57.), tum vero vix non absurdum in iis videri diceres, qui legatos in Græciam missos non negaverint. Huc non leve, licet, addamus; quod decemviros in legibus scribendis ab Hermodoro (§. 205.), Ephesio, esse adjutos ea auctoritate traditum habemus, quam recusare prorsus nequeamus. Atqui idem Hermodorus, si a XII Tabulis Græca excludantur, non videmus, quas tandem partes, sive interpres, ut Plinius (§. 205.) refert, sive alias in lege decemvirali agere potuerit, quo dignus sit judi-

eatus, cujus memoriam ab Romanis statua publice dicata coleretur. — 2) Cf. Liv. 3, 34, Cic. *de Legg.* 2, 23, *de Orat.* 1, 43 et 44. — 3) Cf. Lyd. 1, 26. — 4) V. Macieiowski *Hist. Jur. Rom.* p. 55. — 5) Exemplo sit tabula I., qualis cum paraphrasi est apud Bachium l. 1, c. 2, §. II.

TABULA I. *De in ius vocando,*

	———— ———— ———— ———— ———— ———— ———— ———— ———— ———— ———— ————	*Cai.* lib. 1. ad leg. XII. Tab. cuius pars prior huic primæ tab. respondet.
	SIn * IVS VOCAT QVEAT : NIT * ANTESTAMINO : IGITVR, EM CAPITO. SI CALVITVR, PEDEMVE STRVIT, MANUM ENDO IACITO.	*Cai* I. 18. 20. 22. in pr. ff. de in ius voc.
	SI MORBVS ÆVITASVE VITIVM ESCIT, QVIN * IVS VOCABIT IVMENTVM DATO : SI NOLET ARCERAM NE STERNITO.	*Id est, si in ius vocat, atque eat. *Porphyrion* ad lib. 1. Satyrar. *Hor.* Sat 9.
II.	SI ENSIET, qui ius vocatum vindicit miTito. ASIDVO VINDEX ASIDVS ESTO : PROLETARIO, CVIQVI VOLET VINDEX ESTO. Endo via REM * VTI PAICVNT, * ORATO.	*id est, ni it. *Cai.* l. 233. in pr. ff. de V. S. *Gell.* lib. 20. c. 1.
III. Cognitio Praetoris.	NITA * PAICVNT, IN COMITIO, AVT IN PORO ab ORTV ANTE MERIDIEM CAVSAM CONSCITO, * CVM PEROBANT AMBO PRAESENTES. *	*id. est, qui in. *Caius* l. 22. §. 1. ff. de in ius voc. *vbi. *RATO.
	POST MERIDIEM PRAESENTI STLITEM ADDICITO. SOL OCASVS SUPREMA TEMPESTAS ESTO.	*id est, ni ita : puta : vindice dato, vel pacto inito.

PARAPHRASIS.

Si quis aliquem in ius vocat, vocatus statim sequitor.

Si in ius vocatus non sequatur, qui vocabit testes ante adhibeto, et tum in ius vocatum sistere ei ius esto.

Si et tum in ius vocatus moratur, frustretur, fugamue adornet, manum ei iniicere ius esto.

Si imbecillitas, aut inualentia quædam, ætasue senilis impedimento sit, quo minus vocatus in ius sequatur, qui in ius vocabit vocato vectabulum, seu vehiculum, quod adiunctis pecoribus trahatur, dato : si nolet is, qui in ius vocabit, vocato petenti plaustrum undique tectum, munitumque sternere ne cogitor.

Si tamen sit aliquis, qui in ius vocatum, vel prensum defendat, dimittitor.

Ceterum locupleti vindex locuples esto : pauperi prolem tantum Reipub. sufficienti (§. 144) quilibet vindex esto.

Item si de re transactum fuerit inter vocantem, et vocatum, dum in ius venitur, ita ius ratumque esto.

Si neque vindex aliquis sit, neque de re in via transactum fuerit, tum in comitio, aut in foro Prætor causam cognoscito, ante meridiem, cum ambo litigatores præsentes perorant.

Post meridiem, etiamsi unus tantum præsens sit, præsenti actionem dato, judiciumque constituito.

Sole occidente supremus terminus iudiciorum esto, seu judicia solvuntor. Ad solem proinde occasum Prætor ius reddito.

— 6) Cf. Hugo p. 69. ed 8. Macieiowski l. c. — *sed in iis, quæ effecit, potius ingenii subtilitas et acumen laudandum, quam argumentorum gravitati vel copiæ fidem habendam esse, duco.* — 7) In quibus *Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des Ræmischen Rechts* (Lipsiæ, 1823.) — 8) *Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwœlf-Tafel-Fragmente* (Lipsiæ, 1824.) — 9) Easdem habes a Warnkœnigio adjectas, quem auctum vulgavit (Mons, 1826.), libro *introduction à l'étude du droit romain*, traduite, de l'allemand de M. Mackeldey, par M. L. Étienne.

10) CONSPECTUS SINGULORUM FRAGMENTORUM LEGIS XII TABULARUM, A DIRKSENIO COMPOSITUS. *

TABULA. I.

Fr. 1. (I. 1. 2. **) SI. IN. IVS. VOCAT. NI. IT. ANTESTATOR. IGITVR. EM. CAPITO. (Porphyrio ad Horatium, *Satyr.* lib. 1. sat. 9. v. 65.

Fr. 2. (I. 3.) SI. CALVITVR. PEDEMVE. STRVIT. MANUM. ENDOIACITO. (Festus, v. *struere.*)

Fr. 3. (I. 4.) SI. MORBUS. ÆVITASVE. VITIVM. ESCIT. QUI. IN. IVS. VO-

* Conspectum hunc dedimus, qualem Warnkœnigi liber (v. supra not. 6.); in quo an nihil peccatum, Dirksenii opere carentes, nescimus. Græca, turpiter excusa, emendavimus. Cæterum falleretur, qui ipsum Dirksenium crederet verba XII Tabularum ea tantum adtulisse, de quibus, sive alias sive de forma, nulla controversia relinquatur; quod si prorsus voluisset, bona pars omittenda fuisset. *Quum perorant ambo præsentes* non habet auct. ad Herenn. Nota Fuss.

** Numeri hi in parenthesi positi locum indicant, quem Jacobus Gothofredus in suâ restitutione fragmento dedit. Loca, quibus hic numerus additus non est, à Gothofredo ignorabantur.

CABIT. IVMENTVM. DATO. SI NOLET. ARCERAM. NE. STERNITO. (A. Gellius, *Noct. Attic.* lib. 20. c. 1.)

Fr. 4. (I. 6.) ASSIDVO. VINDEX. ASSIDVVS. ESTO. PROLETARIO. QVOI. QVIS. VOLET. VINDEX. ESTO. (Id. lib. 16. c. 10.)

Fr. 5. (IX. 2.) Itaque in XII. cautum est : *Ut idem juris esset Sanatibus, quod fortibus*, id est bonis et qui nunquam defecerant a populo romano. (Festus, v. *Sanates.*)

Fr. 6. (I. 7.) REM. VBI. PAGVNT. ORATO. (*Auctor ad Herennium*, lib. 2. c. 13.)

Fr. 7. (I. 8.) NI. PAGVNT. IN. COMITIO. AVT. IN. FORO. ANTE. MERIDIEM. CAVSAM. CONIICITO. QVOM. PERORANT. AMBO. PRÆSENTES. (Id. al. l., et Gellius, al. l. lib. 17. c. 2.)

Fr. 8. (I. 9.) POST. MERIDIEM. PRÆSENTI. STLITEM. ADDICITO. (Gellius, al. l.)

Fr. 9. (I. 10.) SOL. OCCASVS. SVPREMA. TEMPESTAS. ESTO. (Gellius ib.)

Fr. 10. (II. 1.) — VADES. — SVBVADES. — (Id. l. 16. c. 10.)

TABULA II.

Fr. 1. Pœna autem sacramenti aut quingenaria erat aut quinquagenaria : (nam) de rebus mille æris plurisve quingentis assibus, de minori (bus vero) quinquaginta assibus sacramento contendeb (atur) nam (ita) *Lege XII Tabularum* cautum erat. (Sed si de libertate) hominis (controversia) erat, et si pretiosissimus homo esset, tamen ut quinquaginta assibus sacramento contenderetur (cautum erat) . . . . favoris (causa, ne satisdatione onerarentur) adsertores . . . . (Gaius, Institution. Lib. 4. §. 14.)

Fr. 2. (II. 2.) — MORBVS. SONTICVS. — STATVS. DIES. CVM. HOSTE. — QVID. HORVM. FVIT. VNVM. IVDICI. ARBITROVE. REOVE. DIES. DIFFISVS. ESTO. (Gellius, Lib. 20. c. 1. Cicero, *De offic.* Lib. 1. c. 12. Festus, v. *reus.*)

Fr. 3. (II. 3.) CVI. TESTIMONIVM. DEFVERIT. IS. TERTIIS. DIEBVS. OB. PORTVM. OBVAGVLATVM. ITO. (Festus, v. *portum*, et, quam non indicat Dirksen, *vagulatio.*)

Fr. 4. (II. 12.) — Nam et de furto pacisci *Lex* permittit. (Lib. 7. §. 14. D. *de pact.*)

TABULA III.

Fr. 1. (III. 4.) AERIS. CONFESSI. REBVSQVE. IVRE. IVDICATIS. TRIGINTA. DIES. IVSTI. SVNTO. (A. Gellius, lib. 20. c. 1.)

Fr. 2. (III. 5.) Post. deinde. manvs. iniectio. esto. in. ivs. dvcito. (Ibid.)

Fr. 3. (III. 6.) Ni. ivdicatvm. facit. avt. qvips. endo. em. ivre. vindicit. secvm. dvcito. vincito. avt. nervo. avt. compedibvs. qvindecim. pondo. ne. maiore. avt. si volet. minore. vincitor. (Ibid.)

Fr. 4. (III. 7.) Si volet. svo. vivito. ni. svo. vivit. qvi. em. vinctvm. habebit. libras. farris. endo. dies. dato. si. volet. plvs. dato. (Ibid.)

Fr. 5. (III. 8.) Erat autem ius interea paciscendi; ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta: inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. (Ibid.)

Fr. 6. (III. 9.) Tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. — Si plures forent quibus reus esset iudicatus, secare si vellent atque partiri corpus addicti sibi hominis, permiserunt. — Tertiis. nundinis. partis. secanto. si. plvs. minvsve. secvervnt. se. fravde. esto. (Ibid.)

Fr. 7. (III 3.) Adversvs. hostem. æterna. avctoritas. — (Cicero, *De offic.* Lib. 1. c. 12.)

TABULA IV.

Fr. 1. (IV 1.) Nam mihi quidem pestifera videtur (sc. tribunorum plebis potestas), quippe quæ in seditione et ad seditionem nata sit: cuius primum ortum si recordari volumus, inter arma civium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum videmus. Deinde quum esset cito legatus, tanquam ex *XII Tabulis* insignis ad deformitatem puer, brevi tempore recreatus multæque tætrior et fœdior natus est. (Cicero, *De Legib.* Lib. 3. c. 8.)

Fr. 2. (IV. 2.) Ὁ δὲ τῶν Ρωμαίων νομοθέτης (ὁ Ρωμύλος) ἅπασαν, ὡς εἰπεῖν, ἔδωκεν ἐξουσίαν πατρὶ καθ' υἱοῦ, καὶ παρὰ πάντα τὸν τοῦ βίου χρόνον, ἐάν τε εἴργειν, ἐάν τε μαστιγοῦν, ἐάν τε δέσμιον ἐπὶ τῶν κατ' ἀγρὸν ἔργων κατέχειν, ἐάν τε ἀποκτιννύναι προαιρῆται, κἂν τὰ πολιτικὰ πράττων ὁ παῖς ἤδη τυγχάνῃ, κἂν ἐν ἀρχαῖς ταῖς μεγίσταις ἐξεταζόμενος, κἂν διὰ τὴν εἰς τὰ κοινὰ φιλοτιμίαν ἐπαινούμενος. — καταλυθείσης δὲ τῆς μοναρχίας — (τοῦτον τὸν νόμον) δέκα ἄνδρες ἅμα τοῖς ἄλλοις ἀνέγραψαν νόμοις, καὶ ἔστιν ἐν τῇ

τετάρτῃ τῶν λεγομένων δώδεκα δέλτων, ἃς ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ. At Romanorum legislator [Romulus] omnem, ut ita dicam, potestatem in filium patri concessit, idque toto vitæ tempore: sive eum in carcerem conjicere, sive flagris cædere, sive vinctum ad rusticum opus detinere, sive occidere vellet; licet filius iam rempublicam administraret et inter summos magistratus censeretur, et propter suum studium in rempublicam laudaretur. — Sed sublato regno — Decemviri (eam legem) inter ceteras retulerunt, exstatque in *XII Tabularum*, ut vocant, quarta, quas tunc in foro posuere (Dionysius Halicarnassæus, lib. 2. c. 26 et 27.)

Fr. 3. (IV. 3.) SI. PATER. FILIVM. TER. VENVM. DVIT. FILIVS A. PATRE. LIBER. ESTO. (Ulpian. *Fragm.* tit. 10. §. 1.)

Fr. 4. (IV. 4.) — Quoniam *Decemviri* in decem mensibus gigni hominem, non in undecimo, scripsissent. (A. Gellius, lib. 3. c. 16.)

TABULA V.

Fr. 1. Loquimur autem exceptis Virginibus Vestalibus, quas etiam veteres in honorem sacerdotii liberas (a tutela) esse voluerunt; itaque etiam *Lege XII Tabularum* cautum est. (Gaius, *Institution.* Lib. 1. §. 144. 145.)

Fr. 2. (Item) Res mulieris, quæ in agnatarum tutela (erat, si) erant res mancipi, usucapi non poterant, præterquam si ab ipsa tutore (auctore) traditæ essent: id ita *Lege XII Tabularum* cautum erat. (Ibid. lib. 2. §. 47.)

Fr. 3. (V. 1.) VTI. LEGASSIT. SVPER. PECVNIA. TVTELAVE. SVÆ. REI. IVS. ESTO. (Ulpian, *Fragm.* tit. 11. §. 14.)

Fr. 4. (V. 2.) SI. INTESTATO. MORITVR. CVI. SVVS. HERES. NEC. SIT. ADGNATVS. PROXIMVS. FAMILIAM. HABETO. (Ibid. tit. 26. §. 1.)

Fr. 5. (V. 3.) SI. AGNATVS. NEC. ESCIT. GENTILIS. FAMILIAM. NANCITOR. (*Collat. Legg. Mosaic. et Romanar.* tit. 16. §. 4.)

Fr. 6. (V. 7.) Quibus testamento quidem tutor datus non sit, iis ex *Lege XII* agnati sunt tutores, qui vocantur legitimi. (Gaius, *Institution.* lib. 1. §. 155.)

Fr. 7. (V. 8.) SI. FVRIOSVS. EST. AGNATORVM. GENTILIVMQVE. IN. EO. PECVNIAQVE. EIVS. POTESTAS. ESTO. — AST. EI. CVSTOS. NEC. ESCIT. — (Cicero, *de invent. rhetor.* lib. 2. c. 50. Festus, v. *nec.*)

Fr. 8. (V. 4.) Civis romani liberti hereditatem *Lex XII Tabula-*

rum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit.—*Lex:* « Ex. EA. FAMILIA., inquit, IN. EAM. FAMILIAM. » (Ulpian., *Fragm*. tit. 29. §. 1. L. 195. §. 1. D. *de verbor. signif.*)

Fr. 9. (V. 5.) Ea, quæ in nominibus sunt, non recipiunt divisionem, cum ipso iure in portiones hereditarias ex *Lege XII Tabularum* divisa sint. (L. 6. C. *famil. erciscund.*)

Fr. 10. (V. 6.) Hæc actio (sc. familiæ erciscundæ) proficiscitur e *Lege XII Tabularum* (L. 1. pr. D. *eod. tit.*)

TABULA VI.

Fr. 1. CVM. NEXVM. FACIET. MANCIPIVMQVE. VTI. LINGVA NVNCVPASSIT. ITA. IVS. ESTO. (Festus, v. *nuncupata.*)

Fr. 2. (VI. 2.) Nam cum ex *XII Tabulis* satis esset ea præstari, quæ essent lingua nuncupata, quæ qui infitiatus esset dupli pœnam subiret; a iureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. (Cicero, *De offic.* l. 3. c. 16.)

Fr. 3. (VI. 5.) Quod in re pari valet, valeat in hac, quæ par est, ut: *Quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam ædium:* at in *Lege ædes* non adpellantur, et sunt *ceterarum rerum omnium, quarum annuus est usus.* (Cicero, *Topic.* c. 4.

Fr. 4. (VI. 6.) Usu in manum conveniebat, quæ anno continuo nupta perseverabat: — Itaque *Lege XII Tabularum* cautum (*erat*), si qua nollet eo modo in manum mariti conve (*nire, ut quotan*) nis trinoctio abesset, atque (*ita usum*) cuiusque anni interrumperet. (Gaius, *Institution.* l. 1. §. 111.)

Fr. 5. (VI. 7.) SI. QVI. IN. IVRE. MANVM. CONSERVNT. (A. Gellius, lib. 20. c. 10.)

Fr. 6. (VI. 8.) Initium fuisse secessionis dicitur Virginius quidam, qui cum animadvertisset Appium Claudium contra ius, quod ipse ex vetere iure in *XII Tabulas* transtulerat, vindicias filiæ suæ a se abdixisse, et secundum eum, qui in servitutem ab eo suppositus petierat, dixisse, captumque amore virginis omne fas ac nefas miscuisse. (L. 2. §. 24. D. *de orig. iur.*)

Fr. 7. (VI. 9.) TIGNVM. IVNCTVM. ÆDIBVS. VINEÆQVE. ET. CONCAPET. NE. SOLVITO. (Festus, v. *tignum.*)

Fr. 8. (VI. 10.) Quod providenter *Lex XII Tabularum* effecit, ne vel ædificia sub hæc prætexta diruantur, vel vinearum cultura turbetur; sed in eum, qui convictus est iunxisse, in duplum dat actionem (L. 1. pr. D. *de tigno iuncto.*)

Fr. 9. (VI. 11.) QVANDOQVE. SARPTA. DONEC. DEMPTA. ERVNT. (Festus, v. *sarpuntur.*)

TABULA VII.

Fr. 1. (VIII. 1.) Nam ambitus circumitus: ab eoque *XII Tabularum* interpretes ambitum parietis circumitum esse describunt. — *Lex* etiam *XII Tabularum* argumento est, in qua duo pedes et semis *sestertius pes* vocatur. (Varro, *de ling. lat.* lib. 4. c. 4. et Volusius Mæcianus, *de asse et ejus partib.*)

Fr. 2. (VIII. 3.) Sciendum est, in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum quodammodo eius legis scriptum est, quam Athenis *Solonem* dicunt tulisse; nam illic ita est: *Ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρυγῇ, τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν, ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν, ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας. ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν, ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν· ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν, τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας.* Si quis sepem ad alienum prædium fixerit infoderitque, terminum ne excedito: si maceriam, pedem relinquito: si vero domum, pedes duos: si sepulchrum aut scrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum spatii relinquito: si puteum, passus latitudinem: at vero oleam aut ficum ab alieno ad novem pedes plantato, ceteras arbores ad pedes quinque. (L. *fin.* D. *finium regund.*)

Fr. 3. (VIII. 6.) — HORTVS. — HEREDIVM. — TVGVRIVM. — (Plinius, *Hist. Natur.* lib. 19. c. 4. §. 1.)

Fr. 4 et 5. (VIII. 4. 5.) Ex hac autem, non rerum, sed verborum, discordia controversia nata est de finibus: in qua quoniam usucapionem *XII Tabulæ* intra quinque pedes esse noluerunt, depasci veterem possessionem academiæ ab hoc acuto homine non sinemus, nec *Mamilia lege* singuli, sed ex his tres arbitri fines regemus.— SI IVRGANT.— (Cicero, *de Legib.* l. 1. c. 21. et Nonius Marcellus, *de propriet. sermon.* c. 5. §. 34.)

Fr. 6. (VIII. 10.) Viæ latitudo ex *Lege XII Tabularum* in porrectum octo pedes habet; in anfractum, id est ubi flexum est, sedecim. (L. 8. D. *de servitutib. præd. rustic.*)

Fr. 7. (VIII. 11.) Si via sit immunita, jubet (*Lex*) qua velit agere iumentum. (Cicero, pro *Cæcina.* c. 19.)

Fr. 8. (VIII. 9.) Si per publicum locum rivus aquæductus privato nocebit, erit actio privato ex *Lege XII Tabularum*, ut noxæ domino caveatur. — SI. AQVA. PLVVIA. NOCET. — (L. 5. D. *Ne quid in loco public.* et L. 21. D. *de statulib.*)

Fr. 9. (VIII. 7.) Quod ait prætor, et *Lex XII Tabularum* efficere voluit, ut quindecim pedes altius rami arboris circumcidantur; et hoc idcirco effectum est, ne umbra arboris vicino prædio noceret. (L. 1. §. 8. D. *de arborib. cædend.*)

Fr. 10. (VIII. 8.) Cautum est præterea *Lege XII Tabularum*, ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere. (Plinius, *Histor. Natur.* lib. 16. c. 5.)

Fr. 11. (VI. 4.) Venditæ vero res et traditæ non aliter emptori adquiruntur, quam si is venditori pretium solverit, vel alio modo satisfecerit, veluti expromissore aut pignore dato. Quod cavetur quidem et *Lege XII Tabularum*, tamen recte dicitur, et iure gentium, id est iure naturali, id effici. (§. 41. *Inst. de rer. divis.*)

Fr. 12. (VI. 3.) Sub hac conditione liber esse iussus, si decem millia heredi dederit, etsi ab herede abalienatus sit, emtori dando pecuniam ad libertatem perveniet: idque *Lex XII Tabularum* iubet. (Ulpian. *Fragm.* tit. 2. §. 4.)

TABULA VIII.

Fr. 1. (VII. 8.) Nostræ contra *XII Tabulæ* cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt: « *Si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumve alteri.* » (Cicero, *de Republ.* lib. 4. apud Augustinum, *de civitate Dei.* lib. 2. c. 9.)

Fr. 2. (VII. 9.) SI. MEMBRVM. RVPIT. NI. CVM EO. PACIT. TALIO. ESTO. (Festus, v. *talionis.*)

Fr. 3. (VII. 10.) Propter os vero fractum aut collisum trecentorum assium pœna erat (ex *Lege XII Tabularum*), velut si libero os fractum erat; at si servo, centum et quinquaginta. (Gaius, *Institution.* Lib. 3. §. 223.)

Fr. 4. (VII. 7.) SI. INIVRIAM. FAXIT. ALTERI. VIGINTI. QVINQVE. ÆRIS. PŒNÆ. SVNTO. (A. Gellius, lib. 20. c. 1.)

Fr. 5. (VII. 2.) — RVPITIAS. — SARCITO. — (Festus, v. *rupitias.*)

Fr. 6. (VII. 5.) Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur, actio ex *Lege XII Tabularum* descendit; quæ lex voluit aut dari id, quod nocuit; id est id animal quod noxiam commisit, aut æstimationem noxiæ offerre. (L. 1. pr. D. *Si quadrup. pauper.*)

Fr. 7. (VII. 5.) Si glans ex arbore tua in meum fundum cadat, eamque ego immisso pecore depascam, Aristo scribit non sibi occurrere legitimam actionem, qua experiri possim; nam neque ex *Lege XII Tabularum* de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur, neque de pauperie, neque de damni iniuriæ agi posse. (L. 14. §. 3. D. *de præscr. verb.*)

Fr. 8. (VII. 3.) — QVI. FRVGES. EXCANTASSIT. — NEVE. ALIENAM. SEGETEM. PELLEXERIS. — (Plinius, *Hist. Natur.* lib. 28 c. 2. et Servius ad Virgilii *Eclog.* VIII. v. 99.)

Fr. 9. (VII. 4.) Frugem quidem aratro quæsitam furtim noctu pavisse ac secuisse puberi *XII Tabulis* capitale erat, suspensumque Cereri necari iubebant; gravius quam in homicidio convictum; impubem prætoris arbitratu verberari, noxiamque duplione decerni. (Plinius, *Histor. Natur.* Lib. 18. c. 3.)

Fr. 10. (VII. 6.) Qui ædes, acervumve frumenti iuxta domum positum combusserit, vinctus verberatus igni necari iubetur; si modo sciens prudensque id commiserit: si vero casu, id est negligentia, aut noxiam sarcire iubetur, aut, si minus idoneus sit, levius castigatur. (L. 9. D. *de incend. ruina, naufrag.*)

Fr. 11. (II. 11.) Fuit et arborum cura legibus priscis, cautumque est *XII Tabulis*, ut qui iniuria cecidisset alienas, lueret in singulas æris XXV. (Plinius, *Hist. Natur.* lib. 17. c. 1.)

Fr. 12. (II. 4.) SI. NOX. FVRTVM. FACTVM. SIT. SI. IM. OCCISIT. IVRE. CÆSVS. ESTO. (Macrobius, *Saturnal.* lib. 1. c. 4.)

Fr. 13. (II. 8.) Furem interdiu deprehensum non aliter occidere *Lex XII Tabularum* permisit, quam si telo se defendat. (L. 54. §. 2. D. *de furt.*)

Fr. 14. (II. 5.—7.) Ex ceteris autem manifestis furibus liberos verberari addicique iusserunt (sc. Decemviri) ei, cui factum furtum esset, si modo id luci fecissent, neque se telo defendissent: servos item furti manifesti prensos verberibus affici et e saxo præcipitari; sed pueros impuberes prætoris arbitratu verberari voluerunt, noxamque ab his factam sarciri. (A. Gellius, lib. 11. c. 18.)

Fr. 15. (II. 9.) Concepti et oblati (sc. furti) pœna ex *Lege XII Tabularum* tripli est. — Præcepit (*Lex*) ut, qui quærere velit, nudus quærat, linteo cinctus, lancem habens; qui si quid invenerit, jubet id Lex furtum manifestum esse. (Gaius, *Instit.* lib. 3. §. 191. 192.)

Fr. 16. (II. 10.) SI. ADORAT. FVRTO. QVOD. NEC. MANIFESTVM. ESCIT. — Nec manifesti furti pœna per *Legem XII Tabularum* dupli irrogatur. (Festus, v. *nec*, et Gaius, *Institution.* lib. 3. §. 190.

Fr. 17. (II. 13.) Furtivam (rem) *Lex XII Tabularum* usucapi prohibet. (Gaius, ibid. lib. 2. §. 45.)

Fr. 18. (III. 2.) Nam primo *XII Tabulis* sanctum; ne quis unciario fœnore amplius exerceret. — Maiores nostri sic habuerunt, itaque in Legibus posuerunt, furem dupli damnari, fœneratorem quadrupli (Tacitus, *Annal.* lib. 6. c. 16. et Cato, *de re rust.* in procem.

Fr. 19. (III. 1.) Ex causa depositi *Lege XII Tabularum* in duplum actio datur. (Paulus, *rec. sentent.* lib. 2. tit 12. §. 11.)

Fr. 20. (VII. 16.) Sciendum est, suspecti crimen e *Lege XII Tabularum* descendere. — Sed si ipsi tutores rem pupilli furati sunt, videamus an ex actione, quæ proponitur ex *Lege XII Tabularum* adversus tutorem in duplum, singuli in solidum teneantur (L. 1. §. 2. D. *de suspect. tutor.* et l. 55. §. 1. D. *de admin. et peric.*)

Fr. 21. (VII. 17.) PATRONVS. SI. CLIENTI. FRAVDEM. FECERIT. SACER. ESTO. (Servius ad Virgilii *Æneid.* VI. v. 609.)

Fr. 22. (VII. 11.) QVI. SE. SIERIT. TESTARIER. LIBRIPENSVE. FVERIT. NI. TESTIMONIVM. FARIATVR. IMPROBVS. INTESTABILISQVE. ESTO. (A. Gellius, lib. 15. c. 13.)

Fr. 23. (VII. 12.) An putas, — si non illa etiam ex *XII Tabulis* de testimoniis falsis pœna abolevisset, et si nunc quoque, ut antea, qui falsum testimonium dixisse convictus esset, e saxo Tarpeio deiiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos, quam videmus? (A. Gellius, lib. 20. c. 1.)

Fr. 24. (VII. 13.) Homicidii pœna. (Plinius, *Histor. Natur.* lib. 18. c. 3.)

Fr. 25. (VII. 14.) QVI. MALVM. CARMEN. INCANTASSET. — MALVM. VENENVM. — (Ibid. lib. 28. c. 2. et l. 236. pr. D. *de verb. signif.*)

Fr. 26. (IX. 6.) Primum *XII Tabulis* cautum esse cognoscimus, ne quis in urbe cœtus nocturnos agitaret. (Porcius Latro *Declamat. in Catilinam.* c. 19.

Fr. 27. (VIII. 2.) Sodales sunt, qui eiusdem collegii sunt. — His autem potestatem facit *Lex*, pactionem quam velint sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. (L. 4. D. *de colleg. et corporib.*)

TABULA IX.

Fr. 1. (IX. 1.) Vetant *XII Tabulæ* leges privis hominibus irrogari. (Cicero, *pro domo.* c. 17.)

Fr. 2. (IX. 4.) Tum leges præclarissimæ de *XII Tabulis* translatæ duæ: quarum — altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. (Id. *de Legibus*. lib. 3. c. 19.)

Fr. 3. (IX. 3.) Dure autem scriptum esse in istis *legibus* (*sc. XII Tabularum*) quid existimari potest? nisi duram esse legem putas, quæ iudicem arbitrumve iure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse convictus est, capite pœnitur. (A. Gellius, lib. 20. c. 1.)

Fr. 4. (IX. 5.) Quæstores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus præessent: hi adpellabantur quæstores parricidii: quorum etiam meminit *Lex XII Tabularum*. — Ab omni iudicio pœnaque provocari licere, iudicant *XII Tabulæ*. (L. 2. §. 23. D. *de orig. iur.* et Cicero, *de Republ.* lib. 2. c. 31. ed. *Aug. Maio*, Rom. 1822. 4.)

Fr. 5. (IX. 7.) *Lex XII Tabularum* iubet, eum qui hostem concitaverit, quive civem hosti tradiderit, capite puniri. (L. 3. pr. D. *ad leg. Jul. maiestat.*)

TABULA X.

Fr. 1. (X. 2.) HOMINEM. MORTVVM. IN. VRBE. NE. SEPELITO. NEVE. VRITO. (Cicero, *de Legibus* lib. 2. c. 23.)

Fr. 2. (X. 4. 5.) HOC. PLVS. NE. FACITO. — ROGVM. ASCIA. NE. POLITO. (Ibib.)

Fr. 3 et 4. (X. 6. 7.) Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis et vinculis purpuræ, et decem tibicinibus, tollit (*Lex XII Tabularum*) etiam lamentationem: MVLIERES. GENAS. NE. RADVNTO. NEVE. LESSVM. FVNERIS. ERGO. HABENTO. (Ibid.)

Fr. 5. (X. 8.) Cetera item funebria, quibus luctus augetur, XII. sustulerunt: HOMINI, inquit, MORTVO. NE. OSSA. LEGITO. QVO. POST. FVNVS. FACIAT. Excipit bellicam peregrinamque mortem. (Cicero, *de Legibus*. lib. 2. c. 24.)

Fr. 6. (X. 9. 10.) Hæc præterea sunt in *Legibus* de unctura, quibus servilis unctura tollitur omnisque circumpotatio: quæ et recte tolluntur, neque tollerentur nisi fuissent. Ne sumtuosa respersio, ne longæ coronæ, nec acerræ prætereantur. (Ibid.)

Fr. 7. (X. 11.) Inde illa *XII Tabularum* lex: QVI. CORONAM. PARIT. IPSE. PECVNIAVE. EIVS. VIRTVTIS. ERGO. DVITOR. EI. Quam servi equive meruissent, *pecunia partam* lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos? Ut ipsi mortuo parentibusque eius, dum

intus positus esset, forisve ferretur, sine fraude esset imposita. (Plinius, *Histor. Nat.* lib. 21. c. 3.)

Fr. 8. (X. 12.) Ut uni plura fierent, lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret *Lege* sanctum est (Cicero, al. l.)

Fr. 9. (X. 13.) NEVE. AVRVM. ADDITO. QVOI. AVRO. DENTES. VINCTI. ESCVNT. AST. IM. CVM. ILLO. SEPELIRE. VREREVE. SE FRAVDE. ESTO. (Ibid.)

Fr. 10. (X. 14) Rogum bustumve novum vetat (*Lex XII Tabularum*) propius sexaginta pedes adiici ædeis alienas invito domino (Ibid.)

Fr. 11. (X. 15.) Quod autem *forum*, id est vestibulum sepulchri, *bustumve* usucapi vetat (*sc. Lex XII Tabularum*) tuetur ius sepulchrorum. (Ibid.)

—

TABULA XI.

Fr. 1. (XI. 2.) Hoc ipsum, ne connubium *patribus cum plebe esset*, non Decemviri tulerunt? (Livius. lib. 4. c. 4.)

—

TABULA XII.

Fr. 1. (XII. 1.) Lege autem introducta est pignoris capio, velut *Lege XII Tabularum* adversus eum, qui hostiam emisset, nec pretium redderet; item adversus eum, qui mercedem non redderet pro eo iumento, quod quis ideo locasset, ut inde pecuniam acceptam in dapem, id est in sacrificium inpenderet. (Gaius, *Institution*. lib. 4. §. 28.)

Fr. 2 (XII. 4.) Nam in *Lege antiqua*, si servus sciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commisit, servi nomine actio est noxalis, nec dominus suo nomine tenetur — SI. SERVVS. FVRTVM. FAXIT. NOXIAMVE. NOCVIT. — (L. 2. §. 1. D. *de noxal. action.*)

Fr. 3. (XII. 3.) SI. VINDICIAM. FALSAM. TVLIT..... SI. VELIT. IS..... TOR. ARBITROS. TRES. DATO. EORVM. ARBITRIO..... FRVCTVS. DVPLIONE. DAMNVM. DECIDITO. (Festus, v. *vindiciæ.*)

Fr. 4. (XII. 2.) Rem, de qua controversia est, prohibemur in sacrum dedicare; alioquin dupli pœnam patimur (L. 3. D. *de litigios.*)

Fr. 5. (XI. 1.) In *XII Tabulis* legem esse, ut, quodcumque postremum populus iussisset, id ius ratumque esset. (Livius, l. 7. c. 17.)

262. Juris romani pars legibus, in iisque XII tabularum, pars jure honorario, sive a magistratibus inducto, pars iis, quæ a prudentum auctoritate et disputatione fori recepta sunt, pars Principum constitutionibus continetur. Hæc alias omnia, alias, excluso honorario, jus civile veteres, interdumque adeo solam auctoritatem prudentum et disputationem fori sic adpellarunt 1). In jure igitur civili Romanorum distinguuntur lex strictiore vocis sensu, plebiscitum, senatusconsultum, edicta, disputatio fori, responsa prudentum, Principum rescripta, constitutiones.

Legem populus comitiis curiatis et centuriatis, ea, quam §. 159. sqq. exposuimus, ratione propositam jubebat, plebiscitum plebs, rogante magistratu plebejo. Senatusconsulta (§. 177.) an in libera etiam civitate semper, et quatenus in fontibus juris civilis ponenda, quæsitum; haud ambigue ponunt Bachius et Hugo 2). Lex ambos ordines, plebiscitum ante legem Horatiam (§. 170.) plebejos tantum devinxit. Edicta dividuntur in urbana et provincialia, utraque partim temporaria (repentina), sive extra ordinem proposita, partim, ut annua Prætorum, perpetua. Disputationem fori, e veteribus soli Pomponio 3), loco obscuro, memoratam, alii conventum 4) jureconsultorum ad jus definiendum, alii jus e rebus similiter judicatis natum intelligunt 5). Responsa prudentum 6) dicimus, quæ jureconsulti, rescripta Principum, quæ Principes de singulis juris quæstionibus dabant. In constitutionibus distinguunt generales (leges edictales, edicta) et personales (mandata, decreta), quo etiam trahuntur rescripta 7).

1) Cf. Mackeld. §. 32. Ad vocis usum referendus loc. Cic. *p. Cæc.* 2, — *ut non de improbitate s. Æbutii sed de jure civili judicium fieri videretur.* Cf. et Liv. 9, 46, *civile jus evulgavit.* — 2) V. Bach. *Hist. Jurispr.* l. 2. c. 2. s. 2. §. 1, Hugo *Gesch. d. R. R.* §. 59 et 166. — 3) Fr. 2. §. 5. *Digg.* 1. 2. — 4) Eumque vulgo ad templum Apollinis, ad rem trahentes

Hor. *Sat.* 1, 9, 78, et Juven. 1, 128, — *forum jurisque peritus Apollo.* — 5) Cf. Bach. ib. sect. 5. §. 1. sqq., Hein. *Synt.* 1, 2, 35. Mackeld. l. c. vero simile, ait, disputationem fori esse id, quod Galli vocant *plaidoyer.* Cf. Dirksen *Versuche* p. 211. — 6) Caj. *Institt.* I, 7, *Responsa prudentum sunt sententiæ et opiniones eorum, quibus permissum est jura condere. Quorum omnium si in unum sententiæ concurrant, id, quod ita sentiunt, legis vim obtinet; si vero dissentiunt, judici licet, quam velit, sententiam sequi, idque rescripto Divi Adriani significatur.* — 7) Cf. Mack. §. 47.

JUDICIA PUBLICA ET PRIVATA.

263. Justitiæ administratione complectimur judiciorum in privata et publica divisionem, judices, lege agendi rationem sive legis actiones, et pœnas.

Judicia vel de jure inter privatos sunt, vel de criminibus: illa privata, hæc publica apud Romanos adpellata 1); neque tamen omnium delictorum ad ea cognitio pertinebat, sed eorum, quæ, cæterum lege definita, vel reipublicæ, vel publicæ securitati aut libertati vehementer metuenda 2) videbantur 3). Cætera crimina judiciis privatis adtributa.

Judicia publica (§. 196.) initio cuncta extraordinaria, quum Reges, quandoque populus, velut in judicio Horatii (Liv. I, 26.), dein Consules, mox populus solus aut suffragiis, primo curiatis, post centuriatis tributisve comitiis, judicaret, aut electis a se judicibus rem permitteret; quo referendi Quæstores Parricidii 4), teste Pomponio 5), jam in lege XII tabularum occurrentes. Eadem ineunte sæculo septimo, nimium frequentibus causis, perpetua facta sunt (quæstiones perpetuæ), lege singulorum criminum cognitionem ad singulos propriosque Prætores deferente. Populo tamen graviores extra ordinem casus reservati. Exin divisio in judicia publica ordinaria sive Prætorum, et extraordinaria sive populi, non parva de discrimine controversia 6). Inter memoranda populi judicia occurrunt 7), sub Regi-

262. Juris romani pars legibus, in iisque XII tabularum, pars jure honorario, sive a magistratibus inducto, pars iis, quæ a prudentum auctoritate et disputatione fori recepta sunt, pars Principum constitutionibus continetur. Hæc alias omnia, alias, excluso honorario, jus civile veteres, interdumque adeo solam auctoritatem prudentum et disputationem fori sic adpellarunt 1). In jure igitur civili Romanorum distinguuntur lex strictiore vocis sensu, plebiscitum, senatusconsultum, edicta, disputatio fori, responsa prudentum, Principum rescripta, constitutiones.

Legem populus comitiis curiatis et centuriatis, ea, quam §. 159. sqq. exposuimus, ratione propositam jubebat, plebiscitum plebs, rogante magistratu plebejo. Senatusconsulta (§. 177.) an in libera etiam civitate semper, et quatenus in fontibus juris civilis ponenda, quæsitum; haud ambigue ponunt Bachius et Hugo 2). Lex ambos ordines, plebiscitum ante legem Horatiam (§. 170.) plebejos tantum devinxit. Edicta dividuntur in urbana et provincialia, utraque partim temporaria (repentina), sive extra ordinem proposita, partim, ut annua Prætorum, perpetua. Disputationem fori, e veteribus soli Pomponio 3), loco obscuro, memoratam, alii conventum 4) jureconsultorum ad jus definiendum, alii jus e rebus similiter judicatis natum intelligunt 5). Responsa prudentum 6) dicimus, quæ jureconsulti, rescripta Principum, quæ Principes de singulis juris quæstionibus dabant. In constitutionibus distinguunt generales (leges edictales, edicta) et personales (mandata, decreta), quo etiam trahuntur rescripta 7).

1) Cf. Mackeld. §. 32. Ad vocis usnm referendus loc. Cic. *p. Cæc.* 2, — *ut non de improbitate s. Æbutii sed de jure civili judicium fieri videretur.* Cf. et Liv. 9, 46, *civile jus-evulgavit.* — 2) V. Bach. *Hist. Jurispr.* l. 2. c. 2. s. 2. §. 1, Hugo *Gesch. d. R. R.* §. 59 et 166. — 3) Fr. 2. §. 5. *Digg.* 1. 2. — 4) Eumque vulgo ad templum Apollinis, ad rem trahentes

Hor. *Sat.* 1, 9, 78, et Juven. 1, 128, — *forum jurisque peritus Apollo.* — 5) Cf. Bach. ib. sect. 5. §. 1. sqq., Hein. *Synt.* 1, 2, 35. Mackeld. l. c. vero simile, ait, disputationem fori esse id, quod Galli vocant *plaidoyer*. Cf. Dirksen *Versuche* p. 211. — 6) Caj. *Institt.* I, 7, *Responsa prudentum sunt sententiæ et opiniones eorum, quibus permissum est jura condere. Quorum omnium si in unum sententiæ concurrant, id, quod ita sentiunt, legis vim obtinet; si vero dissentiunt, judici licet, quam velit, sententiam sequi, idque rescripto Divi Adriani significatur.* —7) Cf. Mack. §. 47.

JUDICIA PUBLICA ET PRIVATA.

263. Justitiæ administratione complectimur judiciorum in privata et publica divisionem, judices, lege agendi rationem sive legis actiones, et pœnas.

Judicia vel de jure inter privatos sunt, vel de criminibus: illa privata, hæc publica apud Romanos adpellata 1); neque tamen omnium delictorum ad ea cognitio pertinebat, sed eorum, quæ, cæterum lege definita, vel reipublicæ, vel publicæ securitati aut libertati vehementer metuenda 2) videbantur 3). Cætera crimina judiciis privatis adtributa.

Judicia publica (§. 196.) initio cuncta extraordinaria, quum Reges, quandoque populus, velut in judicio Horatii (Liv. I, 26.), dein Consules, mox populus solus aut suffragiis, primo curiatis, post centuriatis tributisve comitiis, judicaret, aut electis a se judicibus rem permitteret; quo referendi Quæstores Parricidii 4), teste Pomponio 5), jam in lege XII tabularum occurrentes. Eadem ineunte sæculo septimo, nimium frequentibus causis, perpetua facta sunt (quæstiones perpetuæ), lege singulorum criminum cognitionem ad singulos propriosque Prætores deferente. Populo tamen graviores extra ordinem casus reservati. Exin divisio in judicia publica ordinaria sive Prætorum, et extraordinaria sive populi, non parva de discrimine controversia 6). Inter memoranda populi judicia occurrunt 7), sub Regi-

bus Horatii, durante libertate, Coriolani 8), Sp. Cassii 9), Camilli, Manlii Capitolini, Claudii Pulchri 10), Scipionis Africani 11), C. Claudii et Ti. Sempronii, Censorum 12), post institutas quæstiones perpetuas L. Opimii 13), Ciceronis.

1) Cf. Cic. *p. Cæc.* 2. — 2) Satis inepte *Institt.* 4, 18, *publica autem dicta sunt, quod cuivis ex populo executio* (?) *eorum plerumque datur.* Ad quæ v. not. Vinnii. — 3) V. *Institt.* 4, 18, et l. 1. *Digg. de Publ. Judic.*, Hein. *Synt.* 4, 18, 1. sqq. — 4) De voce cf. Fest. *parici quæstores adpellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quærendarum; nam parricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem.* Addit, rem confirmari lege Numæ: *siquis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto.* — 5) *Digg.* 1, 2, 23. — 6) Cf. Hein. 4, 18, 2. — 7) Cf. Beauf. v. 2. p. 62. — 8) Cf. Dionys. lib. 7, Liv. 2, 35. — 9) Liv. 2, 41. — 10) Liv. ep. l. 19. — 11) Liv. 38, 50. sqq. — 12) Liv. 43, 16. — 13) Liv. ep. l. 61.

264. Præcipua in judiciis publicis crimina erant: majestatis, violata populi Romani dignitate, post ad Principis modo personam 1) pertinens; perduellionis (§. 157.), initis contra rempublicam consiliis, aut initorum suspicione; repetundarum, provinciis res a magistratu repetentibus (§. 256.); peculatus, pecuniam publicam furantis; ambitus, honoribus vetita fraude quæsitis (§. 184.); vis publica, vis privata 2), parricidium, lege Pompeja 3) de sanguine proximis, deque patronis 4); crimen veneficii; sicariorum 5); falsi, litteris publicis, testamento, moneta falsata, quo refertur lex Cornelia de falsis 6); plagii, homine, etiam servo, erepto aut vendito; unde plagiarius 7); adulterii.

Judiciis publicis ordinariis primum quatuor quæstiones, serius plures constitutæ, aucto etiam Prætorum numero (§. 196.); neque tamen omnibus una tantum quæstio mandata, si opus esset, aut uno duobus judiciis præsidente, aut

uno inter duos diviso, urbano etiam et peregrino causarum partem senatus jussu suscipientibus 8).

1) Tac. *Ann.* I, 72, *Nam legem majestatis reduxerat; cui nomen apud veteres idem, sed alia in judicium veniebant: si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica majestatem populi minuisset.* — 2) Cf. Cic. *p. Cæc.* 2, Hein. 4, 18, 66. — 3) V. Paul. *Sent. Rec.* 5, 54. — 4) V. §. 263. loc. Festi. — 5) V. Paul. *Sent. Rec.* 5, 23. — 6) V. Cic. *Verr.* 1, 42, ubi testamentariam ac numariam vocat, Hein. 4, 18, 63 et 64 — 7) Ulp. *Pandd.* 21, 1, 17, §. 7. De furto litterario Mart. 1, 53, 9, *impones plagiario pudorem.* — 8) Cf. Beauf. vol. 2. pag. 96. sqq.

265. Nec minus Prætores nimio onere levabant judices quæstionis 1), iidem principes judicum dicti; de quibus non parum dissentiunt auctores, ac nonnulli cum Prætoribus eos aut Quæsitoribus (§. 275.) confuderunt 2). Quæsitum etiam, an magistratus fuerint 3). Cæterum hæc constare videntur: populi suffragiis, et maxime ædilitate 4) functos lectos esse; judicia autem, unde duplicis generis fuisse suspiceris, alias propria auctoritate, alias sub Prætore moderatos 5), causam cognoscentes, testes audientes, judices sortientes, alia Prætoris dignitate minora curantes, ipsius denique vicem, sive absentis, sive alias impediti, frequenter implentes.

Præter judicem quæstionis in judiciis ordinariis assessorum consilium, numero ad singula lege definito, e quorum sententia Prætor pronuntiabat. Causa magno adparatu agebatur, numerosa circum tribunal (§. 195.) adparitorum turba 6), in quibus scribæ, lictores, alii, frequenti plerumque curiosorum, faventium aut adversantium concursu 7). Locus judiciis publicis consuetus extraordinariis Forum (§. 275.) et Campus 8), ordinariis forum. Accusatus in iisdem proprie reus, reum agens accusator, actio accusatio dicebatur.

1) Cf. Suet. *Cæs.* 12, Cic. *in Vat.* 14. Beauf. v. 2. p. 97. — 2) V. Hein. 4, 18, 15. — 3) Cf. Beauf. p. 100. — 4) Cf. Cic. *p. Cluent.* 29. — 5) Cf. Cic. *Verr.* 1, 61, *p. Cluent.* 27. 29. 33. 54. — 6) Cf. Cic. *p, Cluent.* 53. — 7) Cf. Cic. *ad Q. Fratr.* 2, 3. — 8) Cf. Liv. 6, 20.

266. Judiciis privatis Romæ Prætor urbanus et pereginus (§. 190.), et ipsi judicum consilio, quamvis non in omni causa, utentes (§. 195.), in provinciis Rector publicis quoque præerat.

Inter causas privatas occurrunt furtum (diurnum, nocturnum, manifestum, oblatum, prohibitum, non exhibitum, etc.); rapina; injuria (verborum, corporis, famosi libelli); damnum; fraus, dolus; quo trahitur lex Aquilia de dolo malo 1), etc. Litem intentans proprie petitor, is, cui intentatur, *unde petitur* 2), ipsa actio petitio dicta. Magistratus vel de plano vel pro tribunali jus dicebat (§. 195.)

1) Cf. Cic. *de Off.* 3, 14, *de N. D.* 3, 30. — 2) Cf. Cic. *ad div.* 7, 11, *de Orat.* 1, 37.

DE JUDICIBUS.

267. Judices supremos Reges fuisse diximus §. 260. Hi aut soli judicabant, aut, ubi videretur, lectos ab ipsis viros vel in consilium adhibebant, vel causas iis, atque, ut crederes, privatas maxime mandabant: quos aut semper aut plerumque inter senatores lectos esse, res ipsa persuadet 1). Regum morem haud dubie secuti sunt regia auctoritate magistratus, Consules, et eorum loco postea judiciis privatis præpositi Prætores, et ipsi e senatoribus, certe e primariis dignitate viris judices in privatis, queis solis præerant, causis legentes 2), necdum, quantum intelligo, civium numero, inter quos legerentur, lege definito. Sub finem sæculi quinti ab U. C. Prætori additi inveniuntur assessores decemviri litibus (stlitibus) judicandis 3), iique non in omnibus causis, sed in gravioribus aut difficilioribus ma-

xime adhibiti, quales causæ cognitionis vocantur. Nec multo post, circa a U. C. 520, institutum est judicium centumvirale, non centum, sed centum quinque viris, ternis e qualibet tribu lectis, compositum 4), idque nullo, quod quidem sciamus, ordinis discrimine. In libera civitate privatum modo fuisse, non obscure arguit locus Ciceronis 5); sub Cæsaribus in publicis quoque versatum, vereor, ut recte ex aliquot locis collegerim 6). De privatis autem cf. Suet. *Vesp.* 10, et Plin. Ep. II, 14, VI, 33. Centumviri, post Augustum ad CLXXX 7), in quatuor consilia, unde judicium quadruplex 8), atque, ut Bachius 9) conjicit, jam ante Cæsares divisi; quæ, præsidentibus decemviris (§. 195.), modo singula, modo plura aut omnia, pro causæ gravitate a Prætore congregabantur 10). Judicium pro tribunali, hasta posita 11), sæpe, ut res ferebat, insigni et actorum studio et hominum frequentia, agebatur 12).

1) Cf Dionys. 2, 29, 4, 25.—2) Cf., quod IX. tabulæ (p. 254.) faciunt: *si judex arbiterve jure datus ob rem judicandam pecuniam acepsit, capital esto.* — 3) L. 2. §. 29. *de Or. Jur.: deinde quum esset necessarius magistratus, qui hastæ præessent, decemviri in litibus judicandis sunt constituti.* — 4) V. Fest. in *centumviralia judicia.* — 5) Cic. *de Orat.* 1, 38, *nam volitare in foro, hærere in jure ac Prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate ac jure certetur, jactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, ceterarumque rerum innumerabilium jura versentur, cum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis, an peregrinus, servus, an liber quispiam sit, ignoret* (-es?), *insignis est imprudentiæ* (al. *impudentiæ.*) —6) Cf. Plin. *Ep.* 1, 18, 5, 21, *Quint.* 12, 5, carmen *in Pisonem* v. 41, Stat. *Sylv.* 4, 4, 43. — 7) Plin. 6, 33. — 8) V. Plin. 1, 18, *Quint.* 12, 5. — 9) 2, 1, 29. — 10) Cf. Plin. 1, 18, 5, 21. — 11) Hinc ipsum judicium hasta, ut in *decem citat hasta virorum*, carmen *in Pis.* l. c., *hunc miratur adhuc centum gravis hasta virorum*, Mart. 7, 62, 7, *cessat centeni*

moderatrix judicis hasta, Stat. *Sylv.* 4, 4, 43. Cf. Val. Max. 7, 8, 4; Suet. *Aug.* 36. — 12) Cf. Plin. 6, 33.

268. Sed in causis levioribus, et, quales stricti juris 1) vocant, in queis de facto, non de jure, quia dubium non est, quærendum, nec decemviri, quantum video, præsidebant, et Prætor singulis dirimendis unum vel judicem e delectorum albo (§. 270), vel, unde causa bonæ fidei dicitur 2), arbitrum, vel recuperatores nominabat. Arbitri, nonnisi flagitantibus dati, majorem auctoritatem, quam judices habebant 3), quos certis terminis formula (§. 273.) Prætoris includebat 4). Inter judices et recuperatores obscura est causarum distinctio 5), nec una doctorum sententia 6); nisi quod satis adparet, recuperatores semper plures fuisse; unde nonnullis placuit, in hoc ipso discrimen versari.

1) V. Hein. 4, 6, 36. — 2) V. Hein. 4, 6, 39. — 3) Cf. Fest. in *arbiter*, *Cic. p. Rosc. com.* 4, Sen. *de Benef.* 3, 7. — 4) Cf. Sen. ib. — 5) Cf. Cic. *Verr.* 3, 11, Gell. 21, 1. — 6) Ever. Dupont (*Disquiss. in comment.* IV. *Instit. Gaji*, p. 118.) *Recuperatores dabantur, plures quidem — ubi statim statuendum erat, quantum præstandum esset, et eo sæpius, quod contra Prætoris edictum aliquid factum fuisset. Veri simile est, hos non desumtos fuisse inter judices in albo designatos, sed inter cives quoscunque*, etc. E conjectura hominis sagacis de quæstionis difficultate colligamus.

269. Ad publica autem judicia, dubium non videtur, quin primo tempore judices semper e senatoribus lecti sint. Post institutas quæstiones perpetuas utique sic obtinuisse cernimus, donec c. a. U. C. 630., C. Graccho legem perferente, infami pridem senatus iniquitate, judicia, (nempe, quantum intelligo, publica tantum,) ad Equestrem Ordinem translata sunt (§. 137.), eadem, non minori Equitum infamia, inter ordines divisa 1), ne plebejis quidem, opinor, prorsus exclusis. Exin e qualibet tribu quindecim

(an quinque?) lectos ferunt. Mox senatui soli judicia permisit Sylla Dictator; nec multo post inter tres ordines denuo divisa sunt lege Aurelia (a. 684.), qua Senatoribus et Equitibus accesserunt tribuni ærarii (§. 213.), post 2) a Cæsare Dictatore rejecti. Aureliæ, obscurum, quid (a. 699.) subrogaverit lex Pompeja, Pompeji M. 3). Ex illo tempore judices, et antea in decurias divisi, senatoria, equestri et plebeja distincti reperiuntur 4). Mutatam deinde a Cæsare et M. Antonio rationem restituit Augustus. Idem posterius quartam, Caligula quintam decuriam (§. 270.) adjecit 5), nonnisi in causis civilibus judicantes; publicorum judiciorum facies sub Imperatoribus penitus mutata.

1) Huc referendæ leges Serviliæ, altera Cœpionis, qua ex utroque ordine, altera, Glauciæ, qua ex Equitibus, lex Livia, Drusi, qua ex senatoribus, et Plotia (a. 665. Cf. Bach. l. 2. c. 2. §. 70.), qua ex utroque ordine judices legendi. V. Hein. 4, 18, 16. — 2) Teste Suet. *Cæs.* 41. — 3) V. Bach. l. 2. c. 2. §. 79 et 87. — 4) Cf. Cic *Verr.* 1. c. ult., *p. Cluent.* 37, *ad Att.* 1, 16, ad *Q. fratr.* 2, 6, Suet. *Claud.* 15. — 5) Cf. Suet. *Aug.* 32, *Calig.* 16.

270. Judicum delectus, ac, quod sane ratio non est cur negemus, in publicis juxta privatisque causis 1), ad Prætorem urbanum pertinuit, qui in singulos annos judicaturos, juratus, nonnisi optimum quemque se lecturum 2), in catalogum (judicum album) referebat, in decurias quoque dividens, et suos, ut videtur, cuilibet judicio sive quæstioni adsignans, inter quos Prætores quæstionibus præpositi ad singulas legitimum numerum sorte legebant, cum reo tum accusatori suspectos rejiciendi jure concesso 3); hinc sortiri judices; rejectio, subsortiri, subsortitio, etc. Lege Aurelia, nescio, an ad publica judicia eligendi jus Prætori ademtum; sed ordinandi et partiendi munus haud dubie relictum.

Inter judices memorantur selecti 4); quod equidem nomen, quamvis repugnante nonnihil et Senecæ et magis

Ciceronis loco, tamen ubique ad partem modo judicum spectare, non ad omnes in album relatos, crederem. Cur enim selecti sic dicantur ulli, quum omnes selectos, i. e. ex iis, qui legi inter judices possent, a Prætore lectos esse, nemo ignoraret? Sub Cæsaribus certe a cæteris diversos fuisse selectos judices, Plinius testatur 5), judicum, (scilicet, ut puto, eorum, qui non senatorii ordinis,) decurias aliam tribunorum æris, aliam selectorum, aliam judicum faciens; præter quos *etiamnunc nongentos* esse vocatos ait, *ex omnibus*, (sc. tribus, opinor, illis decuriis,) *selectos ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis* (§. 166.) Quæ, cæterum, ut pleraque eodem in capite de equestri ordine et judicibus narrata, mirum in modum obscura, manifesto tamen selectos ab aliis distinguunt. Ad publica judicia hos pertinuisse ex altero Ovidii loco, *nec mea selecto judice jussa fuga, Trist.* II, 132, colligimus; an a privatis sint excludendi, nobis interim non liquet.

In judicibus legendis quatenus ordinis habita ratio sit, e præcedentibus patuit; itemque plebejos ex amplissimo censu lectos esse. Minor fuit ducenariorum, quartæ decuriæ ab Augusto adjectæ (§. 269.), quorum censum ducenta sestertia fuisse, e nomine conjiciunt. Ætas primum definita in Equitibus, eaque a vicesimo quinto ad sexagesimum annum; sed Augustus a vicesimo adlegit 6). Judicis munus ut honorificum sic molestum, neque liberum fuit 7), variis tamen nominibus concessa vacatione 8).

1) Cf. Hein. 4, 17, 2, et 4, 18, 16. De Cæsarum ætate Gell. 14, 2. — 2) Cf. Cic. *p. Cluent.* 43, Hor. *Sat.* 1, 4, 122. — 3) Cf. Cic *Verr.* 1, 6, 61, Hein. 4, 18, 23. — 4) Ovid. *Amor.* 1, 10, 38, *Trist.* 2, 132, Sen. de *Benef.* 3, 7, Plin. 33, 2, Cic. *Verr.* 2, 13. Idem *p. Cluent.* 43, *Prætores urbani, qui jurati debent optimum quemque in selectos judices referre, nunquam, sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse oportere, duxerunt.* — 5) 33, 2. — 6) Suet. *Aug.* 32, ubi pro *tricesimo*

legunt *vicesimo.* — 7) Suet. *Aug.* 32, *vix concessit, ut singulis decuriis per vices annua vacatio esset.* — 8) Cf. Suet. *Claud.* 15, Plin. *Ep.* 10, 66, *Digg.* titulos *de Judiciis; de Vacat. et Excus. mun.; de Mun. et Hon.*

PROCEDENDI RATIO.

271. Initio patricii, utpote soli tum, et maxime Pontifices (§. 318.), juris scientiam habentes, ex Romuli instituto (§. 140.) clientes suos in causis consilio juvabant, legesque interpretabantur (de jure respondere), necessaria tum, excepto populo, servo et pupillo, litigantium præsentia, nulloque alterius causam agente (v. Hein IV, 10, 2. Cf. Dupont. *Disquiss.* p. 210.) Iidem igitur primi ritus sive actus formulasque in jure agendi legitima 1) constituerunt, *legis actionum* 2) nomine comprehensa 3), quæ ad alios quoque actus solennes, voluntariæ, ut Dupont loquitur (*Disquiss* p. 10), jurisdictionis, velut ad in jure cessionem (§. 99.), vindictam, emancipationem, adoptionem, tutelamque cessitiam (§. 112.), translata sunt; in judiciis autem partim ad initium litis, *in jus vocationem*, partim ad *actionem* a Prætore petendam, resque a petitore (§. 266.) vel adversario, aut ab utroque præstandas, partim denique ad rei sive causæ cognitionem, judiciumque a Prætore constituendum referuntur. Cæterum, alia ex actibus illis formulisque singulis litibus propria esse, alia ad plura aut omnia etiam genera pertinere, res ipsa vetat, ne dubitemus. Ad diversitatem vero in procedendo, et maxime in lite intentanda, trahendæ, quas Cajus distinguit, quinque legis actiones, dicens (4, 12.): *Lege autem agebatur modis quinque: sacramento; per judicis postulationem; per condictionem; per manus injectionem; per pignoris capionem* 4).

1) Cf. Mackeld. §. 33. — 2) Cajus 4, 11, sic adpellatas ait, vel *quod*

legibus, quo tempore nondum in usu edicta Prætorum, *proditæ*, vel *quia ipsarum legum verbis accommodatæ erant, et ideo immutabiles proinde atque leges observabantur.* — 3) *Actionis* vocabuli multiplex apud jureconsultos usus. Hic cavendum, ne actio lege aliqua concessa sive prodita, quo sensu dicimus *actionem* a Prætore *petere*, *postulare*, cum modo in jure agendi lege præscripto confundatur; quo sensu legis actiones (Cf. Gell. 16, 10.) non latino vocabulo *procedura* respondent. Ad legis actiones illustrandas multum contulerunt repertæ nostra ætate, multisque hujus libri locis laudatæ Caji *Institutiones;* quo auctore rem, nunc quoque magna ex parte obscuram, commentatione doctissima (v. §. 269.) persequens Dupont, (p. 6.) *Legis*, inquit, *actiones sunt formæ solennes agendi in jure, legibus Romanorum antiquissimis proditæ, certisque verbis celebrandæ coram magistratu ab iis, qui ex lege aliqua jus suum persequuntur. — In legis actionibus non solum continentur, uti vulgo existimant interpretes, verborum conceptiones, quibus actio exprimitur, sed ipsi actus solennes, diversi litis processus, per quos agitur ad judicium seu instituendum seu exequendum auctoritate Prætoris, apud quem erat et jurisdictio et imperium* (v. §. 183.) — *Legis actiones non spectant ea, quæ in judicio, sed ea, quæ in jure ad litem cognoscendam coram Prætore celebrantur.* — 4) V. Dupont. p. 14. sqq.

271.[a] Sacramentum a præstatione sive certa pecunia dicitur, quæ, ab litigantibus deponenda, sacramentum, ut ærario, sacrorum in sumtus, sacra 1) vocabatur; litem enim perdentis præstatio ærario inferebatur; vincens suam recipiebat 2). Sacramento ne ageretur, quibusdam modo in rebus cautum 3), cæterum et in rem et in personam agebatur. Eadem actio, monente Dupont, a ratione per sponsionem, illius in locum inducta, et alias, et eo differt, quod in sponsione nec certa summa est, et victi summa vincenti in lucrum, non ærario cedit. Utrique autem actioni communis finis, ne temere litigetur. Ad sacramenti in rem actionem pertinet ritus litis vindiciarum, memorabilis inprimis e legis actionibus pars 4), ad quem voces (v. p. 280). ex jure manum v. manu consertum 5), et vindicatio referuntur, quas idem significare ait Dupont (p. 17.)

1) V. Varro *de L. L.* l. 4. p. 42. Cf. Cic. *de Rep.* 2, 35. — 2) Summa

sacramenti in rebus non infra M æris D, in minoribus L asses (Caj. 4, 14.), eadem Caji ætate in judicio centumvirali CXXV numorum (Caj. 4, 95.) — 3) Caj. 4, 13. — 4) Hanc explicans Cajus (4, 16.), *Si in rem*, inquit, *agebatur, mobilia* quidem et moventia, quæ modo in jus adferri adducive possent, in jure vindicabantur ad hunc modum : qui vindicabat, festucam tenebat; deinde ipsam rem apprehendebat, velut hominem, et ita dicebat : HUNC EGO HOMINEM EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO SECUNDUM SUAM CAUSAM, SICUT DIXI, ECCE TIBI VINDICTAM INPOSUI; et simul homini festucam inponebat. Adversarius eadem similiter dicebat et faciebat. Cum uterque vindicasset, Prætor dicebat : MITTITE AMBO HOMINEM; illi mittebant; qui prior vindicaverat, *ita alterum* interrogabat : POSTULO, ANNE DICAS QUA EX CAUSA VINDICAVERIS; ille respondebat...... SICUT VINDICTAM INPOSUI; deinde, qui prior vindicaverat, dicebat : QUANDO TU INJURIA VINDICAVISTI, D ÆRIS SACRAMENTO TE PROVOCO; adversarius quoque dicebat SIMILITER EGO TE; *seu* L asses sacramenti nominabant. Deinde sequebantur quæcunque *si* in personam ageretur. Postea Prætor secundum alterum eorum vindicias dicebat, id est, interim aliquem possessorem constituebat, eumque jubebat prædes adversario dare litis et vindiciarum, id est, rei et fructuum : alios autem prædes ipse Prætor ab utroque accipiebat sacramenti, quod id in publicum cedebat. Festuca autem utebantur quasi hastæ loco, signo quodam justi dominii; maxime *enim* sua esse credebant, quæ ex hostibus cepissent. Unde in centumviralibus judiciis hasta præponitur. — 17. Si qua res talis erat ut *non* sine incommodo posset in jus adferri vel adduci, velut si columna, aut grex alicujus pecoris esset, pars aliqua inde sumebatur : deinde in eam partem, quasi in totam rem præsentem, fiebat vindicatio. Itaque ex grege vel una ovis aut capra in jus adducebatur, vel etiam pilus inde sumebatur et in jus adferebatur; ex nave vero et columna aliqua pars defringebatur. Similiter si de fundo vel de ædibus, sive de hereditate controversia erat, pars aliqua inde sumebatur et in jus adferebatur, et in eam partem perinde atque in totam rem præsentem fiebat vindicatio : velut ex fundo gleba sumebatur, et ex ædibus tegula, et si de hereditate controversia erat, æque...... — 5) V. Gell. 20, 10, Cic. *de Or.* 1, 10, *p. Mur.* 14.

271.*b*. Judicis postulatio, quam solam vix esse usurpatam existimat 1) Dupont, aliis, in iisque sacramenti actioni accedebat; quatenus post mutuam litigantium *æris sacramento* stipulationem judex postulabatur; quin semper ita fieri necesse, quippe ipso Prætore interdum, et alias, ut crederes, et quum reus confiteretur, rem dirimente;

neque ob aliam causam judicis postulationem, quamvis separatim de illa egisse non videatur 2), a Cajo inter legis actiones nominatam esse suspicatur Dupont, quam, quod interdum sine illa peragi potuerint.

Condictione, quæ est actio in personam 3), *actor adversario denuntiabat, ut ad judicem capiendum die XXX adesset* 4). Sic Cajus, 4, 18, qui, hanc legis actionem legibus Silia et Calpurnia, Silia quidem certæ pecuniæ, Calpurnia autem de omni re certa, constitutam esse, monet, valde autem, *quare desiderata sit, quæri, quum de eo, quod nobis dari oportet, potuerimus sacramento aut per judicis postulationem agere.* Nos, quo manifestius condictio ab illis actionibus differt, eo minus, cur supervacua videri potuerit, intelligimus. Nam, ut cætera, de quibus acute conjicit Dupont, mittamus, vel ideo, quod sacramenti pœnam illa non continebat, condictione agentis meliorem conditionem fuisse crederes.

1) Vide, an contra suadeat, quod Cajus, 4, 20, dicens *sacramento aut per judicis postulationem agere*, hanc solam quoque esse usurpatam, confirmare videtur. — 2) Lacuna enim codicis, ne res pro certo adfirmetur, vetat. — 3) V. Dup. p. 26. — 4) Addit Cajus, sua ætate non proprie condictionem dici actionem in personam, qua *intendimus, dari nobis oportere;* nullam enim eo nomine denuntiationem fieri.

271.c. Per manus injectionem 1) Cajus, 4, 21, de his rebus, ait, agi, *de quibus, ut ita ageretur,* lege cautum sit, *velut judicati lege XII tabularum;* formulam autem agentis fuisse: *quod tu mihi judicatus sive damnatus es sestertium X millia, quæ dolo malo non solvisti, ob eam rem ego tibi sestertium X millia judicati manus injicio;* hæc dicentem simul aliquam adversarii corporis partem prendisse, nec licuisse *judicato manum sibi depellere et pro se lege agere;* sed vindicem dedisse, *qui*

pro se causam agere sit solitus; qui vindicem non dederit, domum ab auctore ductum vinctumque esse. Addit Cajus, postea complures alias leges *ex aliis quibusdum causis pro judicato* manus injectionem *in quosdam* dedisse, in iisque legem Publiliam in eum, qui depensum sponsori sex mensibus proximis non solvisset, et legem Furiam in eum, *qui a sponsore plus quam virilem partem* exegisset. Idem, 4, 23, *quasdam actiones per manus injectionem, sed puram, i. e., non pro judicato* legibus constitutas memorat 2), *ex quibus*, ait, *legibus cum agebatur, manum sibi depellere et pro se agere licuisse.*

Pignoris capionem 3) Cajus, 4, 26, in quibusdam rebus lege, in aliis *moribus rei militaris* introductam esse tradit; nam propter æs militare (§. 213.) sive stipendium licuisse militi ab eo, qui tribuebat (sic legunt), nisi daret, pignus capere, idemque licuisse propter *æs equestre* sive pecuniam, qua equus emendus, propterque *æs hordiarium*, ex quo hordeum equis comparandum. Ad pignoris autem capionem lege inductam Cajus, 4, 28, præter lege... (*Plætoria* an legendum, quærit Majus) constitutam adversus eos, *qui aliqua lege vectigalia deberent*, e XII tabulis (p.255.) actionem refert adversus eum, *qui hostiam emisset, nec pretium redderet*, item adversus eum, *qui mercedem non redderet pro eo jumento, quod quis ideo locasset, ut inde pecuniam acceptam in dapem, i. e., in sacrificium impenderet.* Cæterum, quod pignoris capio extra jus, non apud Prætorem, plerumque etiam absente adversario, ac, si capienti placeret, nefesto quoque die peragebatur, quæ cuncta cæterarum consuetudini aliena, hinc, Cajus, 4, 29, monet, ab nonnullis illam a legis actionibus separari, a plerisque tamen, in iis ideo ponendam existimari; quoniam ex omnibus, quibus competit, causis certis verbis pignus capiebatur 4).

1) V. Dup. p. 27. sqq. — 2) In his testamentariam (Furiam) *adversus eum, qui legatorum nomine, mortisve causa plus M* (sic emendant) *assibus cepisset*, et Marciam *adversus fœneratores, ut, si usuras exegissent, de his reddendis per manus injectionem cum eis ageretur.* — 3) V. Dup. p. 34. sqq. — 4) E Cajo desumtis addimus Dupontii (p. 35.) sententiam, per pignoris capionem res non ita esse apprehensas, ut statim venderentur, sed ut pignori haberentur, donec Prætor, juste, nec ne actum esset, statuisset; comprobata autem a Prætore pignoris capione, si non lueret debitor, institutis ad pignoris cujusque distractionem formulis observatis, jussu magistratus pignus publice venumdatum. Cf. Paul. *Recept. Sent* 2, 5, 1.

271.*d*. In jure agendi, quam huc usque attigimus, ratio, partim, ut vero simile, constituta primum lege XII tabularum, partim e priore ævo in has recepta, aliis quoque exinde legibus aucta cernitur. Sed ab hac ratione, quas proprie vocamus, *legis actiones* comprehendente, distinguendæ sunt posteriore ætate a Prætoribus inductæ, legitimis per fictionem, unde fictitias vocat Dupont 1), assimilatæ 2); quas ab illis separans Cajus, 1, 10, ad legis actionem expressas, nec sua vi ac potestate, ut legitimæ scilicet, constantes definivit 3). Prætores enim, idque (§. 193.) juris corrigendi, non, cujus criminis immeriti apud recentiores arguuntur, corrumpendi animo 4), nova edictis suis immiscebant, ita tamen, quam iis populus esse voluerat, potestate utentes, ut, quum a jure, legibus constituto, abirent, speciem utique servatæ antiquitatis relinquerent; atque hoc, plurimis in ipso jure romano exemplis notum, iis etiam confirmatur, quæ de fictitiis actionibus in Caji commentario supersunt; nam pars eorum, quæ, non admodum multa, de hoc argumento dixerat, in codice legi non potuit. Sic adeo in ratione quoque jure agendi facientes, Prætores aut nova, sed legis iisdem de rebus actionibus adsimilata, inducebant, aut actiones nulla mutatione ad alias res, quam, quibus proditæ erant, trahebant, aut personarum statum,

ut legis actio, salva antiquitate, usurpari videretur, velut peregrinum in civem 5), non heredem in heredem 6), capite deminutum in non deminutum fingendo mutabant; et quæ sunt ejusmodi plurima. Quemadmodum vero actio, sive agendi jus aut potestas, ab actione legis, sive modo ex lege agendi, differt, sic in fictitiis Prætorum actionibus alia ad agendi rationem, alia, velut, quum actio lege constituta ad eum, cui eadem lege non competeret, fictione extenditur, ad juris ipsius immutationem sunt referenda 7).

1) Dup. p. 51: *Fictitiæ actiones sunt ipsæ legis actiones, quas extendens Prætor exprimebat formula fictitia ad casus novos et contrarios eorum, ex quibus directe competebant.* Cf. Ulp. *Fragmm.* 28, 12, *hi, quibus ex successorio edicto bonorum possessio datur, — seu ipsi agant, seu cum his agatur, fictitiis actionibus opus est*, in quibus heredes esse *finguntur*. Ubi v. not. Schulting. — 2) V. Caj. 4, 32. sqq. — 3) V. Dup. p. 2. sqq. — 4) Cf. Dup. p. 52. — 5) V. Caj. 4, 37. — 6) Ib. 34. — 7) Cf. Dup. p. 56.

271.e. Legis actiones paulatim in odium, nimia scilicet subtilitate, nimioque in actibus verbisque exprimendis rigore, venisse, ideoque per legem Æbutiam et duas Julias sublatas esse, diserte testatur Cajus, 4, 30, addens *effectumque est, ut per concepta verba, id est, per formulas, litigaremus*; e duabus tamen causis etiam permissum esse *lege agere, damni infecti, et si centumvirale judicium.* Quo loco explicitum a Cajo velles, quid legis actionibus Æbutia, quid, longo post tempore, duabus Juliis legibus abrogatum, et quas formulas illa, quas Juliæ leges constituerint, quasve prius fortasse jam usurpatas observari voluerint 1).

De lege autem Æbutia, quæ, quamvis vulgo ad a. DXX. relata, etiamnunc incertæ ætatis, ante repertas Caji *Institutiones* unus veterum locus exstabat Gellii 2); qui, ut summa ejus sententiæ pateat, cum Caji testimonio jun-

gendus; sed idem per se talis, ut mirum non sit, interpretes varias in conjecturas gravesque errores incidisse 3). Nunc hoc saltem Cajo debemus, ne, quin illa lege vetustissima in jure agendi ratio, legis actiones, cum illa, quam diximus, exceptione, abrogatæ sint, amplius dubitemus.

1) Hac difficultate ita se expedivit Dupont (p. 48.), ut veritati propius dixerit, *legem Æbutiam abrogasse legis actiones, et quædam de formulis statuisse;* leges vero Julias *rationem agendi in judicio per formulas,* quas tamen ipse (p. 50 et 64.) Juliis inductas facit, *accuratius tantum ordinasse.* — 2) Gell. 16, 10, *quum proletarii, et assidui, et sanates, et vades, et subvades, et viginti quinque asses, et taliones, furtorumque quæstio cum lance et licio* (v. p. 252.) *evanuerint, omnisque illa XII tabularum antiquitas, nisi in legis actionibus centumviralium causarum, lege Æbutia lata consopita sit,* etc.—3) Cf. Bach. *Hist. Jurispr. Rom.* l. 2. c. 2. §. 29, Dup. p. 49.

271. *f*. Legis actiones post legem Æbutiam duabus tantum in causis *permissas* esse apud Cajum vidimus, qui, 4, 31, de damno infecto, monet, neminem velle *lege agere, sed potius stipulatione, quæ in edicto proposita est, adversarium obligare.* Cæterum, in utrisque causis non permissas modo, sed jussas esse, Cajum voluisse intelligi, tum alias probabile, tum certum diceres, comparato loco, 4, 95, unde, in centumviralibus judiciis nonnisi per legis actiones actum esse, colligitur; neque aliter, certe quoad illa judicia, rem interpretatus Dupont 1), hoc etiam addens, post formulas legibus Juliis introductas, quia res graviores tum apud centumviros (§.267.), teste Cicerone 2), actæ, frequentissime in causis centumviralibus legis actiones exerceri debuisse. In his adeo servatam, et Caji etiam ætate obtinentem, consentaneum est credere, una cum centumvirali judicio penitus evanuisse vetustissimam illam jure agendi rationem; quod priusne, an eodem tempore, quo formulæ quoque sub Constantino M. abolitæ, acciderit, hic intactum relinquimus, hoc etiam monentes, legis actiones,

ut in causis centumviralibus, sic inter voluntariæ quoque jurisdictionis, quos supra diximus, solennes actus (§. 271.) sub Cæsaribus diuque esse retentas 3).

1) P. 50 et 51. — 2) *De Orat.* 1, 38. — 3) V. Dup. p. 51.

271.*g*. Legis actiones a juris prudentibus tum introductas diximus, quum soli patricii hanc scientiam habuere. Ad hos adeo plebejis apud magistratus jure acturis, atque eo magis recurrendum erat, quo valdius metuendum, ne quid contra præscriptas formulas actusque facerent; quorum, teste Cajo, 4, 30, is fuit observationis rigor, ut ***vel qui minimum errasset, litem perderet*** 1).

Huc altera, cur patriciorum opera litigantes carere non possent, causa accedebat. Nota enim res est, multiplicem apud Romanos obtinuisse dierum, quæ fastis (§. 334 et 359.) continetur, distinctionem; unde hic notandum, quod aliis, fastis, licebat, aliis, nefastis, non licebat jus dicere. Hæc igitur dierum ratio a Pontificibus, qui fastos et condebant et custodiebant, petenda; cumque illorum atque omnino patriciorum, cujus ipsi quoque, ordinis interesset plebejos a fastorum cognitione arcere 2), tantum his consulentibus, quantum ad singulas res necesse, patricios contra nihil celantes, prodebant, religione 3), ut maxime conjiceres, cujus tum summa Romanis reverentia, vel ipsos Tribunos, quominus damnosæ plebis ignorantiæ mederi auderent, impediente: quod si parum credibile, aut patriciorum adeo hic fraudem nullam fuisse putemus, non ideo minus, ignorantiam istam, et a patriciis plebejos litigantes diem petere 4) consuevisse, ex iis, quæ de fastis legisque actionibus publicatis veteres tradidere, constabit.

1) Velut, ut idem 4, 11, qui *de vitibus succisis ita egisset, ut in actione vites nominaret, responsum fuit, rem perdidisse, quia debuisset arbores nominare, eo, quod lex XII tabularum, ex qua de vitibus suc-*

cisis actio competeret, generaliter de arboribus succisis loqueretur. — 2) Cf. Liv. 4, 3, *non ad fastos, non ad commentarios Pontificum admittimur.* — 3) Cf., non gravem hic, fateor, testem, Val. Max., 2, 5, 2, *jus civile, per multa sæcula inter sacra cæremoniasque deorum immortalium abditum solisque pontificibus notum, Cn. Flavius — vulgavit.* — 4) Cf. Plin. 33, 1, Cic. *p. Mur.* 11. (v. p. 275.)

271.*h.* De diuturna enim tanquam juris possessione patricios (c. a. 450.) depulisse, iis auctoribus, queis fidem negare difficile, fertur vir non parva in annalibus, quamvis non omnibus partibus consentiente, fama 1). Is fuit Cn. Flavius: quem *fastos populo proposuisse, et ab ipsis cautis jurisconsultis eorum scientiam compilasse,* Cicero in oratione pro Murena 2), *actiones exposuisse*, idem in libro de oratore 3), *fastos protulisse, actionesque composuisse,* idem in epistola ad Atticum 4), Livius autem (9, 46,), *civile jus repositum in penetralibus pontificum evulgasse, fastosque circa* 5) *forum in albo proposuisse, ut, quando lege agi posset, sciretur,* testatus est. Ad quæ novum, ex suis tamen, opinor, auctoribus, addens Pomponius 6), *Appius Claudius,* ait, *quum composuisset* (alia lectio *prop.*), *et ad formam redegisset legis actiones,* Cn. Flavium, scribam ejus 7), subreptum librum, quin de suo quidquam adjecerit, populo tradidisse; hunc librum adpellari jus civile Flavianum. Cum Pomponio eatenus consentit Plinius (33, 1.), quod Flavium Appii Cæci scribam facit; cæterum, nec legis actionum meminit, et dies fastos, de quibus nil Pomponius, quos ipsius Appii hortatu excepisset, a Flavio publicatos refert. Sed, in variante de nonnullis fama, in hoc cum cæteris omnibus Gellium quoque congruentem cernimus, Flavium libertino patre natum, et, quum primum scriba magistratibus adparuisset, ad curulem Ædilitatem usque pervenisse; unde, si nemo veterum adfirmaret, tamen jure colligere-

mus, virum, ut patriciis invisum, sic plebi gratum esse debuisse 8); neque vero alia, cur fuerit, causa adfertur, quam quod fastis propositis evulgatisque actionibus de plebejis egregie sit meritus; ita tamen, ut alii, hanc rem tangentes, fastos tantum aut actiones, alii utrumque 9) memoraverint. 10).

1) Cf. Liv. 9, 46, Plin. 33, 1. — 2) Cic. *p. Mur.* 11, *Posset agi lege, necne, pauci quondam sciebant; fastos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui consulebantur; a quibus etiam dies, tanquam a Chaldæis, petebantur. Inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, et ab ipsis cautis jurisconsultis eorum scientiam compilarit. Itaque irati illi, quod sunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent.* — 3) Cic. *de Orat.* 1, 41, — *quia veteres illi, qui huic scientiæ præfuerunt, obtinendæ atque augendæ potentiæ suæ causa, pervulgari artem suam noluerunt. Deinde, posteaquam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus*, etc. — 4) Cic. *ad Att.* 6, 1, de Cn. *Flavio*, *ille vero ante Decemviros non fuit: quippe qui Ædilis curulis fuerit, qui magistratus multis annis post Decemviros institutus est. Quid ergo profecit, quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse; ne me hoc — commentum putes.* Id. ibid. *Nam illud de Flavio et fastis si secus est, commune erratum est; et tu belle ἠπόρησας, et nos publicam prope opinionem secuti sumus.* — 5) Hinc pendere diceres Val. Max., 2, 5, 2, *fastos pæne toto foro exposuit.* — 6) 2, 7, *Digg.* 1, 2. — 7) Livius, Ædilibus Flavium scribam adparuisse; nec aliter Gellius. — 8) Ad rem, licet vero quid adfictum putes, tamen facit locus Plinii, 33, 1, qui, de annulis agens, *additum*, ait, *Flavio*, (Ædili Curuli plebis gratia ob fastos publicatos creato,) *ut simul et Tribunus Plebis esset; quo facto tanta senatus indignatione exarsit, ut, annulos ab eo abjectos fuisse, in antiquissimis reperiatur annalibus.* Cf. Val. Max. 9, 3, 3, *quod Cn. Flavius Præturam adeptus erat, annulos aureos sibimetipsis, et phaleras equis suis detractas abjecerunt.* — 9) Hugo, p. 338. ed. 8, monet, Pomponium nil de fastis, alios, qui non sint jurisconsulti, nil de actionibus loqui, oblitus, opinor, Livium, 9, 46, et Valerium Maximum, 2, 5, 2, *jus civile* simul et *fastos* vulgata, retulisse; nisi, aut jus civile hic aliud, quam

actiones esse, aut illos scriptores jurisconsultos fuisse velit. — 10) Hæc adeo cuncta reputans, non temere quis miretur, de ipso facto hominem, antiquitatis romanæ, ut constat, peritissimum, Pomponium Atticum, ita dubitasse, ut, de Flavio et fastis a Cicerone dissentiens, tamen ab hoc *belle dubitasse* dicatur (v. supra, n. 4., loc. Cic *ad Att.* 6, 1.); qui, quum Atticus non vidisset, cur fastos Flavius protulerit, ipse, jam non ut de re certa loquens, *putant*, ait, *occultatam quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis;* se autem, in re non paucis auctoribus tradita, *publicam prope opinionem* esse secutum, atque adeo, *de Flavio et fastis, si secus* sit, commune hoc esse erratum. Quid hinc, nisi venia utique dignos videri recentiores cum Attico, cumque ipso Cicerone dubitantes? Inter quos Hugonem (pag. 330. ed. 8.) et Dirksenium (*Versuche* pag. 213.) hic præ aliis nominandos ducimus. Quanquam nos quidem, si prorsus dubitandum, non tam de fastis vulgatis, quam *de jure civili* dubitaremus, quod, a patriciis callide per sæcula occultatum, Flavius demum publicarit; de qua re loquentes veteres, etsi, quantum intelligo, omnes idem volentes, tamen alii *jus civile*, Cicero autem *actiones* compositas, vel, ut altero loco ait, *expositas*, unus denique Pomponius *legis actiones* evulgatas dixit. Igitur, ut certius aliquid, de arcana patriciorum scientia artibusque per Flavium elusis, statuere daretur, scire nos, illud *jus civile*, illæ *actiones*, illæ *legis actiones*, quænam pars juris fuerint, oporteret; velut, ne alia distinguamus, fuerinte actiones, quæ XII tabulis aliisque legibus proditæ, an, quod magis ad Pomponii verba, illæ, quas proprie diximus, legis actiones, in jure scilicet agendi ratio; anne vero utrumque complexum sit jus illud Flavianum? Atqui nos, ut, præter fastos, librum de quadam juris parte sive compositum a Flavio, sive vulgatum esse, maxime credamus, tamen nec, cur Pomponio hic plus, quam aliis tribuamus, causam videmus, atque omnino, quid ille liber continuerit, adeo vaga obscuraque ratione a veteribus expressum habemus, ut ridiculum non sit, quibusdam in mentem venisse, uno illo, quod a Flavio vulgatum constaret, et fastos et actiones conjuncta fuisse, sicque accidisse, ut alii fastos, alii actiones, alii utrumque memoraverint. Huc trahendi Hugo et Mackeldey, quorum ille (pag. 332. ed. 8.), duo narrari de Flavio, ait, quæ fortasse idem, et (pag. 336.), de jure Flaviano, si ab ordine dierum festorum fuerit diversum, vix aliud, inquit, esse posse, quam collectionem formularum vel ad legis actiones, vel omnino ad negotia juris (*Rechtsgeschæfte*); quo sensu pariter usurpari vocabulum *actionis;* Mackeldeyus autem (§. 33.), Appium Claudium, satis habet dicere, formularia et dies fastos (*Gerichtstage*) in ordinem, in systema, redegisse, huncque librum a Flavio esse publicatum.

271.*i.* Vulgatis a Flavio fastis, et compilata, ut ipse

loquitur, eorum scientia, Cicero, iratos, ait, jureconsultos, quod sint veriti, ne, dierum ratione pervulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi, *notas quasdam* composuisse, ut omnibus in rebus ipsi interessent 1). Quæ equidem verba vix omni ex parte sana crederem, nisi manifestum esset, oratorem hic, jocantem nempe, et, quo ipse postea se excusavit 2), *coronæ aliquid dantem,* in re incerta varieque tradita, neque, ut nil nisi verum, neque, ut satis explicita diceret, laborasse 3). Idem igitur locus, quo res et verba sunt obscuriora, eo impensius interpretes in diversas sententias trahendo vexavit 4): e quibus Bachio 5) *notæ* illæ sunt *novæ quædam formulæ,* queis Patres juris possessionem recuperare voluissent; quas formulas ad alia genera pertinuisse, quam, de quibus jus Flavianum esset compositum, e Pomponii verbis, *quia deerant quædam genera agendi,* esse colligendum; Mackeldeyo (§. 33.) eædem sunt additamenta et observationes, (*Zusætze und Bemerkungen zu den ælteren Formeln*); Hugo autem (p. 336.) de re ita loquitur, ut intelligas, eum *notas* Ciceronis pro formulis intellectu difficillimis (*unvertsændliche Formeln*) accepisse. Cæterum, et Bachius, egregie falli, qui *notas* explicent formulas notis, h. e. siglis, perscriptas, et Hugo (p. 338.), contextum orationis repugnare, quo minus Cujacio, *notas* hic esse propria scripturæ signa, quæ in juris negotiis tractandis usurpata sint, credamus. Ab his aliisque auctoribus, queis *notæ* illæ vel novæ formulæ sint, sed siglis non expressæ, vel priscæ formulæ siglis expressæ, discedens Dupont 6), ipse, *notæ,* ait, *sunt novæ formulæ legis actionum, subtilissimæ quidem per siglas* (§. 235.) *expressæ, ita, ut pro singulis verbis litteræ singulæ ponantur* 7).

1) V. 271. h. loc. Cic. *p. Mur.* 11. — 2) Cic. *de Fin.* 27, *Apud im-*

peritos tunc illa dicta sunt: aliquid etiam coronæ datum. — 3) Cf. Hugo. p. 330. §. 181. — 4) V. Ernesti *Clav. Cicer.* in *nota*, Dupont. p. 42. — 5) *Hist. Jurispr. Rom.* 2, 2., 5. — 6) P. 42. sqq. — 7) Ubi, ut controversiam de siglis mittamus, alia multa rem propius intuenti, in iisque hæc quærenda occurrunt, novæ illæ formulæ sintne vere ad jus Flavianum, aut iisdem in actionibus, aut ob nova agendi genera, ob novas actiones inductas, additamenta, anne, tantum valentibus tum quoque in plebem patriciis, tota illa prisca in jure procedendi ratione suppressa, solæ aliquamdiu viguerint? tum vero, an in *notis* illis arcanis demum, aut potissimum certe in iis, fraus illa artesque patriciis vulgo exprobratæ versentur: quam in sententiam pronum diceres Dupontum (p. 44.), adfirmantem, *alias post Flavium fuisse legis actionum formulas, indeque, notis nondum compositis, patriciorum mysteria, circa legis actiones, præcipue fuisse in cognitione arcana dierum fastorum ac nefastorum, quibus publicatis demum*, ait, *inventæ sunt ab illis notæ*, ut potestatem *recuperarent*. Quanquam cum his pugnare videtur, quod idem Dupont (p. 40.): quoties lege agendum, confugiendum fuisse ad patricios, *ut quærerentur formularum subtilissimarum conceptio, et dierum fastorum nefastorumque cognitio*, quæ manifesto ad tempora jure Flaviano priora referuntur. Sed enim quærendi, ut fere in rebus, ubi certum scire nequeas, nullus finis.

271.*k.* Utcunque se res habeat, illud certum, fabulæ simillimum esse eorum opinionem, qui, ut Bachius (2, 2, 25.), novas illas formulas ab Ælio Sexto, nobili illius ævi jureconsulto, demum (c. a. 550.) publicatas finxere 1); de quo Pomponius, *augescente civitate, quia deerant quædam genera agendi*, alias actiones, non multo post vulgatum jus Flavianum, composuisse, librumque populo dedisse, qui jus Ælianum adpelletur. Enimvero nec alia est ulla hic e veteribus auctoritas, nec Pomponii verba ad nova illa patriciorum mysteria ullo modo referenda: quæ si non conficta, tamen incredibile videri debet, post Ti. Coruncanium quoque talia etiam plebejos potuisse celari; quem Coruncanium primum de plebe Pontificem circa a. D creatum esse 2), constat; Romæ autem jus publice professum Pomponius 3) testatur 4). Ipsum autem

jus Ælianum quid sit complexum, unus veterum est Pomponius, unde discamus, ita tamen, ut nec sciamus, utrum additamentum modo juris Flaviani fuerit, an omnes actiones, nec vero, in actionibus utrum agendi tantum rationem, an cætera etiam continuerit, nec denique, utrum liber ille, quod plerisque, non tamen probante Bachio (2, 2, 5.), in iisque Hugoni (§. 153.) et Mühlenbruchio vero simile visum, utrum inquam, idem, an diversum ab Ælii, quæ Pomponius (§. 38.) memorat, *tripertitis* fuerit, queis tria, unde nomen, Ælius, præter XII tabulas scilicet interpretationem, et legis actiones sit complexus 5).

In legis actionibus multa fuisse, quæ mutata jam, cui congruebant, morum vitæque, sylvestri etiam propioris, simplicitate, tanquam ad res agendas inutilia, aut captiosa etiam, astutiæque potentium suspecta, incusari et derideri possent, ne tum quidem esset, cur valde miraremur, si patricios jureconsultos tam æquos in plebem sapientesque fuisse constaret, quam vulgo iniquos et doli fraudisque plenos habitos esse accipimus. Qua in re sane judicantes monendi non sunt, ne celebratis illis ex oratione pro Murena locis 6), ut alios hic mittamus, nimium tribuant auctoritatis; quum manifestum sit, longe aliud hic Ciceronem voluisse, quam de re, in qua jocatur, quid vere sentiret, declarare (v. p. 277.) Nec enim, ubi veritas proposita est, ejusdem hominis dixeris jurisconsultorum scientiæ partem facetiis illudere, et XII tabularum libellum, illius quoque partis, ut omnis juris romani, fontem; super bibliothecas omnium philosophorum, quod idem Cicero 7) facit, extollere. Cæterum ipsas facetias notis, ut legis actionum causa memorabiles, inseruimus; in quibus ut aliquanto longiores essemus, et rei obscuritas, et ipsa, post repertas Caji *Institutiones*, quodammodo novitas suaserunt. Ad formulas,

quas legis actionibus, excepto judicio centumvirali, et causa damni infecti, substitutas diximus, jam transimus, in his ac deinceps solitam brevitatem servaturi.

1) Quibus hoc etiam cavendum, ne legem Æbutiam, legis actiones in rarioribus tantum judiciis servantem, ad a. 520. referant, sicque *notas* illas arcanas eo demum tempore vulgatas velint, quo eas noscere plebis haud multum interfuisse, jure existimemus. — 2) V. Liv. epit. l. 18. — 3) Fr. 22. §. 35. *Digg. de Orig. jur.* — 4) V. Dup. p. 44. — 5) Cf. Hugo p. 326. — 6) Ex his alterum dedimus §. 271. h.; alterius (*p. Mur.* 12.) hæ sunt mistæ facetiis formulæ: *cum hoc fieri bellissime posset: et fundus Sabinus meus est: imo meus: deinde judicium: noluerunt.* FUNDUS, *inquit*, QUI EST IN AGRO QUI SABINUS VOCATUR. *Satis verbose. Cedo, quid postea?* EUM EGO EX JURE QUIRITIUM MEUM ESSE AJO. *Quid tum?* INDE EGO TE (v. p. 271. a.) EX JURE MANU CONSERTUM VOCO. — UNDE TU ME, inquit, EX JURE MANU CONSERTUM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO.— *Iisdem ineptiis fucata sunt illa omnia*, QUANDO EGO TE IN JURE CONSPICIO. *Et hæc*, SED ANNE TU DICIS, QUI CAUSA VINDICAVERIS. *Quæ dum erant occulta, necessario ab eis, qui ea tenebant, petebantur: postea vero pervulgata, atque in manibus jactata et excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem et stultitiæ plena.* — 7) *De Orat.* 1, 44. V. p. 242.

271.*l.* Formulas Cajus 4, 30, *concepta verba* interpretatur, *effectum* esse, dicens, *ut per formulas, id est, per concepta verba litigaremus.* Sunt enim formulæ solennes præscriptisque verbis concipiendæ quasi enuntiationes, eæque partim a litigantibus, rem suam, et quid, quantumve postulent, et, quæ sunt ejusmodi, declarantibus 1), partim vero a magistratu, qui causæ judicem, idemque judici velut cognitionis et sententiæ terminos constituit, pronuntiandæ 2). Atque hæc ipsa distinctio formularum, quam Cajus adfert, in quatuor partes, non tamen omnes omni in actione occurrentes, divisione continetur: e quibus *demonstratio*, qualis res sit, *intentio* autem, quid postulet actor, declarans, ad litigantes, *adjudicatio* contra et *comdemnatio*, illa, velut si familiæ erciscundæ agatur.

(§. 101.), adjudicare, hæc, condemnare judici præcipiens, ad magistratum referuntur. Ut autem actionum, ita formularum, quæ illis accommodatæ, magna est multisque nominibus diversitas; velut 3), quo pauca hic discrimina ponantur, aliæ sunt stricti juris, aliæ bonæ fidei 4) actionum, aliæ in jus, aliæ in factum conceptæ 5), aliæ præterea suo, aliæ alieno nomine agentis. Quæ singula distinguens Cajus, ipsas sæpe ad rem formulas inseruit 6).

1) Dup., p. 65, formulas definiens, *sunt*, inquit, *verborum conceptiones, secundum quas judicium ordinatur a Prætore, qui, pro diversis casibus a litigantibus propositis, diverse definit singula actionum momenta, quibus judices intelligant, quatenus de re judicandum sit.* — 2) Cf. Dup. p. 65 et 66. Cic. *p. Rosc. Com.* 8, *sunt jura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, nequis aut in genere injuriæ, aut ratione actionis errare possit. Expressæ sunt enim ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria publicæ a Prætore formulæ, ad quas privatalis accommodatur.* — 3) Cf. Dup. 78. — 4) Caj. 4, 61. — 5) Caj. 4, 45. sqq. — 6) Sic, ut exempli causa paucas hic demus, 4, 93, sponsione adversarium provocantis formula est *si homo, quo de agitur, ex jure quiritium meus est, sestertios XXV numos dare spondes?* 4, 136, Prætoris in eum, qui incertum promiserit, formula *judex esto; quod Aulus Agerius Numerio Negidio incertum stipulatus est, cujus rei dies fuit, quidquid ob eam rem Numerium Negidium Aulo Agerio dare, facere oportet* — 4, 46, recuperatorum judicii formula *recuperatores sunto: si paret, illum patronum ab illo liberto contra edictum illus Prætoris in jus vocatum esse, recuperatores illum libertum illi patrono sestertium X millia condemnanto; si non paret, absolvunto*, 4, 43, in jus, ubi de jure, non de facto quæritur, concepta formula *judex esto: quod Aulus Agerius aput Numerium Negidium mensam argenteam deposuit, qua de re agitur, quidquid ob eam rem Numerium Negidium Aulo Agerio dare, facere oportet, ex fide bona* (cf. Val. M. 8, 2, 2.) *ejus, id judex Numerium Negidium Aulo Agerio condemnato. Si non paret, absolvito.* In factum conceptam formulam habes 4, 47; actoris et adversarii cognitorem dantium, 4, 83; exceptionis 4, 119, *si in ea re nihil dolo malo Auli Agerii actum sit, neque fiat;* interdicti, vetantis Prætoris, 4, 139, *ut nunc possidetis, quo minus ita possideatis, vim fieri veto;* demonstrationis 4, 40, *quod Aulus Agerius Numerio Negidio hominem vendidit;* intentionis 4, 41, *si paret, Numerium Negidium Aulo Agerio sestertium X*

millia dare oportere; adjudicationis 4, 42, condemnationis 4, 43. Cf. et 4, 46.

271.[m] Formulis cum legis actionibus communis est conceptorum verborum usus; sed formulæ, recisis, quæ in illis subtilia nimis aut supervacua videbantur, res et brevius et simplicius, neque, ut illæ, generalibus legum verbis, sed ad singulos casus speciatim, ut ait Dupont, adoptatis exprimebant. Itaque formularum ratio, agendi tanquam cæremonias solennemque difficultatem tollens, ipsas tamen actiones, si vim illarum respicias, ex parte utique, servabat; quas adeo, velut sponsiones, quæ sacramenti loco inductæ, et judicis postulationem 1), in utraque ratione obtinentes reperimus 2). Quare de conceptis quoque verbis, multa a legis actionibus in formulis esse retenta, vel ideo dubitari vix possit. Cæterum, quid quantumque, sive e verbis, sive ex ipsis etiam actibus, servatum fuerit, omninoque discrimen binarum agendi rationum ita, ut ne controversiæ plurimum relinquatur, constituere, nec doctissimis, opinor, facile contigerit, et nobis minime foret conandum; quippe qui hanc quæstionem, post repertas quoque Caji *Institutiones*, in desperandis ponendam duceremus. Neque vero mirandum, a recentioribus formulas cum legis actionibus, quamdiu ad conjecturas fere de his disputatio redigebatur, sæpe confusas 3); atque adeo ad formulas potuisse cum alia, tum Ciceronis memoratos nobis locos (p. 275 et 280.) referri, quibus legis actiones rideri, nemini jam, ex Cajo utramque jure agendi rationem cognoscenti, non manifestum crederes.

1) Nescio, an idem dicendum de manus injectione; contra tamen Dupont. — 2) V. Dup. p. 65. — 3) Cf. Dup. p. 67.

271.[n] Formulas, ut a Prætore compositas, sic ab eodem communi civium usui vulgatas esse, e Ciceronis *p. Rosc.*

com. loco 1) colligere dabatur; nunc rem a Cajo 2) ita confirmatam habemus, ut simul, formulas, quas in albo propositas ille dicit, non separatim ab actionibus, sed his subjectas, sicque in ipso Prætoris edicto publicatas esse, consequatur 3). Neque vero, quominus ita statuamus, hinc recte moveamur, quod in actionibus ex edicto in jus Justinianeum translatis formularum mentio non occurrit; quippe quas, ad jure agendi, quæ tum erat, rationem nil pertinentes, addere supervacuum videri debuerit; cui sane hoc etiam consentaneum, quod non ab illa modo parte et legis actiones et formulas, sed ab omni jure Justinianeo exclusas cernimus 4). A jurisconsultis formulas Prætores, edictum componentes, petere solitos, observat Dupont 5); neque dubium est, quin, ut judicibus (§. 273.), sic Prætoribus ad juris, quam ipsi plerique erant, peritiores fuerit et alias, et in formulis quoque, recurrendum; nisi quis e priorum edictis formulas in suum transferre satis judicaret. De rigore in formulis observandis, et litigantium, si quid contra peccarent, periculo, conferendus Cajus 4, 53. sqq. Ut legis actiones in centumviralibus, sic formulæ in cæteris causis ad sera Cæsarum tempora duraverunt, sub Constantino M. demum sublatæ 6); quum scilicet judiciorum privatorum, cui conveniebant, ratio, cum alias, tum abolita antiquissima consuetudine mutata esset, quæ litem cognoscendam et constituendam magistratui, dirimendam autem judici, ab illo e civibus legendo, permittebat 7); qua abolita, quum ad eundem et rei cognitio et dirimens sententia pertineret, vel ideo pars, quæ hucusque obtinuerant, formularum rejicienda fuisset.

1) V. not. 2. ad §. 271. l. — 2) Caj. 4, 46, *Cæteræ quoque formulæ, quæ sub titulo de in jus vocando propositæ sunt, in factum conceptæ sunt: velut adversus eum, qui, in jus vocatus, neque venerit, neque*

vindicem dederit, item contra eum, qui exemerit eum, qui in jus vocatur, et denique innumerabiles ejusmodi aliæ formulæ in albo proponuntur. — 3) V. Dup. p. 68. — 4) Cf. Dup. p. 69. — 5) Pag. 69, ad rem laudans Val. Max. l. 8. c. 2., quod recte, si de judice, non de Prætore ageretur. — 6) Quo referenda l. 1. *Cod.* 2. 58, *juris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus radicitus amputentur.* Dupont p. 64. — *usque ad Constantini imperium duravere, sub quo, ordinaria cognitione sublata, et ipsæ sublatæ sunt.* — 7) Cf. Dup. p. 227.

272. Diximus supra de jure, quod Ælianum ab Ælio, deque antiquiore, quod Flavianum a Flavio adpellatum. Jure Flaviano multo antiquius est, quod Papirianum a Papirio, Pontifice M., dicitur, Dionysio 1) et Pomponio 2) memoratum, a quo, post ejectos etiam reges florente, collectas leges regias vulgaris opinio facit; sed credibilius, ad sacra pertinentia modo libro rituali 3) complexum, quem commentario (*de indigitamentis*) Granius Flaccus ad Cæsarem scripto illustravit 4). Cæterum Papirius ex illa ætate est, qua patricios solos juris prudentes vidimus (§. 271.): qui, ut illuc jam revertamur, post æquatum fere ordinum jus, si non a Cn. Flavio, quam vulgarem persuasionem exposuimus, delusi essent (§. 271. *h.*), tamen plebejos diu etiamtum a juris scientia prohibere frustra laborassent; resque ferebat, semel vulgatum, mox et publice doceri, quod a Coruncanio factum diximus (§. 271.*k.*), et scriptis quoque explicari; denique, cuilibet licere litigantibus prudentia consilioque adesse. Et vero triplex jam occurrit defensorum genus: advocati, quasi ad rem auxiliumque vocati 5), litigantes consilio suo et præsentia juvantes; patroni causarum, pro tribunali agentes (actores, a. causarum), et, obscuro discrimine 6), procuratores et cognitores, aliorum causam, cognitores, si Heineccium sequimur, præcipue in status controversiis, iidemque a præsentibus 7), procuratores contra ab absentibus mandatam suscipientes 8). Vetustatis ser-

vandæ gratia jureconsulti formulam finxere, quo dominium litis (dominus, κύριος δίκης) in procuratorem transiret 9).

1) 3, 36. — 2) Fr. 2. §. 2 et 7. *de Orig. Jur.* — 3) Sacras quinque libris complexum, sexto cæteras leges regias, appendicem, adjecisse, fuere, qui suspicarentur, pro numero in loco Pomponii accipientes, quod librariorum errore in prænomen Sexti sit mutatum; et favet conjecturæ Dionysius, Caji prænomen Papirio, non Sexti faciens. — 4) V. Hugo §. 56, Mackeldey §. 19, et notam Ritteri ad Hein. *Hist. Jur.* §. 17. — 5) Cf. Plin. 6, 33, *ingens utrinque advocatio, et numerosa subsellia* — 6) V. Hein. *Synt.* 4, 10, 3. Cf. Caj. 4, 82. sqq. — 7) Cf. Hor *Sat.* 2, 5, 37. — 8) Caj. 4, 83, *cognitor — in litem coram adversario substituitur* — ib. 84, *procurator vero nullis certis verbis in litem constituitur; sed ex solo mandato, et absente et ignorante adversario, constituitur. Quin etiam sunt, qui putant,* et eum *procuratorem videri, cui non sit mandatum, si modo bona fide accedat ad negotium, et caveat, ratam rem dominum habiturum...* — 9) V. Hein ib. §. 4. Cf. Caj. l. c., ubi et formulæ.

273. In ipsa actione causæ privatæ hæc observata memorantur. Ut lis intenderetur, petitor adversarium, sed extra domum ejus, in jus vocabat: qui si nec venire, nec vindicem dare vellet 1), petitor, invocato teste (antestatus. §. 97.), vim adhibere poterat; unde *obtorto collo in jus rapere* 2), quod ad certas causas (v. §. 274.) restringit Dupont 3). Quum ad Prætorem venissent, petitor, actionem, i. e., ut litem intendere liceret, petebat; tum dies actioni, sive causæ cognoscendæ, plerumque perendinus, constituebatur; et adversarius se compariturum cavebat; quo referuntur *vadem dare, vadimonium promittere, vadari aliquem* 4), *vadimonium differre* 5).

Die cognitionis 6), actione rite, legis actionibus, formulis, intenta, stipulationes (satisdatio) variæ, in iisque, monente Dupont, de calumnia, quo pertinet *calumniam, de calumnia jurare* 7), et temere litigantium pœna 8), cautio interveniebat; quam apud judicem intervenisse, vulgo crediderunt. Quo facto Prætor, quæstionem e liti-

gantium expositione, quam ***litis contestationem*** 9) facit Dupont 10), accurate constituens, pro causæ natura judicem, eumque lege Pinaria (a. 623?) in XXX. diem, vel arbitrum, ut diximus (§. 267 et 268.), vel recuperatores dabat, aut rem centumvirali judicio permittebat. Judices, quos sacramento fidem profiteri lex jubebat 11), secundum formulam, a Prætore datam (§. 268.), rem dirimebant 12); si nimis ambigua esset, dicentes, sibi non liquere 13), quo judicium in aliam diem differebatur; cæterum ad cognitionem amicos, prudentes maxime, adhibere solebant, ipsi sæpe juris ignari 14). De arbitris, recuperatoribus et centumviris v. §. 267 et 268. Ad judicium sine legitima causa non comparens edicto uno aut pluribus, sed tertio *peremtorio* citabatur, cui si non paruisset, absentis causa judicata vincere tamen poterat 15).

1) Cf. Not. ad §. 271.*m.* loc. Caji 4, 46. — 2) Cf. Plaut. *Pœn.* 3, 5, 45, Horat. *Sat.* I, 9, 75. sqq. — 3) Cf. XII Tabb. *de in jus vocando.* — 4) Cf. Horat. *Sat.* 1, 9, 36, et 1, 1, 11, Varro *de L. L.* 5. p. 59, Cic. *de Off.* 3, 10, Auson. *Idyll.*, 12. — 5) Juven. 3, 213. — 6) V. Dup. 212. — 7) Cf. Cic. *ad Div.* 8, 8, Liv. 33, 47, *Pandd.* 39, 2, 13, 3. Cf. Gell. 14, 2, *de calumnia damnari.* — 8) Cf. Caj. 4, 171 et 183 — 9) Aliter Heineccius, litis contestationem ad dominium litis translatum (§. 272.) referens. — 10) P. 213. sqq. — 11) Cf. Cic. p. *Font.* 9. 10. — 12) V. Hein. 4, 6, 41. — 13) Cf. Gell. 14, 2, *juravi mihi non liquere; atque ita judicatu illo solutus sum.* — 14) Cf. Cic. *Verr.* 2, 29, *Gell.* 12, 13, 14, 2. — 15) Dup. 223.

274. In ipsa coram judice actione, quem, nisi centumvirale aut recuperatorium judicium, semper unum fuisse diximus (§. 268.), distinguendæ causæ collectio et peroratio, illa prudentium, quos adhibitos diximus, hæc litigantium vel ipsorum vel patronorum. Perorantibus, more a Pompejo M. inducto, certum spatium clepsydra dimensum concedebatur 1). Hinc *ad clepsydram dicere, agere, plures clepsydras dare, aquam sustinere; aqua hæret;*

ἐφύδωρ. Clepsydra multis post sæculis in judiciis reperitur 2). Absoluta peroratione, auditis testibus, documentisque recognitis, judex sententiam pronuntiabat; exequenda, ut in recuperatorum et centumvirali judicio, Prætoris imperio relinquebatur. Damnato intra tricesimam diem judicatum solvendum, data in recusantem manus injectione; quam legis actionem, in judicati causa XII tabulis inductam, postea ad alias nonnullas extensam Cajus (v. §. 271. *c.*) docet 3). Provocatio a Prætoribus (§. 196.) in libera civitate, certe in judiciis publicis, ad populum; sub Cæsaribus in privatis quoque ad Præfectum Prætorio, Præfectum Urbi, ipsum Principem 4).

1) Cic. *de Orat.* 3, 34, *At hunc* (Periclem) *non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat.* Cf. Dial. de *Orat.* 38. Plin. *Ep.* 6, 2, — *invaluit consuetudo binas vel singulas clepsydras, interdum et dimidias et dandi et petendi.* Cf. id. 4, 9. — 2) Cf. Lyd. 2, 16. — 3) V. Dupont P. 27. 207. 224. — 4) Cf. Suet. *Aug.* 33.

275. De judiciis publicis autem e multis sequentia teneamus. Judicia populi de more nonnisi senatusconsulto aut rogatione magistratus fiebant: prævia rei cognitio aut eidem, aut lectis quæsitoribus mandabatur. Accusator pro Rostris, quem, quoque die accusaturus esset, declarans, simul reo diem dicebat; qui, nisi vadem, in multæ judicio prædem 1), dedisset, custodia interim tenebatur 2). Dicta die, per præconem citatus reus 3), si, nec ulla idonea causa excusatus, non compareret, damnari par erat leges et populi potestatem spernentem; sed damnatio non raro varieque impediebatur, velut intercedente accusationi Tribuno Plebis 4), aut auspiciorum causa dilatis comitiis, aut spectione de cælo interruptis 5). Si compareret, neque ullum esset legitimum impedimentum, præsens stansque sub Rostris ter, sed non eodem nec continuis diebus, ac-

cusabatur 6), testibusque ac documentis firmata accusatio (rogatio) una cum pœna aut multa ab accusatore statuta (pœnæ, multæ irrogatio) per trinundium (§. 159.) proponebatur. Tertiis nundinis repetita denuo accusatione, reo defensio, dein indictis comitiis, in multa tributis quoque, in crimine capitali centuriatis, res populi suffragiis permittebatur 7).

1) Cf. Liv. 3, 13, 25, 4, Gell. 7, 19. — 2) V. Hein. 4, 8, 36. — 3) Cf. Liv. 38, 51, Suet. *Tib.* 11. — 4) Cf. Liv. 38, 60, Gell. 7, 19. — 5) Cf. Liv. 40, 42. — 6) V. Cic. *p. Domo* 17. — 7) Cf. Hein. 4, 18, 42. sqq.

276. Judiciis vero ordinariis, necesse erat, multa esse cum populi aut cum privatis communia; cæterum hæc notamus. Quilibet civis accusator esse poterat; sed calumnia nota fronti inusta puniebatur 1); quo refertur lex Remmia incertæ ætatis 2). Si plures essent, primarius, quæ divinatio dicitur 3), quærebatur; cæteri subscriptores 4). Ille igitur dicta die coram Prætore, jurata prius calumnia, solenni formula reum præsentem accusabat 5), qui, si crimen aut manifestum esset, aut ipse fateretur, damnabatur; sin negaret, accusator, ut nomen ejus reciperetur, quo trahuntur *deferre nomen*, *delator*, *delatio nominis*, flagitabat, receptoque, si visum Prætori, nomine, eidem libellum accusationis vel a semet vel ab alio ipsius nomine subscriptum tradebat, simul de multa cavens, si aut mitteret reum aut non argueret. Tum diem Prætor, qua redirent, decimum fere, sed interdum longius intervallum statuebat; statuta uterque per præconem citabantur. Accusatore non comparente, reus absolvebatur, ipse absens pro convicto habebatur. Utroque præsente, judices sorte, sed concessa rejectione (§. 270.), et quandoque ab ipsis adversariis legebantur. Lecti, postquam jurassent se ex lege

judicaturos 6), considebant. Accusatio duabus actionibus peragebatur, priore adlatis argumentis, secunda confirmatis. Ipsa argumenta triplicis generis: questio, testes, tabulæ, sive scripta ad rem arguendam aut illustrandam.

1) Cf. Cic. *p. Rosc. Am.* 20. — 2) V. Bach. l. 2. c. 2. s. 1. §. ult. Hein. 4, 16, 3. — 3) Hinc Cic. in *Q. Cæcilium* oratio divinatio adpellata. Cf. Cic. *ad Q. Fratr.* 3, 2, — *apud Catonem erat divinatio in Gabinium futura.* De causa nominis vario Gellius 2, 4. — 4) Cf. Cic. *Divin.* 15. — 5) Hein. 4, 16, et 4, 18, 19. — 6) Cf. Cic. *Verr.* 1, 13.

277. Testes neque servi admissi, neque judicio infames; quales, velut ob carmen famosum damnati, et testamenti et testimonii habita ratione, intestabiles dicti 1). Mulieres antiquitus admissæ, post exclusæ 2). Reo testantes liberi, accusatori etiam coacti 3). Cæterum jurati testimonium dicebant, et præscripta quadam formula cum interrogati tum respondentes 4). Contra proximos ne testis cogeretur, lege cautum, neve in sua causa 5). Falsus lege XII Tabb. de saxo Tarpejo præcipitandus 6), quæ pœna post commutata 7).

Quæstio, stante republica, nonnisi de servo, neque paucis casibus, ut incesti crimine, exceptis, in caput domini, quam legem ab Augusto 8), jubente, ut venierentur quæstioni in dominum subjiciendi, elusam restituit Adrianus 9). Nec de alienis, nisi domino consentiente, quæstio haberi poterat 10). Huc trahendum *postulare, dare, ferre servos in quæstionem*, etc. Inter instrumenta quæstioni adhibita fidiculæ, tabularia, equuleus 11), laminæ ardentes, podagra, etc. 12).

Accusationem excipiebat defensio rei per patronos, sæpe plures dies continuata. Hi, quo pejor causa, eo impensius perorantes judices ad misericordiam flectere studebant, adhibitis quandoque et laudatoribus 13); nec minus eos ipse

reus sollicitabat, cum per medium ab accusatione spatium, tum in ipso discrimine, amicorum intercessione, sordita veste, quo referuntur *sordidatus*, *squalor reorum*, etc. 14), quam, die dicto, statim ipse, vulgo et proximi familiaresque sumebant, omnibus denique artibus. Peracta defensione, quo trahuntur verba *dixi*, *dixerunt* 15), e collectis judicum sententiis aut absolvebatur aut damnabatur; quæ tabellis 16) continebantur 17), inscriptis litteris A., quæ, ut absolvens, salutaris 18), C., quæ, ut condemnans, tristis 19) adpellata, et N. L., i. e. non liquet (§. 273 et 165.)

1) Cf. Gell. 6, 7, Hor. Sat. 2, 3, 181, ibique Unterholzneri in notis Heindorfii illius vocis interpretationem. Intestabilis et omnino de infami, ut in ipso Horatii loco, apud Gell. 7, 18, alioque. — 2) Cf. Gell. 6, 7, Cic. *Verr.* 1, 37. — 3) Cf. Quint. 5, 7, Plin. *Ep.* 5, 20, 6, 5, Hein 4, 18, 26. — 4) V. Hein ib. — 5) Cf. Cic. *Rosc. Am.* 36. — 6) Cf. Gell. 21, 1. — 7) Paul. *Sent. Rec.* 5, 15, *aut in exilium aguntur, aut in insulam relegantur, aut curia submoventur.* — 8) An Tiberio? Cf. Tac. *Ann.* 2, 30, 3, 67. — 9) Paul. *Sent. Rec.* 5, 16, 5, *servi in caput domini neque a Præside, neque a Procuratore, neque in pecuniarum, neque in capitalibus causis interrogari possunt.* Ib. §. 7, *qui servum ideo comparavit, ne in se torqueretur, restituto pretio, poterit interrogari.* — 10) Cf. Cic. *p. Rosc. Am.* 41, *p. Cluent.* 63. — 11) Cf. Cic. *p. Dej.* 1. — 12) Cf. Sen. *Ep.* 14, *de Ira.* 3, 19, Cic. *Verr.* 5, 63, Plaut *Asin.* 3, 2, 4, Lucr. 3, 1029. — 13) Cf. Cic. *p. Balbo* 18, *ad Fam.* 1, 9., *Verr.* 5, 22 — *in judiciis, qui decem laudatores dare non potest, honestius est ei nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere.* — 14) Cf. Liv. 2, 54. — 15) Cf. Asc. ad Cic. act. 1. *in Verr.* extr. Hein. 4, 18, 31. — 16) Cf. Cic. *p. Cluent.* 28, *Verr.* 2, 32, *judicialis tabella*, et *Verr.* 1, 13. — 17) V. Hein. 4, 18, 31. — 18) Cic. *p. Mil.* 6. — 19) Cic. ib.

POENÆ.

278. In usitatis apud Romanos pœnis 1), servato temporum et reorum juris discrimine, erant: multa (noxa, damnum), quam initio pecuariam fuisse constat; cætera varie traduntur 2); vincula, (nervi, manicæ, pedicæ, compedes,) publica et privata, carcer (robur), custodia 3);

verbera (virgæ, fustes, flagellum); talio 4), quam pecunia redimere dabatur; ignominia, quo trahitur et capitis diminutio (§. 69.); exilium, voluntarium, coactum, aquæ et ignis interdictio, deportatio sub Cæsaribus introducta; servitus; mors, quo pertinet saxum Tarpejum 5), infelix arbor 6), stransgulatio, crux (§. 55.), securi percuti, culeus parricidæ 7). De carnifice v. §. 218. Pœnæ ultra mortem extensæ prænomen damnati posteris interdictum 8), aut e fastis deletum 9); imago cognatorum funeribus exclusa 10).

1) Cf. Cic. *p. Rab. Perd.* 4 et 5, Hein. 3, 18, 5. — 2) Cicero *de Rep.* 2, 9, de Romulo *multæ dictione ovium et boum — non vi et suppliciis plebem coercuisse;* Gellius, 11, 1, minimam mulctam ovis unius, supremam *duarum ovium*, *boum triginta* (sc. d. o. et b. t.) fuisse; unde Dionysium quoque (10, 50) non duos boves et triginta oves, quod codices, sed duas oves et triginta boves dixisse volunt. Cæterum Dionysius, mulctam antea solos Consules, lege autem Consulum, Spurii Tarpeji et Auli Termenii, omnes magistratus dixisse, eademque supremam ovium triginta et boum duorum fuisse. Gellius autem de lege Ateria hoc unum, *in oves singulas illa æris denos, in boves centenos* esse constitutos; cui congruit, quod Fest. (in *multam*)- *maximam multam dixerunt trium millium et viginti assium — æstimabaturque bos centussibus, ovis decussibus* (cf. id. in *ovibus.*) His adde Ciceronem, qui, *de Rep.* 2, 35, *gratam rem* (lege *legem*) *quarto circiter et quinquagesimo anno post primos Consules de mulctæ sacramento* (cf. §. 271. *a.*) Sp. Tarpejum et A. Aternium Consules comitiis centuriatis tulisse. Vides tres locos ita discrepare, ut manifestum maneat, omnes ad Consules eosdem, legemque ab iis, circa a. ccc., de mulctarum æstimatione latam, esse referendos: verum, ubi discrepant, eruendum aliis interim relinquimus (v. Bach. 1, 2, 3, 2, 2, 9.) Haud multo posterior (a. 324.) lex Papiria Julia de mulctarum æstimatione, Livio, 4, 30, memorata, qua Bachius Ateriam Tarpejam potissimum repetitam suspicatur. De eadem Cicero, *de Rep.* 2, 35, *quod Censores mulctis dicendis vim armentorum a privatis in publicum averterant, levis æstimatio pecudum in mulcta lege C. Julii, P. Papirii, Consulum, constituta est.* — 3) Cf. Liv. 1, 33, 38, 59. — 4) Fest. in *talionis* (v. p. 251.), *si membrum rapserit, ni cum eo pacit, talio esto.* Cf. Gell. 20, 1. — 5) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 38. — 6) Cf. Cic. *p. Rab. perd.* 4, Liv. 1, 26. — 7) De quibus Paul. *Sent. Rec.* 5, 24, *hi etsi antea* (lege sc. XII tabb.) *insuti*

culeo in mare præcipitabantur, *hodie tamen vivi exuruntur*, *vel ad bestias dantur*. Cf. Cic. *p. Rosc. Am*. 25, Suet. *Aug*. 33. De animalibus culeo simul cum parricida insutis, initio, ut videtur, facto ab lege Pompeja de parricidiis, varie tradunt veteres. Cf. Juv. 8, 213, ubi simia et serpens, et *Institt*. 4, 18, 6, ubi canis insuper et gallus gallinaceus. — 8) Cf. Liv. 6, 20, Tac *Ann*. 2, 32, 3, 17. — 9) Tac ib. — 10) Ib. 2, 32, 3, extr. V. Nieup. 3, 2, 6, extr.

CAPUT IV.

RELIGIO.

279. Antiquissima Romanorum religio 1), sive cultus deorum, qualis fuerit, non minus obscura quæstio est, quam prima eorum civitatis forma. Etenim nec alia ad illam satis illustrandam monumenta supersunt, et scriptorum tum dissentione conturbamur, tum, quod, sicut in aliis institutis vel enarrandis vel memorandis, ita in religione recentiora vetustissimis temporibus nullo aut parvo discrimine plerique tribuerunt. Ex his si, primarios Romanorum historiæ auctores, Livium et Dionysium probamus, inde a Numa, sive ipsa numina, sive cultum ritusque respicimus, eandem fere quam aliquot post sæculis religionem fuisse existimabimus. At de Livio nunc satis convenit inter doctiores, eum prima urbis tempora non critica ratione, sed ad vulgarem suæ ætatis et lectoribus jucundiorem opinionem adumbrare voluisse, certe adumbrasse. Dionysio autem, accurate pleraque tractanti, fidem merito detrahit manifestum ubique studium Romanorum originem et rempublicam a Græcis derivandi.

1) De etymo v. Cic. *de N. D.* 2, 28, cui religiosus tanquam diligenter retractans sive *relegens*, quæ ad cultum deorum. Cf. et Gell. 4, 9. Reverentiæ, metusque pii et anxietatis, sive scrupuli, notionem voci inesse, usus loquendi arguit.

280. Quare neutri illorum hic temere credendum, atque eo minus, quoniam non modo inter se haud raro, verum ab aliis plurimum discrepant in eodem argumento investigando versatis; quo nomine cum multis memorandi

veniunt Varro et Plutarchus, imprimis Ovidius 1). Paucis ut cuncta amplectamur: rem severo judicio æstimanti probabile fit, antiquissimam Romanorum religionem, a Græca vehementer abhorrentem, sacris quoque ritibus multo, quam posterius reperitur, simpliciorem fuisse; quominus miremur, quosdam, an templa illis et deorum simulacra fuerint, dubitasse 2); sive eam religionem cum Beaufortio 3) Celticæ, sive cujuscunque originis faciamus. Talem quum reperisset religionis Romanæ vulgo conditor adpellatus Numa, ferocioribus civium moribus mitigandis eam potius accommodasse, quam multum immutasse videtur 4). Posterius a Tarquinio Prisco (?) introducta Græcorum deorum turba, et indigena Italorum numina peregrinis paulatim assimulata aut cum iis confusa sunt; simul novæ superstitiones ritusque ab Etruscis maxime accesserunt. Sic Romana Græcorum religioni indies similior evasit, manentibus tamen diversissimi olim status certis indiciis, tum in scriptorum testimoniis aliisque monumentis, tum in vetustissimorum deorum apud Romanos cultu, in quibus Consus, Janus, alia nomina.

1) Cf. Beauf. vol. 1. p. 1. — 2) August. *de Civ. Dei* 4, 31, *dicit Varro, antiquos Romanos plus quam annos centum et septuaginta Deos sine simulacro coluisse.* — 3) pag. 5 et 15. — 4) Idem p. 7 et 8.

281. Sed hujus immutationis ut difficillima explicatio, sic illud manifestum est, novam religionem cum republica arcte conjunctam, atque omnino ad politicum, quem vocare consuevimus, finem ordinatam fuisse; cui, mirandum inprimis videtur, superstitionibus, ut vix ulla magis, absurdam, mirifice per multa sæcula inserviisse 1). Neque enim ulla res magis ad potentiam Romanorum valuit publica eorum religione: quam cum virtutis altricem et firmissimum patriæ robur esse vellent, posteriori etiam tempore,

quamvis lege vetito peregrinorum numinum cultu (§. 79.), tamen, quoties e republica videretur, haut ægre introduxerunt.

His de Romanorum religione animadversis, argumento voluminibus sufficienti, quantum proposito nostro satis, immoraturi, iis, quæ dicenda supersunt, nomina, attributa cultumque deorum, sacerdotes eorumque ministros, loca item, instrumenta ritusque sacros, festa denique et ludos persequemur.

1) Cf. Liv. 5, 51 sq.

DE DIIS ROMANORUM.

282. Vetustissimi Romani utrum plura numina, an, quod Beaufortio placuit, sub variis nominibus unum cum aliis, inter quos crescebant, populis coluerint, doctioribus porro investigandum relinquimus. Illud utique vero proximum videtur, Græcorum deorum agmina posterius fuisse introducta. Præter Græca autem, ab extremo præsertim libertatis tempore et sub Cæsaribus, multa ex Ægyptiorum, Syrorum, aliorumque Asiæ populorum religione Romæ inveniuntur. Nec minus nova usque ipsi Romani, tum alias, quandoque levissima occasione utentes, creaverunt, tum animi dotes, virtutes, vitia, morbos, fatum, et quæ sunt ejusmodi plurima, ipsam denique Romam (§. 39.) aris templisque coluerunt. Hinc trifaria numinum divisio, qua indigenæ Romanorum dii, certe antiquiores, a peregrinis, utrique ab iis, quæ postremo loco memoravimus, numinibus distinguuntur.

In Antiquissimis Romanorum diis, quos non a Græcis mutuati, cæterum cum vicinis populis communes habuisse videntur, ponimus Terminum, Consum, Dium Fidium, Quirinum et Janum.

283. Termini cultus a Numa, ut multæ Romanorum religiones, repetitur. Is sacrum esse sanxit, qui agri limitem violasset 1); simul, concordiæ vinculum, festum, Terminalia, instituit, quod in agrorum confinio vicini celebrarent. Exstructa de cespite ara, munera ruris, fruges, vinum, mel in flammas conjiciebant; post agnam quoque aut porcam immolantes, cujus sanguine dei simulacrum, lapis stipesve agros separans, adspergebatur. Eundem sertis et libis donabant, hymnis quoque laudantes 2). Notissima ejus fuit ara in monte Capitolino; ubi quum templum Jovi condendum, interrogatis diis, quorum eo loco aræ erant aut sacella, vellentne Jovi cedere? solus Terminus restitit. Sic ara templo inclusa, foramine supra in tecto relicto, quoniam sub dio colendus. Obstinatio Termini faustum omen visa, pignus immoti suis finibus imperii, ita tamen, ut proferri possent 3).

1) Cf. Plut. in *Numa* Dionys. 2, 74. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 641, sqq., Tib. 1, 1, 15 (11), *nam veneror, seu stipes habet desertus in agris, seu vetus in trivio florea serta lapis*, etc. — 3) Cf. Liv. I, 55, Ovid. v. 667. sqq., Lactant. *de Falsa Relig.* c. 20, Vig. *Æn.* 9, 448, *Capitoli immobile saxum.*

284. Consum vulgo dictum volunt quasi consilia mente abdentem (*conso* fingentes pro *condo*), atque adeo consiliorum deum, vereor, ne minus vere, quam suadente vocabulorum similitudine (§. 186.) Idem cum Neptuno, modo equestri, modo terram quassante (σεισίχθων) confusus, aram subterraneam habuisse fertur, tanquam vel terram tenens, vel consilia secretaque condens 1): Beaufort (vol. I. p. 20.) antiquissimum unumque Sabinorum et Romanorum numen fuisse suspicatur, diversis nominibus diversis locis adpelpelatum. In Consi honorem celebrata Consualia, ludi circenses 2).

1) Cf. Servius ad *Æn.* 8, 636, Dionys. 2, 31, Festus in *Consualia*, Lyd. 1, 30. — 2) Cf. liv. 1, 9, Ovid. *Fast.* 3, 199.

285. Dius Fidius 1), idem antiquiore nomine Semo, vel Semo Sancus aut Sangus vocatus 2), arguentibus vocabulis, erat deus pactionibus præsidens, quo nomine Fidei deæ cultum Numa instituisse fertur 3), repugnante tamen Ciceronis testimonio 4). Sancus contra vetustum Sabinorum numen 5), unde et heros Sabinus dictus, idemque inter deos indigetes relatus; postea autem cum Hercule Græcorum confusus 6); et congruebat, quod per utrumque jurabant (*me Dius Fidius, me Hercule*), et utrique propter viam sacrificabant 7).

1) Ζεὺς πίστιος. Cf. Dionys. l. 2, p. 113, l. 4, p. 257. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 6, 213, Liv. 8, 20. — 3) Cf. Liv. 1, 21, Dionys. l. 2, p. 134. — 4) *De N. D.* 2, 23. — 5) Ovid. v. 218, Lact. *de F. Rel.* 1, 15. — 6) Cf. Prop. 4, 10, 71. — 7) Cf. Fest. in *propter viam.*

286. Quirini pariter cultum, suadente etymo *curis, quiris*, lancea 1), cujus *Cures* quoque urbem et *Quirites* fecere, a Sabinis petitum, cumque ipsis Romam translatum esse, potissimum crederes. Lancea in causis fuerit, cur, post introducta Græcorum numina, Romanum Græco adsimilarint, duplicem exin Martem colentes, alterum Quirinum, pacis præsidem et tutelare numen, alterum Gradivum, belli et cædis avidum; cui, ut ab urbe averterent, extra mœnia templum consecravere 2). Simul vero Romulus, ex quo diis accessit, patris instar, Quirini nomen accepit 3); unde minus miremur vetustissimi illius numinis memoriam paulatim penitus extingui potuisse, cultu in cognomines deos translato.

1) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 476. sqq. — 2) Cf. Serv. ad *Æn.* 6, 860. — 3) Aliter Lydus 1, 5, a κύριος, *dominus*, tanquam tyranni, nomen derivans. Cf. Ovid. *sive suum Regi nomen posuere Quirites*, et Voss. *Etym.* in *quiritare.*

287. De Jano imprimis varia est, ut rei, sic etymi 1) interpretatio. Sed ut constat, Græcum par ei numen non

38

reperiri 2), sic, supremum deum illo nomine ab Italiæ populis antiquitus cultum esse, multa sunt indicia. Preces enim et sacrificia ab eo auspicabantur 3), et patrem proprie 4), et in Saliorum versibus deum deorum vocabant 5). Præterea, rerum primordia ab eo ducentes, chaos et mundi conditorem prædicabant 6). Idem 7) dextra sceptrum, sinistra clavem gerebat, hanc anni et cœli moderator, illud fati, ideoque et belli pacisque arbiter: unde Romæ templum ejus bello apertum, pace clausum manebat. Nec alia potius causa gemina facie, unde Janus biceps, bifrons 8), finxere, opinor, quam præterita et futura sive cuncta videntem significantes 9). Inter Jani cognomina etiam Junonius, Consivius, Quirinus, Patulcius, Clusius v. Clusivius, alia 10). Sacra ejus, ut Vestæ, sine sanguine; libis, farre et sale placabant 11).

1) Ab *eundo* ap. Cic. *N. D.* 2, 27. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 1, 90. — 3) Cf. Ovid. v. 172. — 4) Cf. Hor. *Ep.* 1, 16, 59. — 5) Cf. Macrob. *Saturn.* 1, 9. — 6) Ovid. v. 103. — 7) Ib. 99. — 8) Cf. Virg. *Æn.* 7, 180. — 9) Cf. Ovid. v. 114. — 10) V. Ovid. et Macrob. — 11) Ovid. v. 128.

288. Quod de memoratis Romanorum diis monuimus, non Græcæ originis sed indigenas videri, idem de aliis multis judicandum, in quibus, præter infimi ordinis numina §. 312. et 313. memorata, Carna (Crane, cardea), cardinum dea 1); Iuturna 2), fonti Iuturnæ cognominis, fontium et amnium numen, cujus templum in Campo Martio, festum Juturnalia; Feronia, ex antiquissimis Italorum numinibus, Uxor Anxuris, summi Volscorum dei, ut hic cum Jove, sic ipsa cum Junone confusa. Eadem insigniter culta in luco Feroniæ prope Tarracinam sive Anxur 3), ubi manumissis in ejus templo 4) caput tonsum esse, narrant (§. 62.); Vacuna (a vacando), cui vacunalia agrestes, condita messe, celebrabant *). Neque minus indigenæ censendi, quos infra attingemus, Pales, Flora, Pomona, Vertumnus; ac fuere qui, repugnante tamen nonnihil Græco ejus nomine

(*ἑστία*, focus, ignis), Vestam 5) in iis ponerent, ignis, perque hunc sociatæ vitæ imaginem, domuum, urbium, regnorum tutricem; cujus cultum per orbem late diffusum ab Ænea in Italiam Troja translatum, Romæ autem a Numa institutum esse, vulgaris opinio obtinebat 6). Is et initio simplicissimus fuit, et, quamvis ipsa cum Ope, Cybele et Tellure confusa, integer ad labentis Imperii tempora servatus. Sacrificia deæ incruenta 7). In templi ejus ara perpetuum ignem alebant virgines Vestales (§. 325.) Ipsum templum rotundum, nullo deæ simulacro 8); sed vulgo persuasum, effigiem aliquam numinis inesse, quam videre, inquirere etiam nefas. Erant, qui Samothracum deos, qui penates, Troja ab Ænea translatos 9), esse conjicerent, alii fatale Imperio Romano Palladium 10), alii aliter 11). Ipsa Vesta cæterum, nisi malis falso creditas, quæ ejus feruntur imagines, humana specie fingebatur, velata caput, manu lampadem facemve, aut Palladium tenens, quandoque adjecta ara, flagrante igne. Primæ numinis notioni varia miscuit superstitio, in quibus fabula de Priapo Vestam compressuro, ni Sileni asellus e somno periclitantem clamore suscitasset 12).

1) Ovid. *Fast.* 6, 101. sqq. Cf. Aug. *de Civ. Dei* 4, 8. — 2) V. Virg. *Æn.* 12, 138 sqq. ibique Serv. — 3) V. Liv. 1, 30, 26, 11, Dionys. 2, 6, Hor. 1, 5, 24, Virg. *Æn.* 7, 800. — 4) Cf. Liv. 22, 1, Creuz. § 52. — *) Cf. Ovid. *Fast.* 6, 307, *antiquæ sacra Vacunæ*, Hor. *Epist.* 1, 10, 49. — 5) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 267 et 291, Cic. *de N. D.* 2, 67. — 6) Cf. Vig. *Æn.* 2, 293. sqq. — 7) Cf. Juven. *Sat.* 6, 386, Prop. 4, 1, 21. — 8) Cf. Ovid. v. 281 et 295. — 9) Cf. Tac. Ann. 15, 41. — 10) Cf. Luc. 9, 993, Herod. 1, 14. — 11) Cf. Ovid. 6, 439. sqq., Dionys. 2, 66, Cic. *Phil.* 11, 10, Luc. *Phars.* 1, 196, 9, 990. sqq., Prop. 4, 45. — 12) Ovid. 6, 320. sqq. Ad. rem Prop. 4, 1, 21, *Vesta coronatis pauper gaudebat asellis.*

289. In præcedentibus non alienum a muneris nostri ratione duximus paulum immorari: cætera jam cursim

persequemur, præter deorum divisionem, de singulis, neque de omnibus, ea potissimum attingentes, quæ ad antiquitates magis quam ad mythologiam aut historiam pertinere videantur.

Primaria deorum apud Romanos divisio est in majores et minores, qui majorum et minorum gentium 1), ut patricii (§. 130.), dicuntur. Majores viginti, iidem selecti adpellati 2); minorum, quibus virtutum quoque et potentiarum numina adscribuntur 3), ingens copia et plurima genera: indigetes, rustici, plebeji, marini, aquatiles, inferi, averrunci, etc.

Inter majores principes sunt duodecim dii Consentes (con-entes vel consentientes?), quasi præsentes vel deliberantes in Jovis supremi consilio, unde Græcis πάρεδροι dicti. Nomina eorum continentur versibus Ennii:

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi' 4), *Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Reliqui e selectis memorantur Saturnus, Janus, Tellus (Rhea), Orcus (Dis, Pluto), Liber (Bacchus), Sol, Luna, Genius.

1) Cf. Cic. *Quæst. Tucs.* 1, 13. — 2) V. Aug. *de Civ. Dei.* 7, 2, 3, 33. — 3) Cic. *de Legg.* 2, 8. — 4) Nomin. casu, ut in versu Apul., Met. l. 4, *quem tremit ipse Jovis*, etc.

290. Jupiter 1), Jovis idem ac Diespiter 2) dictus, Romanis, ut Græcis, summus deorum, divum pater atque hominum rex. Quidam ejus cultum Romæ a Tarquinio P. introductum volunt, templi ejus primarii in monte Capitolino (§. 42.) conditore, quo Jovis, Junonis et Minervæ sacella conjunxit. Inde Jupiter Capitolinus, idemque Optimus Maximus. Cætera cognomina pæne innumera, partim cum Græcis communia, velut Servator, Hospitalis, Tonans, Fulminator, Pluvius et Imbricitor, Serenus, alia, partim Romanæ originis, velut Elicius 3), Stator, Feretrius 4),

Pistor 5), Latialis 6). Effigies alia erat juvenis, Vejovis 7), alia adulti. Insignia ei fulmen, sceptrum, diadema, solium, terræ globus; sacræ eidem aquila (Jovis ales, armiger) et quercus.

1) Inter etyma *juvans pater*. Cf. Cic. *de N. D.* 2, 25, Gell. 5, 12. — 2) Tanquam, ut nonnulli interpretantur, *dies* vel *diei pater*. Cf. *Dies*, *dius*, etc. V. Varr. *de L. L.* 4, p. 19. — 3) V. Ovid. *Fast.* 3, 323, Liv. 1, 20. — 4) Cf. Liv. 1, 10 et 12, Prop. 4, 11, 1. — 5) Ovid. 6, 350, Lact. I, 20. — 6) Cf. Lact. 1, 21. — 7) Cf. Ovid. 3, 450. sqq. et Gell. 5, 12.

291. Neptunus 1), Jovis frater, maris arbiter, sæculo U. C. quarto inter deos Romæ invenitur 2). Cum Conso confusum supra (§. 284.) docuimus 3). Præterea plurima ejus epitheta a Græcis usurpata. Fingitur alias concha ab equis marinis vectus: circum Nereides, Tritones 4), delphines; alias nudus. Manu tridentem, insigne, altera quandoque delphinum tenet. Sæpe et conjux Amphitrite jungitur, velo supra caput fluitante. Oculi Neptuno tribuuntur cærulei 5), qui color est maris marisque deorum; unde cæruleus deus, frater, etc.

1) Dictum a *nubendo* finxere, quasi mare et terras obnubentem. Sic Varro *de L. L.* 4, p. 20. Alii a *nando*. V. Cic. *de N. D.* 2, 26, 3, 24. — 2) Cf. Liv. 5, 13. — 3) Cf. Virg, *Georg.* 1, 12. — 4) Cf. Virg. *Æn.* 1, 138, Ovid. *Met.* 2, 8 sqq. — 5) Cic. *de N. D.* 1, 30.

292. Mars, idemque Mavors 1), Jove et Junone genitus, ut præcipuo 2), sic vulgari opione antiquissimo apud Romanos cultu 3), utpote Romuli et Remi pater, compressa Sylvia (Ilia), Vestali. Sed multi et fabulæ hujus et ipsius Dei cultus originem posterioris ætatis faciunt 4). In nominibus Martis Quirinus et Gradivus, ea, quam supra diximus, distinctione (286.), Ultor 5), Sylvanus 6), Thracius, Enyalius, alia Græca quam plurima. Templa ejus Romæ plura, unum extra mœnia memoratur 7). Dicatus etiam

Campus Martius (§. 48.) In rebus eidem sacris ignis, vultur, picus, lupus 8), gallus, equus. Fingebatur quandoque nudus, sæpius armato corpore; insignia cassis, clypeus et hasta, additis interdum tropæis (τροπαιοφόρος). Martis soror Bellona (Enyo), pariter sævum belli numen, et ipsa Romæ culta, flagellum vulgo gestans 9). Ejus sacerdotes Bellonarii (§. 328.)

1) Quod in *Mars* contractum crederes. Sunt, qui ab Ἄρης derivent; a *maribus* Varro, 4, p. 20. Cf. ib. *Mamers.* — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 79. — 3) Cf. Liv. 1, 20. — 4) E quibus A. G. Schlegel (v. Wachsm. *Ælt. Gesch.* p. 122.) persuasum, non modo nunquam vixisse Romulum, sed de fama ejus fabulaque Græcis garrientibus Romanos simpliciter credidisse, denique nomen Romuli ante medium, ac fortasse ante finem sæculi quinti Romæ non auditum! Cf. Nieb. v, I, p. 149. sqq., Beauf. v. I. p. 22, idem *sur l'incertit.* p. 2. c. 1. — 5) Cf. Suet. *Aug.* 21 et 29, *Cal.* 24, Ovid. *Fast.* 5, 595. — 6) Cato *de R. R.* 83. — 7) Cf. Liv. 6, 5, 7, 23. — 8) Cf. Ovid. 3, 37 et 53, Hor. *Od.* 1, 17, 9. — 9) Cf. Virg. *Æn.* 8, 703.

293. Vulcanus, Græcis Ἥφαιστος, idem Mulciber tanquam, ut vulgo interpretantur, ferrum mulcens, adpellatus 1), Jovis et Junonis filius, Veneris maritus, claudicans deorum artifex, ἀμφιγυήεις, fabrorum numen, templum sub ipso Romulo habuisse, ab eoque æreis quadrigis donatus traditur 2); sed Beaufort (v. 1. p. 26.) dubitat, an ante Tarquinium P. Romæ cultus fuerit. Hic cum ex voto devictorum ei arma cremasset, exemplum postea imitati sunt victores duces; unde sacra ei hostium spolia; sacer etiam leo 3). Epitheta Vulcani Lemnius, Ignipotens, etc.; attributa forceps et malleus, officinæ Lemni, sub Ætna (insulæ, antrum Vulcani), fabri Cyclopes.

1) Unde Vulcanus, adeo incertum, ut nonnulli ad Thubalcain, *Genes.* 4, 22, recurrerint — 2) Cf. Dionys. 2, 50 et 54. — 3) Cf. Liv. 1, 37, 30, 6.

294. Mercurius, (vix dubium quin a merce,) Græcis Ἑρμῆς, Maja et Jove natus, deorum interpres et nuntius,

doctorum et mercatorum (§. 383.), unde utrique mercuriales 1), furum quoque deus, lyræ (testudo) inventor, palæstræ præsidens, mortuorum ad inferos ductor 2), Romæ mature cultus 3), templa multa habuit. Sacra ei memorantur catuli, gallus, ficus, victimarum linguæ; in rebus oblatis mel et lac; inter epitheta Caducifer, Atlantiades, Cyllenius, alia quam plurima. Fingebatur vulgo juvenili corpore, in talis alas (talaria), in capite petasum, manu virgam serpentibus binis circumvolutam (caduceus), gerens; rarius pastoris habitu occurrit, cum fistula et clava, aut inter brachia ariete.

1) Horat. *Od.* 2, 17, 29, Cic. *ad Q. Fratr.* 2, 5. — 2) Cf. Hor. *Od.* 1, 10. — 3) Liv. 2, 27.

295. Apollo (Sol, Phœbus, Hyperion), Jovis et Latonæ filius, solem repræsentans, augur, musarum antistes, poetarum, vatum et medicorum, unde horum artes Apollineæ, deus, jaculandi quoque artis auctor. Romæ templum ei a. U. C. 324. votum moxque dicatum memorat Livius 1). Post plura nactus, in quibus Apollinis Palatini, inter primaria urbis numina, ludis quoque publicis cultus est ab a. 542. 2). In sacris Apollini ponuntur laurus (Daphne), cygnus, cicada, lupus. Cognomina pæne innumera : a matre Latous, a locis Delius, Cynthius, Clarius, Delphicus, Pythius, Actius; in cæteris Pæan, Arcitenens, Argyrotoxus, Tortor 3). Forma deo florentis juventæ, intonsi crines, unde crinitus Apollo 4), caput interdum radians, interdum lauro cinctum; attributa lyra, sagittæ, pharetra, cortina, tripus.

1) 4, 25 et 29. — 2) Liv. 25, 12. — 3) Cf. Suet *Aug.* 70. — 4) Virg. *Aen.* 9, 638.

296. De Vesta supra diximus (§. 288.) Juno, Græcis

Ἥρη, filia Saturni, Jovis soror et uxor, cœli deorumque regina 1), nuptiis etiam præsidens, omnino mulierum præcipue numen 2), per quod et jurabant 3). Romæ cum Jove Capitolino conjunctam diximus (§. 290.) Vejis, ubi reginæ nomine colebatur 4), evocata (§. 331.), eodem nomine templum habuit in monte Aventino 5). Post plura accesserunt. Inter cognomina 6) Junonis pronuba, domiduca, jugalis 7), natalis, regina 8), matrona, domina, Lucina, patulcia, fluonia, sospita, Moneta, Argiva, Samia; sacra ei pavo, anser, calendæ; effigies matronæ regio cultu; in attributis diadema, velum (stellatum), sceptrum, thronus; nuntia Iris.

1) Virg. *Æn.* 1, 46. — 2) Cf. Plin. 2, 7, Sen. *Ep.* 110, Tib. 4, 6. — 3) Cf. Tib. 3, 6, 48, 4, 13, 15, Juven 2, 98. — 4) Ovid. *Am.* 3, 12. — 5) C. Liv. 5, 21 et 22. — 6) V. Kipping. *Antiqq. Rom.* p. 12. sqq. — 7) Apul. *Met.* l. 2, p. 121, *quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, et omnis Occidens Lucinam.* — 8) Cf. Juven. 12, 3.

297. Ceres, Græcis Δημήτηρ, terra mater 1), Saturni filia, mater Proserpinæ, frugum, et terræ colendæ, unde mansuetioris vitæ et civitatum legumque initia, inventrix, alma mater 2). Hinc Cereris munera, frumentùm, panis, etc. Jam sub Evandro, si Dionysium sequimur, culta, Ceres primum Romæ templum nacta videtur paulo post Reges ejectos (a. 258.), quo cum illa conjuncti Liber et Libera 3). In epithetis deæ ponùntur alma, flava, spicifera, mammosa (cf. Cybele et Tellus), tædifera, a filia quæsita, legifera (θεσμοφόρος), Eleusina (Eleusinia), Ennæa; in sacris Cereri fruges, papaver, porca 4), instrumenta rustica. Fingebatur habitu decoro, spiceam coronam capite, aut papavera, vel sola vel spicis mista, manu facem aut papavera, alias cornucopiæ aut falcem, aut hastam sine ferro gerens. Interdum in curru draconibus vecta, interdum Baccho sociata cernitur.

1) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 26. — 2) Cf. Virg. *Georg.* 1, 47. — 3) Cf. Dionys. 2, p. 26, 6, p. 354, Liv. 3, 55. — 4) Virg. *Georg.* 1, 212, Ovid. *Fast.* 1, 349.

298. Minerva 1), Jovis e capite nata, imago sapientiæ, cum bellica virtute pacis bona consocians, heroum comes (Pallas), poesis, medicinæ 2), omnino disciplinarum præses, nendi texendique artis 3), item oleæ inventrix, templo Capitolino Jovi et Junoni juncta (§. 290.), post multa Romæ habuit 4), in quibus Minervæ Captæ 5). In sacris deæ noctua, olea, cornix, gallus, serpens, portæ urbium, spolia, artificum instrumenta; in epithetis, præter alia sexcenta, custos (Polias), victrix, armipotens, virago, medica, musica, cæsia (γλαυκῶπις), Tritonia, Sunias. Effigies Minervæ virginis, lancea, clypeo (ægis) et galea, cum jubis, noctua, sphinge aut gryphibus, armatæ. Inter insignia etiam draco et oliva, et in manibus fulmen. Memorabilis Minervæ religionis pars Trojæ divinitus datum, a quo salus urbis pendebat, simulacrum, fatale Palladium, quod Romæ in templo Vestæ servari, vulgaris superstitionis famam fuisse diximus (§. 288.)

1) Mens, monens, etc. Cf. Cic. *de N. D.* 2, 26, 3, 24. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 827. — 3) Ib. 817. Cf. Tib. 2, 1, 65. Ab artibus deæ in linguam recepta *pingui*, *crassa*, *invita*, *tenui Minerva*, *texta Minervæ*, etc. — 4) V. Pitiscus in *templum*. — 5) Ovid. *Fast.* 3, 835. sqq.

299. Venus 1), generantis seque renovantis naturæ imago, dea amorum, mater Cupidinis (Amor, ἔρως), uxor Vulcani, Æneadum genitrix 2), nuptiis et connubiis præsidens, eadem gratiæ conjuncta voluptas (venus, veneres, venustas.) Cæterum, ut in plerisque deorum, plures occurrunt diverso ortu diversisque attributis, in quibus Dione 3). Templa Veneris Romæ, sub Cluacinæ 4) et Libitinæ nominibus, alterum a Tito Tatio, alterum a Servio Tullio con-

ditum, memorantur; sed Beaufort (v. I. p. 29.), nullum fuisse ante a. 458 5), existimat. Post plurima habuit, in quibus Veneris Erycinæ, victricis, genitricis, inde a Julio Cæsare inter primaria Romæ numina. Sacra Veneri passer, columba, hirundo, olor, iynx, myrtus, rosa, pomum, Aprilis. Cognomina pæne infinita; in quibus Frutis (?), Domina, mater amorum, barbata, calva 6), myrtea, Verticordia, Cytherea, Cypria, Paphia, Amathusia, Erycina. Fingitur oloribus, columbis aut passeribus curru, alias concha a Tritonibus aut Nereidibus vecta, sæpe cum Marte, Anchyse, Adoni, aut Mercurio juncta. In attributis insigne est pomum (Eris); in cæteris clavis, sagitta, arcus, flagellum, fax.

1). Inter etyma *venio* (Cf. Cic. *de N D.* 2, 27, 3, 24.) ἰνύω, βαίνω. — 2) Cf. Lucr. 1, 1. — 3) Cf. Cic. ib. 3, 23. — 4) Cf. Lactant. 1, 20. — 5) Cf. Liv. 10, 31. — 6) Cf. Lact. 1, 20.

300. Diana 1), Græcis Ἄρτεμις, Jovis et Latonæ filia, soror Apollinis, innuba, diva triformis 2), Hecate, in cœlo Luna (Phœbe), apud inferos Proserpina, partubus præsidens Lucina, a veneficis magisque invocata (§. 316.), venatrix venatorumque dea, nymphis (Dryades, Oreades) comitata. Romæ primum (?) templum habuit in monte Aventino a Servio Tullio dicatum, commune Romanis cum Latii populis 3), post plura nacta, in quibus Dianæ Aricinæ prope Ariciam, ad cujus religionem pertinet Rex nemorensis 4), et sub Lunæ nomine Livio memoratum (XL, 2.) Cultu sæpe cum Apolline, cumque eodem vulgo primariis urbis numinibus in sacrificiis precibusque sociata 5). In rebus Dianæ sacris canes, instrumenta venatoria, ferarum exuviæ et cornua arboribus suspensa 6); in epithetis Latonia, nemorum virgo, jaculatrix (ἐλαφηβόλος), Trivia, Cynthia, Delia, Orthosia, Ephesia, Taurica, Aricia (Nemorensis.)

Effigies est virginis succinctæ; in humero pharetra, in manibus arcus, sagitta, telum, faces. Alias curru junctis cervis aut bobus vecta, alias cervo aut geminis bobus insidens invenitur. Singularis species Dianæ Ephesiæ.

1) Dia Jana. Cf. Varro *de R. R.* 1, 37, Macrob. *Saturn.* 1, 9. — 2) Hor. *Od.* 3, 22. — 3) Cf. Liv. 1, 45. — 4) Cf. Suet. *Cal.* 35, Ovid. *Fast.* 3, 271. — 5) Cf. Liv. 5, 13, 25, 12, Hor. *Carm. Sæc.* et *Od.* 1, 21. — 6) Cf. Prop. 2, 15, 19.

301. E reliquis Diis Selectis Janum supra memoravimus (§. 287.) Saturnum 1), antiquissimum Italis agriculturæ numen, postea cum Crono Græcorum, Cœli et Terræ filio, temporis imagine, confusum, cœlo exulantem, a Jano exceptum, in monte, qui post Capitolinus adpellatus, habitasse, atque in Latio regnantem aureum sæculum condidisse, fama obtinebat; unde regna, tellus, mons, urbs Saturnia. Idem, quamvis Consentium deorum numero exclusus, Romæ insigni veneratione cultus, primum templum extremo maxime Regum tempore accepisse videtur 2). Sacra Saturno, ut inferorum numini (§. 350.), munera gladiatoria; in cognominibus ponuntur falcifer, vitisator 3), sterculius 4). Effigies est senis cana et promissa barba, alati; manu falcem (ἅρπη), alias prolem, devoraturus, alias serpentem in orbem curvatum, temporis imagines, tenet.

1) Inter etyma *satio; saturare*, etc. Cf. Fest. in *opima* et *Saturno dies*, Cic *de N. D*, 3, 24. — 2) Cf. Liv. 2, 21, Macrob. *Saturn.* 1, 7. 8. — 3) Cf. Virg. *Æn.* 7, 178. — 4) Macrob. 1, 7.

302. Pluto, Græcis vulgo Hades, idem Dis, tanquam dives, cui congruit etymon πλοῦτος, et Orcus quoque vocatus 1), Jovis frater, Inferorum deus, olim hostiis humanis placatus, templum Romæ Summani cognomine habuit, cum Pyrrho flagrante bello, dicatum 2). Sacra ei cupressus, narcissus, adiantum, crura victimarum; immolabantur ni-

gra animalia 3), in quibus bos et ovis. Inter cognomina Summanus i. e. summus manium, dubitante tamen Ovidio, an idem sit cum Plutone, Jupiter Stygius, umbrarum dominus, et similia, Vejovis, Februus (§. 336.), Feralis, Quietalis, Soranus 4). Effigies dei est senis barbati, vultu severo, in solio ex ebeno, aut curru vehentis; corona item ex ebeno, vel ex adianto aut narcisso; in manu sceptrum vel clavis; ad pedes sæpe Cerberus. Plutoni sociata rapta ab eo uxor Proserpina, Cereris filia, Inferorum domina, multa cognomina habens, in quibus Juno infera, profunda, Lucina et Averna, Hecate, Libera. In sacris Proserpinæ grana mali punicei 5), et vespertilio, in hostiis porca, et vacca sterilis. Plutonis ministræ Parcæ 6), Μοῖραι, Clotho, Lachesis, Atropos, fatidicæ 7), vitæ filum alia ducens, alia suscipiens, alia secans 8); Furiæ (Eumenides, Erinnyes, Diræ), etc.

1) Cic. *Verr.* 4, 50. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 6, 731. — 3) Cf. Tib. 3, 5, 33. — 4) Cf. Serv. ad *Æn.* 11, 785. — 5) Cf. Ovid. *Met.* 5, 536. — 6) Cf. Claud. *R. P.* I, 55. — 7) Cf. Virg. *Ecl.* 4, 45, Cat. 64, 305. sqq. — 8) Cf. Cat. ib. 310, sqq.

303. Liber (Bacchus; Lœbasius), Semele et Jove (Dionysus), in mysteriis Proserpina matre genitus, vitis colendæ vinique auctor et deus (Bacchus, Bacchi munera etc.), almæ naturæ, et vitæ sociatæ imago 1), lætitiæ dator, tragicorum, omnino poetarum deus, templum Romæ commune cum Cerere et libera (§. 297.), et alia propria habebat. Sacra ei vitis, vindemiæ instrumenta, hedera et serpens, utrumque perpetuæ juventæ signum, panthera, tigris, ut cuncta domanti; inter victimas præcipua caper; inter cognomina innumera 2) Thebanus, ab Assyrio et Indico distinctus, Bassareus, Bimater, Bromius, Lyæus, Eleleus, Euan (evoe), Jacchus, Lenæus, λικνίτης 3). Frequens et patris nomen 4); et congruit, quod interdum bar-

batus facie senili 5) fingebatur, idem plerumque florente juventa 6), caput hedera, pampino, aut mitra cinctus, cum aureis cornibus, parum eminentibus, manu thyrsum (thyrsiger), alias clavam, quandoque tergo pellem capreæ, aut pantheræ gerens, quandoque cothurnatus, sæpe curru vectus, junctis tigribus, lyncibus, leonibus, inprimis pantheris.

1) *Liber et Alma Ceres*, Virg. *Georg.* 1, 7. — 2) Ovid. *Met.* 4, 11. — 3) Cf. Vig. *Georg.* 1, 166. — 4) Cf. Hor. *Od.* 3, 3, 13. — 5) V. Macrob. *Satur.* 1, 18. — 6) Cf. Tib. 1, 4, 33.

304. Tellus (cf. *τέλλω*), Græcis *γαῖα*, terra, Urani uxor, omniparens mater, cum Ope, Rhea et Cybele confusa, templum Romæ suo nomine vetustissimum habuit, ædem Tulluris 1), proprii etiam cultus sero vestigia servans. Placabatur porco 2).

Sol (cf. *σέλας* et *solus*), Græcis Ἥλιος, Hyperione et Thia genitus, Phaethontis et Heliadum pater, manente proprio cultu, cum Apolline confusus, templa Romæ antiquiora, unum cum Luna commune habuit. Nova eidem templa condiderunt Heliogabalus, introducto Syrorum Solis cultu, et Aurelianus. Inter nomina Solis Titan, Hyperion, Mithras; epitheton solenne aureus. Effigies est juvenis radiante capite; invehitur quadrigis; comites Horæ, prænuntia soror Aurora.

Luna (cf. *lux* et *Lucina.*), Græcis Σελήνη, Solis soror, ut cum Apolline Sol, sic illa cum Diana communia quædam habens attributa et nomina 3). Cultus etiam ex parte in Dianam translatus, manentibus tamen propriis Lunæ templis 4), quæ Romæ plura fuerunt, Fingebatur manu facem gerens, in capite cornua, unde Horatii 5) *siderum regina bicornis.* Invehitur curru junctis equis aut cervis. Memoratur etiam masculum numen Lunus.

1) Cf. Liv. 2, 41, Cic. *p. Dom.* 38, Liv. 39, 22. — 2) Cf. Hor. *Ep.* 2, 1, 143.—3) Cf. Hor. *Carm. Sæc.*—4) Cf. Tac. *Ann.* 15, 41.—6) Ib. 35.

305. Genius (a *geno*, gigno), iis, quæ hic attingimus, ad Romanorum magis quam ad Græcorum religionem pertinens, tutelare cujusvis hominis et proprium numen, quem cum eo simul nasci et interire, vitæ quoque ejus et sortis socium et quodammodo eundem cum homine credebant 1); unde pendet indulgere genio, placare 2), defraudare 3), male, bene habere genium; genialis, lectus, dies, etc.; neque ob eam rem minus mortuorum etiam genios placabant 4). Quidam duos statuunt, album et atrum 5), alii eundem modo album, placidum, modo atrum, infensum, dicebant. Placabatur floribus, vino 6), ture, libis 7), interdum et hostiis 8); floribus etiam et fronde effigiem ejus, inter lares, quibus a nonnullis adnumeratur, positam ornabant; cæterum Saturnalibus præcipue et die natali 9) venerantes. Jurare etiam per genium et precari mos erat 10). Fingebatur et alatus et sine alis, circum tempora flores; vulgo serpentem et pateram, sæpe alterutrum cum cornucopiæ tenet; additur et ara interdum. Locis etiam genius suus, ut fontibus, urbibus, horreis, denique ipsis nonnunquam diis tribuitur 11).

1) Cf. Hor. *Ep.* 2, 2, 187. — 2) Cf. Hor. *A. P.* 210. — 3) Cf. Ter. *Phorm.* 1, 1, 10. — 4) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 545. — 5) Hor. *Ep.* 2, 2, 189. — 6) Hor. *Ep.* 2, 1, 144. — 7) Cf. Ovid. *Am.* 1, 8, 94. — 8) Hor. *Od.* 3, 17, 14, 4, 11, 7. — 9) V. Censor. de *Die Nat.* c. 2, Ovid. *Trist.* 3, 13, 13. sqq. Cf. Pers. *Sat.* 2, 3. — 10) Cf. Sen. *Ep.* 12, Suet. *Cal.* 27. — 11) Cf. Genius Priapi, Petron. 21.

306. Præter selectos deos plurima sunt Romanorum numina, majoribus non adscripta, neque tamen in minoribus ponenda, et ex parte cum majoribus alii aliis confusa. Ex eo genere indigena nonnulla memoravimus supra (§. 388.); peregrina autem huc trahenda Cybele, et Ægyptiorum se-

rius Romæ culta numina, Osiris, Serapis, Anubis, Harpocrates, quos hic nominamus tantum, insignique mulierum, etiam nequissimarum superstitione culta Jsis 1), capite cornibus, interdum globo inter cornua suspenso, loti flore aliisque insignis, manu, ut sacerdotes ejus (turba linigera, Pharia), sistrum tenens 2).

Cybele autem (Κυβέλη et Κυβήβη. Cf. κύβος), a Græcis cum Rhea et Vesta, ideoque a Romanis cum Ope et Tellure etiam confusa (§. 304.), mater deorum, hominum et ferarum, terra omnia gignens, eademque per terræ et agriculturæ dona melioris vitæ origo, atque urbium præses 3), ab a. U. C. 547. Romæ, monentibus libris Sibyllinis culta, legatis ad regem Attalum missis, deam, cujus simulacrum lapis quadratus, de cœlo, ut fama ferebat, lapsus, petituris: quæ ad Tiberis ostia solenniter excepta, et in urbem, casta Claudia navem trahente, delata, primo in Victoriæ, post in propriis templis culta est, novis etiam ad antiquiora Opalia festis, Megalesiis, et Lavatione Matris deum, adjectis 4). Inter Cybeles nomina Magna Mater, Pasithea, Jdæa, Dindymene, Berecynthia, Bona Dea; quatenus hæc (§. 308.) aut eadem, aut cum Cybele confusa fuit. Effigies matronæ velato capite, naturæ semet celantis, et, præcipuo deæ insigni, corona murali cincto; dextra sceptrum, sinistra tympanum, musices mores hominum mansuefacientis indicium, tenens, curru per terrarum orbem, leones agitans, aut leoni insidens, invehitur. Adjiciuntur quandoque spicæ, alias a dextra sol, a sinistra luna.

1) Cf. Ovid. *Am.* 1, 8, 74, Prop. 2, 31, Tib. 1, 3, 23, Juven. 6, 489 et 526. — 2) Cf. Ovid. *Am.* 3, 9, 33, *Met.* 9, 685. sqq. — 3) Cf. Lucret. 2, 598. sqq. — 4) Cf. Liv. 29, 2, sqq., Ovid. *Fast.* 4, 257. sqq.

307. E minoribus vero diis divi novensiles, quos alii novos sive nuper receptos, alii novem deos, quidam Musas

fecerunt 1); nec alio trahendi, quos a novensilibus distinguit Livius 2), dii indigetes; quo nomine universe indigenæ ab aliunde inductis discernuntur, arctiore autem vocis sensu heroes (semones) sive homines inter deos relati 3). Tales apud Romanos censentur Janus (§. 287.), Picus, Faunus et Æneas, Pater et Jupiter Indiges 4). Iis Quirini nomine accessit Romulus (§. 286.); nec diversi ordinis Cæsares diis additi. Græcorum porro deorum huc referendi Castor et Pollux, Hercules et Æsculapius. Ex his Castor et Pollux (Dioscuri, Tyndaridæ, Gemini, Castores) propitia navigantibus 5) et omnino mortalibus numina. Qui Romanis auxilio in pugna ad lacum Regillum venisse crediti (§. 139.), exin templum Romæ habuere 6). Per utrumque jurabant, unde *Pol, edepol, ecastor, mecastor* 7). Herculem cum Sanco confusum supra diximus (§. 285.) Ejus Romæ cultus, ad quem et Ara Maxima pertinet 8), a fabuloso in Latio adventu et juncta cum Evandro amicitia repetitur (§. 37.) Templa memorantur plura, in quibus commune cum Musis, Herculis Musagetæ 9). Æsculapius autem, grassante peste, monente oraculo, Romam ab Epidauro, serpentis specie, translatus, templum celebratissimum habuit in insula Tiberina 10).

1) Cf. Arnob. *adv. Gent.* l. 3, Varro *de L. L.* 4, p. 20. — 2) 8, 9. — 3) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 8, Serv. ad. Virg. *Georg.* 1, 498, Gell. 2, 16. — 4) Cf. Liv. 1, 2, Tib. 2, 5, 44, Virg. *Æn.* 12, 794. — 5) Cf. Hor. *Od.* 1, 12, 25, 4, 8, 31. — 6) Cf. Liv. 2, 20, 9, 43, Cic. *de N. D.* 3, 5, Suet. *Cal.* 22. — 7) Cf. Gell. 11. 6. — 8) V. Ovid, *Fast.* 1, 581, Prop. 4, 10. 9) Cf. Ovid *Fast.* 6, 799, Suet. *Aug.* 29. — 10) Cf. Liv. 29, 11, Ovid. *Met.* 15, 622 sqq., *Fast.* 1, 289, Suet. *Claud.* 25.

308. Ulterior minorum numinum e locis, muneribus, aliisque causis distinctio (§. 289.) talis reperitur, ut segregari ab iis commode nequeant majores. In rusticis 1)

ponuntur Pan, Faunus, Sylvanus; Terminus, Priapus, Vertumnus, Pomona, Pales, Flora, etc.

Pan (cf. πάω et πᾶν), Romanis Lupercus (lupos arcens? Cf. Lyceus.) etiam et Inuus, in Arcadia natus (deus Arcadiæ, Tegeæus), pastorum deus, montes, pascua (Lyceus, Mænalus) et fistulam (§. 444.) amans 2), nymphis insidians, forma inter hominem et feras media, facie rubra, capite cornuto, pedibus caprinis, vulgo syringa tenens; idem inter celebratissima antiquitatis numina, in Latio autem, ut vulgaris fama 3), Evandro, Arcade, auctore cultus; quo referenda Lupercal et Lupercalia (§. 327.) Placabatur melle et lacte. Pani adsimilatus Faunus, indigena Italorum agrestis deus, cui agnos et hœdos immolabant 4). Nomen, si Faunus 5) a *favendo*, Evandro, i. e. bono viro, convenit, quem a Fauno exceptum fabula narrat 6). Fauni uxor Fauna 7), eademque Fatua, fortasse a fando 8), utpote fatidica, adpellata, sic nomine et arte cum Carmenta, Evandri matre, congruens. Faunæ porro nomen convenit Bonæ Deæ, quam Faunam, neque ab Ope (Maja, Cybele) diversam esse fingunt, suppressoque arcano nomine, Bonam vocari 9). Cæterum, eadem Damia 10) dicta, unde damium (publicum a δήμιος?) sacrificium et damiatrix (?) Mystica ejus sacra fuisse et a matronis, sacrificantibus Vestalibus, exclusisque severe viris, in domo Pontificis M. Consulumve aut Prætorum celebrata, notissimum 11); mysteriis Cereris aut Cybeles similia suspicantur magis, quam arguunt viri docti 12). Pani et Fauno associantur Satyri, Sylvani et Sileni.

1) Cf. Virg. *Georg*. 1. init. — 2) Cf. Tib. 2, 5, 27. — 3) Cf. Ovid. *Fast*. 2, 279. — 4) Cf. Hor. *Od*. 1, 4, 11, 1, 17, 3, 18. — 5) Cf. Macrob. *Saturn*. 1, 12. — 6) Cf. Wachsm. p. 103. — 7) Cf. Lact. 1, 21. — 8) Cf. Creuz. *Symbol*. v. 1. p. 51. — 9) Cf. Macrob. l. c. — 10) V. Fest. in *Da-*

mium. — 11 Cf. Cic. *ad. Att.* 1, 12, *p. Mil.* 5, *de Har. Resp.* 17, Tib. 1, 7, 22, 3, 5, 7, Dio. Cass. 37, 45. — 12) Cf. Arnob. *Adv. Gent.* l. 5.

309. Sylvanus, indigenum hic quoque apud Italos numen 1) et magno in honore, ad sociatæ in sylvis vitæ initia pertinens, arboribus gaudens, *δενδροφόρος* 2), idem limitum rector, omninoque agriculturæ præsidens, cæterum, modo cum Fauno et Pane confusus, modo distinctus, sæpe etiam cum Marte Sylvano comparatus. Sacrificabant ei viri tantum (?), uvis, vino, alias porco placantes 3). A puerpera infensum arcebant Intercidona, Deverra et Pilumnus, quos invocantes, edito statim infante, familiares tres domum circumibant, unus limen securi incidens, alter pistillum immittens, tertius scopis verrens 4). Fingebatur falcem putatoriam, pinum aut cupressum gerens 5).

1) Cf. Virg. *Aen.* VIII, 600. — 2) Cf. Virg. *Georg.* 1, 20. — 3) Cf. Hor. *Ep.* 2, 1, 143, *Epod.* 2, 22, Juven. 6, 447. — 4) V. Aug. *de Civ. D.* 6, 9. — 5) Cf. Virg. l. c., et Pitiscus in *Sylvanus*.

310. De Termino supra expositum (§. 283.) Priapus, aliis Mercurio, aliis Baccho genitus, Lampsaci præcipue cultus, enormi inguine ubertatis imago, Ithyphallus, unde priapeia, vitreus Priapus, etc., ruris et inprimis hortorum deus 1). Effigies ejus, vulgo lignea, alias puer, deformi pinguedine, facie et corpore rubris, plerumque minio tinctis, alias vir, horrido capillo, barba longa. Manu falcem, clavam vel utrumque, interdum cornucopiæ aut varias in sinu fruges, in capite coronam hederaceam gerit. In cognominibus ejus custos, tutor hortorum, Mutinus 2), Jthyphallus, Lampsacius, Hellespontiacus. De amoribus Priapi, unde asinum ei sacrificandi mos deducitur, videndus Ovidius, *Fast.* I, 391, VI, 319.

1) Cf. Hor *Sat.* 1, 8, Virg. *Georg.* 4, 111, Catull. 19 et 20, Tib. 1, 4, init. — 2) Cf. Lact. 1, 20.

311. Vertumnus (ab anno vertente, ab amne verso, a mercibus vertendis 1), vetus et hic Italorum (Etruscorum?) numen, anni vicissitudinum, et ab iis pendentium agriculturæ et hortorum, secundum quosdam et mercaturæ moderator, omnino naturæ perpetuo variantis imago; unde varias usque, Græcorum Protei instar, figuras induere credebatur. Romæ templum habebat in vico Tusco 2). Ut agrestis deus, alias superne nudus fingebatur, in capite coronam gramineam, manibus fructus aut cornucopiæ, alias tecto corpore, spicis coronatus, in tergo pellem ferinam, manu cultrum putatorium ferens. Vertumni uxor Pomona 3), nympha, hortorum et frugiferarum arborum cultu gaudens, quam, sub anus specie decipiens, subito in juvenem mutatus, votis obnoxiam habuit. Fingitur circum comas et in utraque manu fructus gerens, modo vestita, modo nuda, arbori acclinis, suspensis in corbe fructibus.

1) Cf. Prop. 4, 2, 10, Ovid. *Fast.* 6, 410. — 2) Cf. Hor. *Epist.* 1, 20, 1. — 3) Cf. Ovid. *Met.* 14, 623.

312. Pales (cf. parere, palare, πάω) numen pabuli et pastorum (§. 38.), gregibus tabem et feras arcens 1), idem aliis fœmininum, aliis masculum; cæterum, quandoque terræ omniparentis notione nobilitatum, cum Vesta et Cybele confusum. Flora, cum Græcorum Chlori 2) comparata, segetis, arborum vitisque florentis, omnino florum dea 3), terræ florentis regno a Zephyro donata, qui, fugientem assecutus, uxorem duxit. Cultum ejus Romam a Tatio translatum ferebant; festorum (ludi Florales, Floralia) singularis lascivia 4); effigies est juvenilis, floribus ornata. Inter reliqua agrestium numina referuntur Seja, Tutelina, Matura, Deus Sator, Insitor, Occator, Stercucius, Robigus, Messor. Denique adjiciuntur nymphæ Oreades, Napææ, Dryades, Hamadryades, et si quæ aliæ.

1) Cf. Virg. *Georg.* 3, 1, Ovid. *Fast.* 4, 747, Tib. 1, 1, 16, 2, 5, 28. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 5, 195. — 3) Ib. 5, 212. — 4) Cf. ib. 183 et 331.

313. Plebejorum deorum vocabulum, quod rusticis datum invenio, minoribus omnino convenit et infimi ordinis 1), quales, præter modo nominatos, Fornax (§. 336.), Limentinus, Forculus (foriculus), Mephitis, Cloacina (?), Libitina 2) et Nænia, funerum deæ, Pertunda, 3), Stimula, Levana, pueros (§. 83.) levans, tollens 4), Cunina, (a cunis), Nundina (§. 483.), Orbona, Laverna, furum 5). Denique huc trahere possis Deum Rediculum, Aium Locutium 6), Vaticanum, aliosque sexcentos, quos, ut absurda inprimis numina, christianæ ecclesiæ patres irrisere 7). In marinis autem diis (aquatiles, littorales) Oceanus, Tethys, Neptunus, Amphitrite, Glaucus, Nereus, Leucothea et Palæmon (Matuta, Portumnus). Comites et ministri Tritones, Nereides; accedunt fontium (Naides), fluminum et lacuum nymphæ et numina. A locis pariter vocantur Dii Inferi (§. 302.), queis opponuntur Superi, diverso etiam in nonnullis rebus colendi ritu. A muneribus autem nomen habent dii Averrunci, tanquam mala avertentes, averruncantes 8), iidem Græcis ἀποτρόπαιοι et ἀλεξίκακοι; Nuptiales, in quibus ponuntur Jupiter, Juno, Venus, Diana; Nixi, a niti, eniti, i. e. parere, nixu edere 9), a parientibus invocati 10). Adscribi eidem ordini possunt Viales (Semitales), Terminales, alii. Alia est nominis ratio in genialibus, genitalibus, natalitiis, tributariis, etc. Denique publicis et privatis dii discernuntur, illi universæ sive urbi sive populo communes, hi singulis, sive familiis, gentibus (§. 79.), sive hominibus proprii. Ad utrumque genus pertinent Lares et Penates.

1) V. Arnob. l. 4. p. 130 sqq. — 2) Cf. Hor. *Od.* 3, 30, 7. — 3) Aug. *de C. D.* 6, 9, Arnob. l. 4. — 4) Aug. *de C. D.* 4, 11. — 5) Hor. *Ep.* 1,

16, 60.—6) Cf. Liv. 5, 50.—7) Cf. Aug. *de C. D.* 4, 16.—8) Cf. Cat. *de R. R.* c. 141, Varro *de L. L.* 6, p. 81, Liv. 8, 6. — 9) Cf. Virg. *Georg.* 4, 199. — 10) Cf. Ovid. *Met.* 9, 294, Fest. in *Nixi Dii.*

314. Lares, una e pluribus fabula 1), Mercurio et Lara vel Larunda (λάλη) geniti 2), primario munere ædium tutores (præstites), hinc patrii 3), domestici et familiares, sed iidem viis quoque, agris et urbibus præsidentes, hinc publici, viales, compitales, agri custodes, vocantur. Distinguuntur et marini, rustici, militares. Effigies Larum, puerili specie, pelle canina tectæ, circa focum ponebantur, genii focorum, dii laterani 4); unde lararium; lar pro foco, domo, etc.; addebatur vulgo canis, fidus homini comes. Cæterum, religiosissime eos Romani colebant; vinum, thus et far, de cibis etiam in patella offerentes 5), Calendis Majis, nec non festis diebus florea corona aliisque ornantes, frugum primitiis, libis, uvis donantes, interdum agnum porcumve 6) aut vitulum mactantes.

1) Cf. Arnob. l. 3. — 2) Ovid. *Fast.* 1, 616, 5, 135 et 140, Lact. 1, 20. —3) Tib. 1, 10, 15.—4) Cf. Arnob. l. 4.—5) Cf. Plaut. *Aulul.* prol. v. 23, *Cistell.* 2, 1, 46, ubi *di patellarii* dicuntur, Tib. 1, 1, 37. — 6) Cf. Tib. 1, 11, 25. Hor. *Sat.* 11, 3, 164.

315. Cum laribus atque adeo cum Geniis (§. 305.) sæpe confusi Penates 1), tanquam penitus sive intus stantes, vel, ut alii volunt, a penu adpellati 2), certe in templorum et ædium penetralibus, utpote et ipsi domestici simul et publici, neque alibi aut culti aut collocati, atque hoc ipso a Laribus distincti. Aliud discrimen adferunt antiquarii, quod Lares humanæ, Penates divinæ originis habiti. Romanorum Penates ab Ænea in Latium translatos, fama erat; sed quinam illi fuerint deorum, inter veteres quoque controversia; quidam Jovem, Junonem et Minervam censebant, alii Vestam aut Mercurium adjiciebant 2). Cæterum, constat,

non eosdem omnibus aut civitatibus aut familiis Penates, sed varios, et in eorum numero horoes quoque fuisse. In cultu multa cum Laribus communia; utque *lar* sic *penates* vulgo pro domo usurpatum. Penatibus antiquitus infantes immolatos esse, tradunt. Imagines eorum e cera, ligno, aut alia materia, multiplici specie, in aula interiore (impluvium) ponebantur 3); unde dii penetrales dicti 4); iidem patrii, Græcis γενέθλιοι, aliisque nominibus.

1) Cf. Vig. *Æn.* 8, 543. — 2) Cf. Sen. *OEdip.* 265, Cic. *de N. D.* 2, 27. — 3) Cf. Macrob. *Saturn.* 3, 4. — 4) Cf. Virg. *Æn.* 2, 512. — 5) Sen. l. c.

316. Supersunt virtutum et potentiarum, uti vocant, morborum, et siqua aliis insuper nominibus numina, ex voto pleraque aut occasione quadam, sæpe levissima, cultu divino, aris, sacellis templisve honorata 1); velut Salus, Felicitas, Fortuna, Victoria, pluribus ea Romæ templis culta, Pietas, Libertas, Pax, Concordia, Fides, Spes, Volupia, Quies, Pavor et Pallor 2), Febris, Pudicitia, Bona Mens, Tempestas, Fortuna Virilis, Fortuna Muliebris. Denique ipsam Romam templis in provinciis et in Urbe pro numine cultam diximus (§. 39.); quominus mirandum, eundem Senatui et Cæsaribus (§. 324) honorem contigisse 3).

Religionem Romanorum non tam variæ superstitionis labe inquinatam quam meram superstitionem fuisse, non opus est monere. Mulierum superstitione insignem diximus Isidis cultum (§. 306.) Amatoriæ pariter magnam partem sollicitudinis et nequitiæ numen Diana (§. 300), a magis, quo referuntur venefica, saga, sagana; Thessalis, lamia 4), solemnibus formulis invocata, et potentibus carminibus, quorum vis æris sonitu frangi, persuasio, adesse coacta, cumque canibus ululantibus adparens. Antiquissima hujus superstitionis et celebrata sedes Thessalia 5). Cæterum eodem

trahendi herbarum, succorum, aliarum rerum magicus usus, et amori excitando, cogendo, pacando, avertendo, rivali torquendo, philtrorum multiplex adparatus 6). Hinc venena thessala, colchica, herbæ nocentes; cantus magicus, incantare, incantamentum; cantu deducere Lunam; iynx, rhombus, etc. Nec parva, et magicæ conjuncta sæpe superstitio de mortuorum animis (umbræ, manes, lemures, unde lemuria §. 206.), quæ, circum sepulchra errantes, incantamentis pariter obnoxiæ habebantur 7), eædem magna cum pietate cultæ.

1) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 11. — 2) Cf. Liv. 1, 27, Lact. 1, 20. — 3) Cf. *Tac. Ann.* 14, 31. — 4) Hor. *A. P.* 345. — 5) V. Apul. *Met.* l. 2. init. Luc. 6, 435. — 6) Cf. Theocr. Idyll. 2, Virg. *Ecl.* 8, 64. *Æn.* 4, 487 et 509, Ovid. *Met.* 7, 174, sqq., *Am.* 2, 1, 23, Tib. 1, 5, 11 et 1, 9, 17, Prop. 4, 5, Hor. *Sat.* 1, 8, 17, *Epod.* 5, *Od.* 1, 27, 21, Juven. 6, 610. — 7) Cf. Hor. *Sat.* 1, 8, 27.

DE SACERDOTIBUS.

317. Sacerdotis 1) honos, primis Romæ sæculis patriciorum (§. 130.), postquam cum plebe, nec sine sacerdotiorum aliquot exceptione 2), communicatus est, tum quoque nonnisi honestissimis civibus mandabatur. Neque tamen, vel sub ipsis civitatis incunabulis, quod apud veteres gentes nonnullas institutum reperimus, Romæ sacerdotes separatam civium classem, sive, ut ajunt, rempublicam in republica fuisse, censemus; licet contrarium nuper viris doctissimis placuerit (§. 103, not.) Initio omnes, excepto Pontifice M., a collegiis suis cooptabantur; post creandi jus populo cessit (§. 148.) Munus, nisi gravis culpa adimeret, in vitam tenebant. Lectos consecrabat Pontifex M. Sacerdotii auspicandi solennitatis cœna aditialis 3).

Inter sacerdotes antiquarii distinguunt Romanos a peregrinis, et singulorum cultui dicatos ab iis, qui sunt vel plurium vel omnium deorum. Distinguendi etiam a sacer-

dotibus ministri sive adjutores eorum. Singulis numinibus dicati memorantur Flamines, Virgines Vestales, Salii, Luperci, Galli; alterius generis sunt Pontifices, Augures, Haruspices, Quindecimviri sacris faciundis, Septemviri Epulones, Fratres Arvales, Fetiales, Curiones, Sodales Titii, Rex Sacrorum.

1) A *sacer*, quod quidam a σῆκος, septum, fanum. — 2) Quo trahendi Salii, Flamines et Rex sacrorum. Cf. Cic. *p. Domo.* 14. — 3) Cf. Plin. *H. N.* 10, 20, Sen. *Ep.* 95 et 123, Hor. *Od.* 2, 14 extr.

SACERDOTES NON SINGULORUM DEORUM.

318. Pontifices 1) Numa instituit 2). Initio, nescio, an unus, post quatuor patricii 3), a. 459. totidem de plebe aucti; postremo, septem a Sylla adjectis, quindecim fuere. Hi, universo deorum cultui sacerdotumque disciplinæ præfecti, ut sacra publica rite fierent, privata etiam ne negligerentur, curantes 4), fastos quoque, sive dierum ab religione pendentem distinctionem (§. 359.) ordinabant 5), et in litibus cum religione conjunctis judicabant, unde jus pontificium 6), arrogationi (§. 89.) etiam et confarreationi (§. 477.) præsentes.

Præses collegii amplissimi Pontifex Maximus, populi suffragiis, et ad a. U. C. 510. e patriciis creatus. Distinguuntur etiam Pontifices majores et minores; quo nomine alii olim scribas Pontificum, alii a Sylla additos adpellatos volunt. Pontificis M. præcipua cura cultus Vestæ et sacerdotum consecratio. Antiquitus annales quoque conficiebat, qui annales Pontificum, annales maximi vocantur 7). In causis ad religionem spectantibus e collegii sententia pronuntiabat, magna auctoritate, neque tamen sine provocatione 8). Idem, munere per vitam fungens, cum Rege sacrificulo Regiam incolebat 9). Dignitatem ejus maximam Cæsarum titulis accessisse, supra docuimus (§. 222.) In cæteris refertur,

quod antiquitus Italia excedere ei non licebat 10), et quod tacto (viso tantum?) cadavere contaminari censebatur. Insignia Pontificum prætexta et pileus acutus 11).

1) Dictos volunt tanquam pontem, Sublicium (§. 47.), facientes, vel in eo facientes, i. e. sacrificantes. Cf. Lyd. 2, 4, Dionys. l. 2. p. 132, Varro *de L. L.* 4, p. 22. — 2) Cf. Liv. 1, 20. — 3) Cf. Liv. 10, 6. — 4) Cf. Liv. 1, 20. — 5) Cf. Liv. 9, 46. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 1, 10. — 7) Cf. Beauf. *Incertit.* p. 1. c. 4. — 8) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 19. sqq., Beauf. *Rep. R.* p. 36. — 9) Cf. Suet. *Cæs.* 46. — 10) Cf. Liv. 28, 38 et 44, et ep. l. 59. — 11) Galerus, unde galeritus; apex; tutulus, tutulatus, Varro *de L. L.* 6, p. 75. V. §. 454.

319. Romani, publice nil magni momenti non consultis diis gerentes, aliarum gentium instar, eorum voluntatem signorum quorundam observatione explorabant. Quæ observatio, jus observandi, ipsaque signa augurii 1) et auspicii 2) vocabulis adpellantur. Neque minus privatim, ut apud Græcos, vulgaris auguriorum ominumque, sive prodigiorum, ostentorum, monstrorum, dirarumque superstitio 3); unde discernuntur publica a privatis. Horum infinitus et numerus et interpretationis varietas: signa e quadrupedibus, plantis, aqua, igne, etc.; prurigo pedum, crepitus dentium, sonitus flammæ, pes offensus, visus lupus, vultur, bubo, sexcenta alia 4). Rebus publice agendis auspicia capiendi jus (auspicia) non Augures, sed, ut par erat, iidem, quibus agendi potestas, habebant, ideoque magistratus 5). Horum igitur auctoritate auspicantes Augures, ipsi tamen auspiciorum, fausta riteque capta, necne sint, judices atque interpretes (§. 150.), si quid contra peccatum, veluti vitio creatis magistratibus, etiam, ut sane opinor, non interrogati, ad senatum referebant 6). Augurum collegium, a Numa, ut ferunt, institutum, initio tribus, dein novem, postremo quindecim sacerdotibus

compositum. Princeps eorum Augur Maximus, idem magister collegii dictus. Insignia memorantur vestis (læna) auguralis, trabea, corona oleaginea, apex; manu lituum tenebant 7).

Consulebantur vulgo Augures in gravioribus rebus, et ominibus avertendis placandoque numini sacrificia aliaque præcipiebant; sed primarius usus in comitiis (§. 150.) Auctoritas in republica, ut firmandæ patriciorum potentiæ inventa, certe accommodata, sic ab his postremo etiam libertatis tempore severe custodita 8). Hinc amplissima sacerdotii dignitas, a primoribus viris plerumque quæsita.

1) Ab *avis*, ut vulgo interpretantur, et *gerere*, tanquam *avigerium*. Cf. Serv. ad. *Æn.* 5, 523, Fest. in *augur.* — 2) Ut auspex, ab *avis* et *spicio*, quasi *avispicium*. — 3) Cf. Cic. *de Div.* 1, 16. — 4) Cf. Juv. 13, 62. Hor. *Od.* 3, 27, Tib. 1, 3, Liv. 21. ult. 22, 1. — 5) Cf. Cic. *de Div.* 2, 36. — 6) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 4, *de Divin.* 2, 35. — 7) Cf. Liv. 1, 18, Virg. *Æn.* 7, 187. — 8) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 13, *de Divin.* 1, 39, *de N. D.* 2, 3.

320. In publicis auguriis distinguuntur avium spectio, de cœlo servare (§. 151.), et belli auspiciis peculiares pulli. Inter signa ad spectionem de cœlo referuntur inprimis tonitrus et fulmen (§. 151.) Avium quæ cantu signum dant, oscines, tanquam obcinentes, quæ volatu, alites et præpetes vocatæ. Inter oscines cum aliis multis parus, corvus 1), bubo 2), inter alites aquila, milvus, cornix 3). Sunt etiam, ut sane videtur, quæ oscines simul et alites, neque omnes, opinor, voce juxta et volatu aut felices aut infelices 4); denique alias a dextra, alias a sinistra ratum facere, colligimus e Cicerone 5). Pullorum sacrorum auspicii gratia Augures imperatorem sequebantur; quo trahendi pullarii et auguraculum. Pulli avide edentes, quod tripudium 6) solistimum vocant 7), boni ad confligendum, non edentes mali ominis. Militare etiam auspicium, quod

ex acuminibus, scilicet telorum 8), de quo admodum obscura est quæstio, item, quæ peremnia, *per amnem* scilicet transituri, dicuntur 9).

Auspicandi, sive avium modo, sive de cœlo etiam spectionis, hæc fere ratio erat. Augur post mediam noctem, tempestate serena, edito in loco, velut in Arce Capitolii, qui locus auguriis solennis 10), sacrificio facto, precibus dictis, velato capite, vultu in Meridiem (in Orientem?) verso considens, postquam lituo 11) certum cœli spatium circumscribens, quo refertur templum 12) capere, notasset, in hoc signa exspectans intuebatur 13). De signis fere convenit, a læva manu fausta 14), a dextra infausta fuisse; cæterum nec privata auguria cum publicis bonis malisve signis plane congruunt, et, ambigua in utrisque multa relinqui, quis miretur? De aliis multis controversia.

1) Cf. Hor. *Od.* 3, 27, 1 et 11, Phædr. 3, 18, 12. — 2) Cf. Ovid. *Met.* 15, 791. — 3) Cf. Phædr. l. c., Virg. *Ecl.* 1, 18, Hor. 3, 27, 16. — 4) Cf. Hor. ib. 16. — 5) *De Divin.* 1, 59. — 6) Etymon Cicero facit *terripavium*, cibo scilicet ex ore cadente et terram paviente, i. e. feriente; nec aliud velle diceres solistimum, de quo ap. Fest. *solistimum — esse tripudium; quod avi excidit ex eo, quod illa fert* —; eodemque referunt tripudium sonivium, a sono cadentis cibi. Cf. Cic. *ad Div.*, 6, 6, Serv. ad *Æn.* 5, 90, Fest. in *sonivio.* — 7) Cf. Cic. *de Divin.* 2, 34, Plin. *H. N.* 10, 21. — 8) Cf. Cic. *de Div.* 2, 36, *de N. D.* 2, 3. — 9) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 3, Fest. *peremne.* —10) Cf. Liv. 1, 18, *deductus in Arcem*, et Cic. *de Off.* 3, 16, *in Arce augurium acturi essent.* — 11) Cf. Cic. *de Div.* 1, 17. — 12) Aliud tabernaculum capere (cf. §. 169.), ut monet nota ad Nieup., qui templum cum tabernaculo confudit. — 13) Cf. Liv. 1, 18. — 14) Cf. Nieup. s. 4. c. 2. §. 3. Cf. Ovid. *Ib.* 128, Cic. *de Div.* 1, 7.

321. Haruspices, ab *haruga, aruga*, i. e. victima, et *spicio* 1), ab Auguribus munere differunt: hi maxime, an rebus publice gerendis numen annueret, e signis intelligebant; Haruspices contra e prodigiis (portentum, monstrum), unde prodigiatores dicti sunt, futura nuntiabant, iidem im-

minentibus malis avertendis facienda et indicantes et curantes; unde prodigia procurare 2). Ars interpretandi prodigia, haruspicina, apud Etruscos antiquissimis temporibus præcipue exculta; hinc religio mature Romam traducta, et seriore quoque ævo cum adolescentes ad disciplinam discendam in Etruriam missi, tum sæpe haruspices inde arcessiti 3).

Ipsa autem prodigia, quod omnino de auguriis ominibusque diximus, multiplicis generis, cœlestia, animalium, plantarum, etc., ideoque variis modis procurata 4). Huc referenda fulguris condendi cæremonia, a quo dicti fulguratores, et e locis religiosis (§. 94.) bidental 5). Sed primarium munus Haruspicum, unde et haruspices, puto, et extispices manifesto dicuntur, victimas inspicere, et in his ominosa interpretari 6); quo referenda exta muta, clara, arguta; hostia 7) litat, etc.

Haruspicum religionis similis atque Augurum in republica finis, populum superstitione coercere 8). Sed Augures, magna in gravissimis rebus auctoritate, honoratissimi, Haruspices contra, magistratuum jussis simpliciter obtemperantes 9), iidemque cum magnam partem peregrini, tum privatis quoque vulgi superstitionibus inservientes 10), ut humilioris conditionis homines, contemnebantur.

1) Cf. Donat. ad Ter. *Phorm.* 4, 4, 29. — 2) Cf. Cic *de Divin.* 1, 45, 2, 63, Varro *de L. L.* 6, p. 19, Suet. *Aug.* 29. — 3) Cf. Tac. *Ann.* 11, 15. — 4) Cf. Liv. 28, 11, Plin. *H. N.* 8, 45, Cic. *de Divin.* 1, 45, 2, 41, Juven. 2, 121, 13, 62. — 5) Cf. Cic. *de Divin.* 2, 53, Juven. 6, 587, Plin. 2, 52 et 54, Pers. 2, 26], Luc. 1, 606. — 6) Cf. Luc. 1, 617. — 7) Cf. Ovid. *Met.* XV, 794. — 8) Cf. Cic. *de N. D.* 1, 26. — 9) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 4. — 10) Cf. Colum. 1, 8.

322. De quindecimviris hæc tenenda. Vetusta erat fama 1), Tarquinium Superbum, (quidam, ut Lactantius, Priscum tradunt,) tria oraculorum Erythreæ 2) Sibyllæ volumina emisse, in quibus Romanis persuasum fuit, multa de fatis

reipublicæ eorum divinitus revelata et præcepta; unde in graviori aut metu aut discrimine civitatis vulgo consulebantur. De quo sapientiores homines quid senserint, e Cicerone discas 3).

Custodia librorum initio binis 4) viris mandata, a. 387. ad decem, postremo ad quindecim auctis. Iidem oracula Sibyllina, sed nonnisi senatu jubente, interrogabant, de quo solenne adire, inspicere, et in iis præscripta ad salutem reipublicæ, sacrificia plerumque et supplicationes, ut rite fierent, curabant 5), ab hoc munere et numero suo decemviri aut quindecimviri, vel simpliciter, vel addito *sacris faciundis* adpellati 6). Dicti quoque Apollinis sacerdotes, in cujus ac Dianæ honorem ludis anniversariis præerant, iidem in ludis sæcularibus præcipuam curam habentes 7).

Libri Sibyllini, in arca lapidea sub Jovis templo custoditi, quum flagrante Capitolio periissent (a. 670.), nova volumina, collectis undique Sibyllarum oraculis, composita sunt, genuinis falsisque mixta, ob eamque rem aliquoties castigata 8). E quibus, sub Honorio a Stilicone crematis 9), fragmenta quædam supersunt 10), non confundenda cum iis, quæ multa a Christianis conficta, velut in Lactantii *Institt. Div.*, occurrunt 11).

Præter hactenus enarrata, queis fata deorumque voluntatem explorabant Romani, memorandæ veniunt sortes sacræ, signis quibusdam inscriptæ tabellæ, et in Fortunæ templis, ut sortes Prænestinæ et Antiatinæ, servatæ, et publice consultæ, nec apud alias gentes inusitata superstitio 12). De Romanorum sortibus insignis est locus Ciceronis 13).

1) V. Dionys. Hal. 4, 62, Gell. 1, 19. V. Creuz. *Symbol.* v. 1. p. 191, Golbery, ad Tib. 2, 5, 19, excurs. de Sibyllis, Voss. ad Virg. *Ecl.* 4, 4-7. — 2) Cf. Tib. 2, 5, 67. — 3) V. *de Divin.* 2, 54. — 4) Cf. Liv. 5, 13, Dionys. l. c. — 5) Cf. Liv. 5, 13, 7, 27, 10, 7. — 6) Gell. 1, 12,

Tac. *Ann.* 6, 12. — 7) Cf. Hor. *C. S.* init. — 8) Tac. l. c. — 9) Cf. Rutil. *Itin.* 2, 51. — 10) V. Mitscherlich ad Hor. *C. S.* — 11) Cf. Burm. ad Rutil. l. c. — 12) Cf. Tac. *Germ.* 10. — 13) *De Divin.* 2, 41. Cf. Suet. *Cal.* 57.

323. Epulones, usque crescente Romæ festorum numero, ut curarum parte levarentur Pontifices, Jovis epulis, unde nomen habent, ordinandis, circa a. 556. instituti 1), quæ et alias per annum, et plebejorum ludorum occasione celebrabantur, convivis 2) Jove, Junone et Minerva (§. 290.) Epulones, primum tres, post ad septem, atque, ut quidam putant, a Sylla aucti; hinc Triumviri, Septemviri Epulones, Septemvir 3). Iidem honore summis sacerdotum collegiis æquati, insigne cum Pontificibus commune habebant togam prætextam 4).

Fratres Arvales, origine ab Romæ initiis deducta 5), annuam agrorum lustrationem (§. 145.), ambarvalia, curabant, suem fœtam ter circum arva ductam immolantes 6), interque sacra carmen canentes, antiquissimis Italorum monumentis linguarum addendum, de quo v. post alios Apel, *Metrik* vol. 2. p. 620 sqq. Insignia fratribus corona spicea et infula (§. 454.) alba 7). Fetiales (feciales), a Numa instituti, Romanis a populo aliquo injuria adfectis, in ejus fines progressi, satisfactionem exigebant, negantibus bellum indicentes. Illud proprie res repetere, utrumque clarigationem 8) vocant 9). Clarigationis cæremonia posteriore ævo in agro prope Circum (ager hostilis) peracta 10). Fetiales tum quoque de jure fetiali 11) in bello juste et rite indicendo, deque fœderum religione interrogati 12), ipsisque fœderibus feriendis, unde nomen tanquam *fœderales* aut *feriales* habere putantur, adhibiti; in quibus pro populo jurans (primus collegii?) Pater Patratus, a *patrare,* i. e. facere, adpellabatur. Iidem herbas sacras (verbenæ, sagmina), et, ad

fœdus componendum missi, silicem hostiæ feriendæ gerebant 13).

Curiones singularum curiarum sacra procurabant (§. 142.); princeps Curio Maximus. Sodales Titii a Tito Tatio Sabinorum sacris curandis instituti, post ejusdem cultui a Romulo dicati putantur 14). Rex sacrorum, sacrificus, sacrificulus, publica quædam sacra, quæ ante Reges, faciebat 15). Ad eundem pertinet festum Regis fuga (§. 336.)

1) V. Liv. 33, 42, Cic. *de Orat.* 3, 19. — 2) Kipping., pag. 250, de epulis, ne scilicet deos epulatos putemus, monet: *quibus vero non tam dii ipsi, quam septem Epulones et horum cognati aderant, easque absumebant.* — 3) V. Liv. et Cic. l. c., Gell. 1, 12, Plin. *Ep.* 2, 11, Tac. *Ann.* 3, 64. — 4) Cf. Liv. l. c. — 5) V. Gell. 6, 7. — 6) Cf. Virg. *Georg.* 1, 345, Tib. 2, 1, 1. — 7) Cf. Gell. 6, 7. — 8) Aliter clarigatio Liv. 8, 14, *ut ejus, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset.* — 9) Cf. Liv. 1, 32, 4, 30, Cic. *de Off.* 1, 11, 3, 29, Dionys. Hal. 2, 72. — 10) Cf. Ovid. *Fast.* 6, 205, Dio Cass. 71, 33. — 11) Cf. Gell. 16, 4. — 12) Cf. Liv. 36, 3, Cic. *de Legg.* 2, 9. — 13) Cf. Liv. 1, 24, 30, 43. — 14) Cf. Tac. *Ann.* 1, 54, *Hist.* 2, 95. — 15) Cf. Liv. 2, 2, Dionys. 4, 74.

SINGULORUM DEORUM SACERDOTES.

324. Inter hos Flaminibus 1) proprium, quod singuli singulis diis consecrati 2), nomen a suo quisque habentes. Antiquissimi et primarii fuerunt Dialis, Martialis et Quirinalis; inter minores Furinalis 3), Pomonalis, Floralis, Portumnalis. Dialis, ut honore et privilegiis præstans, ita cæremoniis plurimis, in iisque molestis obnoxius 4). In privilegiis lictor et jus senatum intrandi, in negatis extra urbem pernoctare, equo vehi, jurare 5), mortuum, carnem incoctam, hederam, fabam, capram tangere. Domus Flaminis a Flminia, uxor Flaminica 6), perinde cæremoniis quibusdam obstricta, quippe viro in officiis nonnullis ministra; unde mortua uxore munere se abdicabat. Ipsius præcipua cura Jovi sacrificare. Ab anno DC. intermissum

Tac. *Ann.* 6, 12. — 7) Cf. Hor. *C. S.* init. — 8) Tac. l. c. — 9) Cf. Rutil. *Itin.* 2, 51. — 10) V. Mitscherlich ad Hor. *C. S.* — 11) Cf. Burm. ad Rutil. l. c. — 12) Cf. Tac. *Germ.* 10. — 13) *De Divin.* 2, 41. Cf. Suet. *Cal.* 57.

323. Epulones, usque crescente Romæ festorum numero, ut curarum parte levarentur Pontifices, Jovis epulis, unde nomen habent, ordinandis, circa a. 556. instituti 1), quæ et alias per annum, et plebejorum ludorum occasione celebrabantur, convivis 2) Jove, Junone et Minerva (§. 290.) Epulones, primum tres, post ad septem, atque, ut quidam putant, a Sylla aucti; hinc Triumviri, Septemviri Epulones, Septemvir 3). Iidem honore summis sacerdotum collegiis æquati, insigne cum Pontificibus commune habebant togam prætextam 4).

Fratres Arvales, origine ab Romæ initiis deducta 5), annuam agrorum lustrationem (§. 145.), ambarvalia, curabant, suem fœtam ter circum arva ductam immolantes 6), interque sacra carmen canentes, antiquissimis Italorum monumentis linguarum addendum, de quo v. post alios Apel, *Metrik* vol. 2. p. 620 sqq. Insignia fratribus corona spicea et infula (§. 454.) alba 7). Fetiales (feciales), a Numa instituti, Romanis a populo aliquo injuria adfectis, in ejus fines progressi, satisfactionem exigebant, negantibus bellum indicentes. Illud proprie res repetere, utrumque clarigationem 8) vocant 9). Clarigationis cæremonia posteriore ævo in agro prope Circum (ager hostilis) peracta 10). Fetiales tum quoque de jure fetiali 11) in bello juste et rite indicendo, deque fœderum religione interrogati 12), ipsisque fœderibus feriendis, unde nomen tanquam *fœderales* aut *feriales* habere putantur, adhibiti; in quibus pro populo jurans (primus collegii?) Pater Patratus, a *patrare*, i. e. facere, adpellabatur. Iidem herbas sacras (verbenæ, sagmina), et, ad

fœdus componendum missi, silicem hostiæ feriendæ gerebant 13).

Curiones singularum curiarum sacra procurabant (§. 142.); princeps Curio Maximus. Sodales Titii a Tito Tatio Sabinorum sacris curandis instituti, post ejusdem cultui a Romulo dicati putantur 14). Rex sacrorum, sacrificus, sacrificulus, publica quædam sacra, quæ ante Reges, faciebat 15). Ad eundem pertinet festum Regis fuga (§. 336.)

1) V. Liv. 33, 42, Cic. *de Orat.* 3, 19. — 2) Kipping., pag. 250, de epulis, ne scilicet deos epulatos putemus, monet: *quibus vero non tam dii ipsi, quam septem Epulones et horum cognati aderant, easque absumebant.* — 3) V. Liv. et Cic. l. c., Gell. 1, 12, Plin. *Ep.* 2, 11, Tac. *Ann.* 3, 64. — 4) Cf. Liv. l. c. — 5) V. Gell. 6, 7. — 6) Cf. Virg. *Georg.* 1, 345, Tib. 2, 1, 1. — 7) Cf. Gell. 6, 7. — 8) Aliter clarigatio Liv. 8, 14, *ut ejus, qui cis Tiberim deprehensus esset, usque ad mille pondo clarigatio esset.* — 9) Cf. Liv. 1, 32, 4, 30, Cic. *de Off.* 1, 11, 3, 29, Dionys. Hal. 2, 72. — 10) Cf. Ovid. *Fast.* 6, 205, Dio Cass. 71, 53. — 11) Cf. Gell. 16, 4. — 12) Cf. Liv. 36, 3, Cic. *de Legg.* 2, 9. — 13) Cf. Liv. 1, 24, 30, 43. — 14) Cf. Tac. *Ann.* 1, 54, *Hist.* 2, 95. — 15) Cf. Liv. 2, 2, Dionys. 4, 74.

SINGULORUM DEORUM SACERDOTES.

324. Inter hos Flaminibus 1) proprium, quod singuli singulis diis consecrati 2), nomen a suo quisque habentes. Antiquissimi et primarii fuerunt Dialis, Martialis et Quirinalis; inter minores Furinalis 3), Pomonalis, Floralis, Portumnalis. Dialis, ut honore et privilegiis præstans, ita cæremoniis plurimis, in iisque molestis obnoxius 4). In privilegiis lictor et jus senatum intrandi, in negatis extra urbem pernoctare, equo vehi, jurare 5), mortuum, carnem incoctam, hederam, fabam, capram tangere. Domus Flaminis a Flminia, uxor Flaminica 6), perinde cæremoniis quibusdam obstricta, quippe viro in officiis nonnullis ministra; unde mortua uxore munere se abdicabat. Ipsius præcipua cura Jovi sacrificare. Ab anno DC. intermissum

hoc sacerdotium restituit Augustus. Ab eodem, nisi mavis a Cæsare 7), initio facto, consecrati deinceps Cæsares flamines suos habuerunt (§. 307.)

1) A filo, quo caput cingebant, filamines primum, post, correpta voce, flamines vocatos, veteres tradunt. Cf. Varro *de L. L.* 4. p. 22, Fest. in *flamen*. Cf. et *lanigeri* apices, Æn. 8, 664, ibiq. Serv., et Ovid. *Fast.* 2, 21. — 2) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 8. — 3) Cf. Varro 4, 15, 6, 3. — 4) Cf. Gell. 10, 15, Liv. 5, 52. — 5) Cf. Liv. 31, 50. — 6) Ovid. 2, 27. — 7) V. Suet. *Cæs.* 76, Cic. *Phil.* 2, 43.

325. Vestales 1), Vestæ sacerdotes (§. 288.), Romæ insistuit Numa 2), numerum ad senas auxit Servius Tullius. Præses Vestalis vel Virgo Maxima 3). Creandæ Vestali Pontifex M. (§. 318.) viginti virgines tenera ætate, corpore integras, nec ignobili ortu, legebat. Ex his sorte comitiis curiatis ducebatur; de quo solennia verba capere, capta, amata 4). Capta Vestæ ministerio in triginta annos, simul castitati addicta; queis elapsis, sacerdotio excedere, matrimonium quoque permissum.

In officiis Vestalium præcipuum ignis sacri (focus publicus) custodia 5), qui si earum incuria extingueretur, noxiam flagello castigabat Pontifex M. 6). Ignis placato precibus numine, idemque quotannis Calendis Martiis 7) renovabatur, sylvestrium more hominum, petita lignum ligno terendo flamma 8). Violatæ castitatis compertam lex erat vivam in campo scelerato defodi 9), cui ab incesto id nomen factum credit Livius 10); stupratorem a Pontifice M. virgis ad necem verberatum idem memorat 11). In privilegiis Vestalium ponitur exemptio e patria potestate (§. 86.), lictor prodeuntem antecedens, sedes propria in spectaculis 12); quod obvios damnatos supplicio liberabant, etc. Habitus insigne vestis alba, infula, suffibulum 13).

1) Cf. Dionys. 2, 65. sqq. Gell. 1, 12, Plut. in *Numa*. — 2) Liv. 1, 20. — 3) Suet. *Dom.* V. Kipp. p. 240. — 4) Cf. Gell. 1, 12. — 5) Cf. Cic. *de*

Legg. 2, 8. — 6) Liv. 28, 11, *Ignis in æde Vestæ exstinctus cæsaque flagro est Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat, jussu P. Licinii, Pontificis.* — 7) Ovid. *Fast.* 3, 143. — 8) Cf. Fest. in *ignis*, ibique not. Dacier. Plin. *H. N.* 16, 40. — 9) Liv. 8, 15, 22, 57, Juven. 4, 10. — 10) 8, 15. — 11) 22, 57. — 12) Suet. *Aug.* 44. — 13) Cf. Juven. 4, 9, *vitata sacerdos*, Prop. 4, 12, 53, Fest. in *suffibulum*, Varro *de L. L.* 5, p. 48.

326. Salii (a saliendo), Martis sacerdotes, a Numa Romæ in memoriam lapsi de cœlo ancilis, (scutuli 1), quod, ut Imperii pignus, una cum undecim aliis ad veri similitudinem a Mamurio quodam fabricatis (in templo Vestæ ?) custodiebatur,) instituti 2), Calendis Martiis ancilia illa, armati, solenni saltatione, cæteris unius motum imitantibus, ad musicam quoque cantantes, per urbem ferebant; quo trahendum arma movere, condere; præsul: amtruare, redamtruare 3); carmen saliare, §. 409; axamenta; Mamurius 4). Saltationis pompam epulæ excipiebant, dapes saliares 5). Salii sacerdotes initio duodecim, quibus totidem addidit Tullus Hostilius 6); exin a curiis suis illi Palatini, hi Collini adpellati; cæterum aliis quoque nominibus obscure distincti. Supremus collegii Magister Saliorum; discernuntur etiam Præsul et Vates. Legebantur e patriciis tantum, nec nisi patrimi et matrimi 7). Ipsum sacerdotium honestissimum habebatur 8). In vestitu tunica picta et apex 9).

1) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 373, Dionys. 2, 71, Virg. *Æn.* 8, 664. — 2) Antiquiores memorant versus Virgilii *Æn.* 8, 285: *Tum Salii ad cantus, incensa alteria circum, Populeis adsunt evincti tempora ramis.* — 3) Cf. Fest. in *redentruare, cum præsul ampiruavit, — ei referuntur invicem iidem motus.* Huc et Lucilii apud eundem corruptus versus, quem Scal. legit *Præsul ut amtruat, inde et vulgu redamtruat olli.* — 4) V. Ovid. 387. sqq. — 5) Cf. Hor. *Od.* 1, 37, 2. — 6) Dionys. 3, 32. — 7) Cf. Cic. p. *Domo* 14. — 8) Cf. Juven. 2, 125. — 9) Cf. id. 8, 207.

327. Luperci, Panis (§. 308.) sacerdotes, ab ejus in Palatino monte antro (Lupercal), d. XV. Febr., Luperca-

lia celebrantes, nisi quod pelle caprina cingebantur, nudi 1), totam per urbem, petulans turba, vagabantur, obvios, ac mulieres maxime, scutica verberantes, quæ, ita facilius gravidas se fore credentes, verberi se ultro offerebant 2). Ante pompam capram Pani, peracta, eidem canem immolabant 3). Religionem, fama erat, ab Evandro, Arcade, patrio more institutam 4), quam servasse Romulum, duobusque sodalitiis, Fabiis et Quintiliis sacerdotes distinctos 5). Ipsum sacerdotium, a nostris moribus vehementer abhorrens, honestum tamen habebatur 6). In honorem Julii Cæsaris, ipso vivo, instituti Luperci Julii 7).

1) Cf. Virg. *Æn.* 8, 663, - *exultantes Salios nudosque Lupercos,* Ovid. *Fast.* 2, 357 et 379. — 2) Cf. Juven. 2, 142. — 3) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 361. — 4) V. Ovid. *Fast.* 2, 269. sqq., Liv. 1, 5. — 5) Cf. Ovid. 375, Prop. 4, 1, 25. — 6) Cf. Cic. *Phil.* 2, 34. — 7) Cf. Suet. *Cæs.* 76.

328. Sacra enthusiastica (enthea, furibunda), quæ vocamus, a Græcis mire amata, Romæ sub Cæsaribus multiplicari et liberius vigere cœperunt, olim aut prohibita, ut Bacchanalia 1), aut, coercita licentia, quatenus e republica videretur, tolerata. Ex entheis autem sacra Bellonæ, quam sacerdotes, bellonarii, cultris semet lacerantes, cruore suo placabant 2), et inprimis insigniter celebrata sacra Cybeles, e Phrygia, antiquissima ejus religionis sede, Romam cum sacerdotibus translata (§. 306.), quos et postea semper Phryges natione fuisse constat 3). Iidem Curetes et Idæi Dactyli, varia nominum interpretatione, itemque Corybantes, unde κορυβαῖν, quos tamen a cæteris sunt qui distinguant, Galli autem, unde et Archigallus, a Phrygiæ flumine 4) adpellati, e quo bibentes in furorem agi, ut semet exciderent, fabula narrabatur, et vero virilitate se spoliabant; quo trahendum culter lapideus, testa Samia 5). Cæterum Galli armati, fictoque furore, mistoque entheis

carminibus (Galliambi) instrumentorum musicorum strepitu, Cybeles festa, urbem pervagantes, ipsamque deæ effigiem portantes, celebrabant 6), monachorum quoque more stipem Magnæ Matri colligentes 7). Ad mysticum cultum pertinent Cerealia (§. 338.), et sacra Bonæ Deæ (§. 308.). Omittimus minoris momenti singulorum deorum sacerdotes; in quibus Pinarii et Potitii 8).

1) V. Liv. 39, 9, 12, 41. — 2) Cf. Tib. 1, 7, 49. sqq., Juven. 4, 123, 6, 511, Luc. 1, 565, Lact. 1, 21. — 3) Cf. Dionys. 2, 18. — 4) Cf. Ovid. *Fast.* 4, 361. — 5) Cf. Cat. 63, 5, Juven. 6, 513. — 6) Cf. Lucr. 2, 618, Ovid. *Fast.* 4, 181. — 7) Ovid. ib. 350, et *de P.* 1, 1, 39.—8) Cf. Liv. 1, 7, 9, 29, Virg. *Æn.* 8, 268 et 281.

SACRORUM MINISTRI.

329. Inter ministros et adjutores sacrorum memorantur victimarii 1), a quibus diversi victimarii victimas vendentes; popæ (πέττω; popina), aræ admotam ferientes 2), iidem et victimas et cocta vendentes, popinarii 3); cultrarii, percussam aut cultro mactandam jugulantes 4); fictores 5), pauperibus e farina, cera, aliis hostias fingentes (?); æditui, templorum custodes, in numis sæpe occurrentes, Græcis νεωκόροι et ναοφύλακες; tibicines, tubicines et fidicines, sacris musicam miscentes 6). Utebantur etiam sacerdotes puerorum et puellarum ministerio, aut suorum, aut quos in eorum vicem ingenuos legebant, camillos et camillas vocatos 7). Honoris tantum causa Flamen Dialis et Virgines Vestales lictorem habebant.

1) Cf. Liv. 40, 29, Val. M. 1, 1, 12. — 2) Cf. Suet. *Cal.* 32. — 3) Cf. Prop. 4, 3, 62. — 4) Cf. Suet. l. c., Ovid. *Fast.* 1, 347. — 5) Cf. Cic. *p. Domo* 54. — 6) Cf. Liv. 33, 42, Ovid. *Fast.* 6, 657. sqq. — 7) Cf. Varro *de L. L.* 6. p. 71 et 72, Fest. in *flaminius*, Macrob. *Saturn.* 3, 8.

LOCA ET VASA SACRA.

330. In locis deorum cultui sacratis, quo referenda vox

sacrarium 1), sunt fana, a *fanus,* sacer, unde et profanus, templa 2), delubra (diluo), ædes, vocum significatione et dicandi consecrandique ritu 3) antiquitus diversa, quamvis a scriptoribus passim confusa vocabula; nec facilis distinctio 4); nisi quod templa ab ædibus et ædiculis, seriore utique tempore, amplitudine discernuntur. Præter ædificia autem luci quoque, aut cum iis conjuncti, aut separati, inter loca religioni dicata memorandi sunt; nec minus e domestico cultu huc trahenda Laribus 5) et Penatibus (§. 314–315.) destinata sacaria, sacella vel ædiculæ 6).

In templis, quorum Romæ ingens copia, distinguuntur area, favissæ 7), vestibulum, porticus (prodomus, opisthodomus), et interius cella, numinis sedes, cum ejus effigie, et ara (altaria) libationi et suffitioni; adytum (penetrale). In area vulgo plures aræ, plerumque marmoreæ, sacrificiis, hostiæ cremandæ. Inter vasa sacra focus, thuribulum, acerra, guttus, patera, lanx, capis (capeduncula, capedo), præfericulum, malleus 8), securis, secespita 9).

1) Cf. Cic. *p. Mil.* 31, Mart. 7, 72, 3, Liv. 39, 9 et 13. — 2) Templum veteres interpretantur, unde in omnem partem videri (*templari*, tueri) possit (v. Fest. in *contemplari*, Varro *de L. L.* 6, p. 2.); nec male congruit vocis usus in *cœli templa*, *Parnasia, Aherusia templa*, in *templum capere* (§. 320.), aliisque. — 3) Cf. Beauf. v. 1. p. 54. — 4) Cf. Liv. 10, 37, Serv. ad. *Æn.* 2, 225, Macrob. *Sat.* 3, 4. — 5) Unde lararium, Lampr. *Alex. Sev.* 29 et 31. — 6) Cf. Cic. *ad Div.* 13, 2, Suet. *Aug.* 5. — 7) Cf. Fest. in *favissæ*, Gell. 2, 10. — 8) Cf. Ovid. *Met.* 2, 625, Suet. *Cal.* 32. — 9) Cf. Suet. *Tib.* 35.

RITUS SACRI.

331. E sacris ritibus hic conjungimus preces et vota, consecrationem, devotionem, execrationem, juramentum, lustrationem, sacrificia. Preces distinguuntur adoratione et supplicatione (supplex, supplico.) Illam inclinato motoque corpore, porrectis manu osculis, hanc flexis genibus et

numinis simulacri amplexu definiunt 1). In luctu publico memorantur matronæ crinibus aras verrentes 2). Superstitionem precantium stolidamque impietatem ridentes cum aliis carpunt Horatius 3), Persius 4), Juvenalis 5), Ovidius 6). Solennes preces a magistratu, præeunte sacerdote, pronuntiari mos erat; unde præire in verba, sacramentum, et similia 7).

Supplicationum, quæ publice indicebantur, aliæ obsecrationes, aliæ gratulationes, utræque modo simplici ritu, modo insigni cum pompa celebratæ. Ad supplicationes pertinent epulæ sacræ 8), mensæ (pulvinaria) exquisitis cibis ornatæ, circum positis in lecto deorum, in sella dearum simulacris, lectisternia et sellisternia adpellata 9), eaque partim ordinaria, partim extra ordinem indicta, cæterum non in templis modo, sed privatim etiam summa tum solennitate et sanctitate, tum liberalitate celebrata. Lectisterniorum procuratio ab a. U. C. 557. Epulonum collegio mandata (§. 323.); lectum a senatoribus stratum memorat Livius XXII, 1.

Singularis precatio est evocatio, qua Romani sacra quadam formula hostium urbis deum tutelarem, ut Romam veniret, obsecrabant 10).

1) Lucret. 5, 1197, *Nec pietas ulla est velatum sæpe videri*
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi prostratum, et pandere palmas
Ante deum delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.

Cf. Plin. *H. N.* 28, 2, Liv. 26, 9, Suet. *Vesp.* 7, *Vit.* 2. — 2) V. Liv. 3, 7, 26, 9. Cf. Apul. *Met.* l. 6. p. 119. — 3) *Ep.* 1, 16, 59. — 4) 2, 6, 5, 179. — 5) 6, 511. sqq. et 565. — 6) *Fast.* 5, 675. sqq. — 7) Cf. Cic. *P. domo* 52, Plin. 28, 2, Liv. 42, 28. — 8) Cf. Liv. 5, 13, 22, 1. — 9) Cf. Hor. *Od.* 1, 37, 3, Prop. 4, 6, 1, Tac. *Ann.* 15, 44, Cic. *Cat.* 3, 10, *Quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebrate illos dies cum conjugibus et liberis vestris.* — 10) Cf. Liv. 5, 21, Macrob. *Saturn.* 3, 9, Plin. *H. N.* 28, 2.

332. Vota, precibus plerumque conjuncta, proprie intelligimus diis, si preces exaudiant, voti compotem faciant, promissa. Ea vel voce tantum, ut a Christianis, fiebant, vel promissa, ac sæpe numen implorantis servatique, velut naufragi, casus et periculum in tabulis scripta aut depicta in templis suspendebantur, quæ tabulæ votivæ dicuntur 1). In usu loquendi notandum voti compos, reus, damnatus 2). Consecrationem hic dicimus, qua loca aliæve res deorum cultui, ac velut dominio (§. 95.), solenni cæremonia dedicantur (dicare, dedicare, sacrare, consecrare, etc.) Hujus quodammodo genus, quæ vocatur devotio, vitæ voluntaria morte Diis Manibus consecratio 3), qua hostes simul exitio vovebant; quod proprium execrationis 4). Pejerantis execratione plerumque continetur juramentum, sanctissima diu Romanis religio 5), ad cujus ritum pertinet ara numinis, per quod juratur, tacta, unde jurare aram 6). E formulis per Jovem jurantis hanc adfert Festus 7): *si sciens fallo, tum me Diespiter salva urbe arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem;* hinc Jovem lapidem jurare 8); de aliis cf. Livius XXI, 45, XXII, 53. Lustratio (§. 145.), sacrificio, ducta circum rem lustrandam victima, constans, et placandi (expiatio) et implorandi numinis gratia, et publice et privatim, fiebat: lustratio populi, urbis 9), agrorum, ambarvalia (§. 323.), pagorum, exercitus, classis, etc.

1) Tib. 1, 3, 27, *Nunc dea, nunc succurre mihi; nam posse mederi, picta docet templis multa tabella tuis*. Cf. Cic. *de N. D.* 3, 37, Hor. *Od.* 1, 5, 13, Juven. 12, 27. Aliter *picta tempestas*, id. 14, 300. — 2) Cf. Virg. *Æn.* 5, 237, Macrob. 3, 2.— 3) Cf. Liv. 5, 41, 7, 6, 8, 9, 10, 28.—4) Cf. Sall. *Cat.* 22, Liv. 26, 25, Tac. *Ann.* 4, 15. — 5) Cf. Liv. 1, 21, 3, 20, Cic. de *Off.* 3, 30 et 31. — 6) Cf. Juven. 3, 144. — 7) In *lapidem*. Cf. Polyb. 3, 25. — 8) Cf. Cic. *ad Div.* 7, 1, Gell. 1, 21. — 9) Cf. Tac *Ann.* 13, 24, *Hist.* 1, 87.

333. De sacrificiis, consentaneum erat, commista jam

patria cum Græcorum religione, pleraque Romanis cum his esse communia. Initio cuncta sacrificia incruenta fuisse, vulgaris est veterum quoque persuasio 1), vocabulis etiam solennibus (θύω, thus, suffitus, odores, adolere, cætera), utique facile credenti, probabilis. Non omnibus eadem sive dona sive hostias, sed pro deorum natura et potestate diversa esse oblata, nota res est; nec modo singulis sua erant animalia, ut Jovi taurus, Cereri porcus, Baccho caper, Æsculapio gallus, Vestæ (§. 288.) asellus 2), sed etiam generibus deorum quædam, ut superis alba, inferis nigra 3), vel colore propria. Nec vero minor a rebus, quibus sacra fiunt, varietas; quo apud Romanos trahere possis, quod fœderi feriendo solennis victima porcus 4). Sic pæne infinita distinctio, eaque et tempore et gentibus, locis etiam varians, cæterum, ne in mactandi quidem more prorsus neglecta; quo trahendum, quod superis elato, inferis depresso capite victima feriebatur. Nos autem de sacrificandi ritu hæc universe notamus. Sacrificaturus 5), de more cum veste alba 6), interdum foliis placando numini sacratæ arboris velatus, puris manibus, ad aram accedebat. Victimam, hostiam 7), popa (§. 329.), corona vittaque, infula 8), ornatam, quandoque cornibus auratis, cæterum, lectam, injugem integramque adducebat; adducta, profanis absistere, manentibus silentium aut a sinistris vocibus abstinentiam præcipiebat sacerdos; quo pertinet procul este, profani; favete linguis, etc. 9). Tum preces inter et libationem consecratio hostiæ, fronte, simulque ara et secespita farre cum sale mixto conspersis (mola, immolare.) Consecrata dein mactabatur 10), ruptoque jugulo cruorem excipiebant, quo mos altaria irrorare 11); postremo prosectam haruspex (§. 321.) inspiciebat. Frusta, prosecta, prosiciæ 12), mundata altaribusque imposita, repetita prece

et libatione comburebantur. Herbarum sacrorum, in quibus verbenæ 13), vulgaris in sacrificiis, sive ad comburendum, sive aris etiam ornandis, usus frequens mentio 14). De tibia confer Ovid. *Fast.* VI, 657, Suet. *Tib.* 70. Cæremoniam, populo dimisso, epulæ excipiebant 15).

1) Cf. Ovid. *Fast.* 1, 337, Porphyr. de *Abstin.* 2, 5. V. Bos. *Antiq. Gr.* p. 1. c. 6, Creuz. *Symbolik* v. 1. p. 172. — 2) Cf. Lactant. 1, 21. — 3) Cf. Lucr. 3, 52, Tib. 3, 5, 33. — 4) Cf. Virg. *Æn.* 8, 641. — 5) Solennia de re verba sacrum, vel rem sacram facere, vel simpliciter facere, ut Græci ἔρδειν, et operari. Cf. Virg. *Georg.* 1, 339, Tac. *Ann.* 2, 14. — 6) Cf. Tib. 2, 1, 13, Pers. 2, 40. — 7) Discrimen docent versus Ovidii *Fast.* 1, 335 : *Victima, quæ dextra cecidit victrice, vocatur, Hostibus amotis hostia nomen habet.* — 8) Cf. Virg. *Georg.* 3, 487. — 9) Cf. Aristoph. *Nub.* v. 264, Cic. *de N. D.* 1, 45, Hor. *Od.* 3, 1, Ovid. *Fast.* 1, 71, Tib. 2, 1, 11, 2, 2, 1. — 10) Prima, ut videtur, verbi vis est in mactare honoribus, triumpho, infortunio, et similibus; cui convenit derivatio a magis (mage) augeo, i. e honoro, dono. Cf. Serv. ad *Æn.* 4, 57. — 11) Cf. Lucret. 5, 1200, Ovid. *Fast.* 2, 655, Hor. *Od.* 4, 11, 6, *Ridet argento domus, ara, castis vincta verbenis, avet immolando spargier agno.* — 12) Cf. Juven. 10, 355. — 13) Cf. Don. ad Ter. *Andr.* 4, 3, 11, Ovid. *Fast.* 1, 381. — 14) Cf. Hor. *Od.* 1, 19, 13, 4, 11, 6, Terent. et Ovid. l. c. — 15) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 657.

DE FESTIS.

334. Festa, sive feriæ 1), ingenti apud Romanos numero, ac sæpe plura eodem die, dividuntur in stativa 2), certa die recurrentia, velut Agonalia, Carmentalia, Faunalia, Lupercalia, et conceptiva, non certo tempore, ideoque indicenda, ordinaria tamen; ab utrisque distinguunt imperativa. Cæterum diebus festis etiam adnumerandæ sunt nundinæ (§. 358). Inter conceptiva ponuntur Feriæ Latinæ, (§. 204.) et Compitalia 3), inter imperativa feriæ novendiales 4). Festorum præcipuorum per annum seriem infra damus, e fastis (fas, fastus, nefastus, etc.) depromptam; qui, calendaria quoque et fasti calendares (urbani, rustici)

adpellati, præter ferias aliam insuper dierum distinctionem, nobis §. 359. attingendam, nec non siderum ortus et occasus continebant. Diversi generis fasti magistratus, ut Consules, Dictatores, Interreges, simulque memoranda rerum publicarum referentes, a Consulibus consulares dicti, cæterum ab annalibus (§. 318.) Pontificum (annales maximi) distinguendi, quorum et fastos utrosque conficiendi munus ab antiquissimo tempore fuisse, constat (§. 271 et 318.) Prioris fastorum generis argumentum mira arte tractavit Ovidius *Fastorum* libris; ex utroque integri et fragmenta superant, sæpe edita et commentariis illustrata 5).

1) A victima ferienda? Cf. Festus in *feria*. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 665. — 3) Varro *de L. L.* 5, p. 50. Cf. Gell. 10, 24, Plin. 36, 27. — 4) Cf. Liv. 1, 31, Cic. *ad Q. Fr.* 3, 5. — 5) V. *Thes. Græv.* vol. 8 et 11, Creuz. 7.

FESTORUM PER MENSES DIESQUE DISTINCTA SERIES.

Mensis Januarius.

335. Dies 1. Anni, quod antiquitus a mense Martio, initium. Festum Jani (§. 287.) Idem dies consulatus ineundi (processus consularis, sacrificium in Capitolio. Cf. Ovid. *Fast.* I, 75, Tib. 3, 1, 3.), muneribus etiam, strenis, solennis (de etymo vocis, deque moris origine ipsi veteres varie. Cf. Fest. in *strenam,* Symm. *Epist.* 10, 35) Cæterum calendæ omnes Junoni, Idus Jovi sacræ (Ovid. ib. 55.)

9. Agonalia vel Agonia, item Jano sacra (agonium, agonia, circus agonalis. Cf. Ovid. I, 331, V, 721, Festus in *agonium.*)

11. Carmentalia, Carmentæ, nymphæ fatidicæ, Evandri matris (§. 308.) Aliud ejusdem festum die 5. (Ovid. I, 617.)

30. Festum Pacis, ab Augusto institutum (Ovid. I, 709.)

31. Festum Penatum (§. 315.).

Eodem mense feriæ Sementivæ, a semente (cf. Varro *de L. L.* V. p. 49.), in agris, frugum prosperitati (Ovid. I, 658, Varro *de R. R.* I, 2.)

Mensis Februarius.

336. Dies 1. Festum Junonis Sospitæ, in memoriam templi dicati (cf. Liv. X, 14, XXII, 1, Ovid. II, 55.); eadem die Lucaria (lucus, asylum, Lupercal. Ovid. II, 67.)

5. Augustus Pater Patriæ dictus (ib. 119.)

13. Faunalia, Fauno et diis sylvestribus (§. 308. Ovid. II, 193.), repetita die 5. Decembris. Idem dies ater (religiosus) ob cædem Fabiorum (ib. 195.)

15. Lupercalia, Pani Lyceo (§. 327.)

17. Quirinalia, in Romuli honorem (§. 286. Ovid. II, 475.), et festum stultorum, Fornacalia sero celebrantium (ib. 513.)

Ante Terminalia, dubium, quo die, Feralia manibus placandis (ib. 34 et 533, et V, 486. Feralis, a ferendis epulis, feralia munera, tempus, dies.

22. Fuga Regis (Ovid. II, 685; cf. V, 728.)

23. (? Cf. Ovid. II, 50.) Terminalia, deo Termino (§. 283.)

Eodem mense, fere ante Quirinalia, deæ Fornaci, in memoriam tosti primum farris, Fornacalia (Ovid. II, 519, Plin. XVIII, 2.), et extremo mense, olim anni fine, Februa lustrandæ civitati (Ovid. II, 19, V, 423, Festus in *Februarius*, Juven. II, 157. Februo, purgo, lustro, februatio, Februarius, Deus Februus, Macrob. I, 13.)

Mensis Martius.

337. Dies 1. Sub Romulo anni initium (Ovid. III, 75 et 135.); festum Martis, a Saliis celebratum (§. 326.), in-

faustum nubentibus ante condita ancilia (ib. 393.) Eadem die Marti Matronalia (ib. 170 et 259.)

6. Festum deæ Vestæ (§. 288. Ovid. III, 417.)

Eadem dies Augusti Pontificatus initium (ib. 19.)

7. Festum Vejovis (§. 290.)

.14. Equiria, in honorem Martis, equorum curulium cursu. Eadem die 27. Februarii, et alias (Ovid. II, 859, III, 519.)

15. Annæ Perennæ geniale festum 1). Idem dies interfecti J. Cæsaris (ib. 697.)

17. Liberalia, Libero, cum Baccho confuso (§. 303. Ovid ib. 513.), sed diversa a Bacchanalibus, Romæ vetitis a. U. C. 567. His feriis toga libera (§. 483.) dabatur pueris (ib. 771.)

19. ad. 23. Quinquatria, Minervæ, a quinque diebus adpellata (ib. 809.), ultima die Tubilustrium, lustratio tubarum (ib. 849.)

25. Hilaria, non memorata Ovidio, in honorem Cybeles (§. 306. V. Macrob. I, 21, Lampr. in *Al. Sev.* 37, Vop. in *Aurel.* 1.) Hæc, nescio, an recte, partem quidam festi faciunt Lavationis Matris Deum, ab Ovidio (IV, 337.) cum Megalesiis conjunctæ.

1) Ovid. *Fast.* 3, 523 :

> Idibus est Annæ festum geniale Perennæ,
> Haud procul a ripis, advena Tybri, tuis.
> Plebs venit, ac, virides passim disjecta per herbas,
> Potat, et accumbit cum pare quisque sua.
> Sub Jove pars durat; pauci tentoria ponunt;
> Sunt, quibus e ramis frondea facta casa est;
> Pars sibi pro rigidis calamos statuere columnis :
> Desuper extensas imposuere togas.
> Sole tamen vinoque calent, annosque precantur,
> Quot sumunt cyathos, ad numerumque bibunt.

Invenies illic, qui Nestoris ebibat annos,
  Quæ sit per calices facta Sibylla suos.
Illic et cantant, quidquid didicere theatris,
  Et jactant faciles ad sua verba manus:
Et ducunt posito duras cratere choreas,
  Cultaque diffusis saltat amica comis.
Cum redeunt, titubant, et sunt spectacula vulgi,
  Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit nuper (visa est mihi digna relatu)
  Pompa: senem potum pota trahebat anus.

Mensis Aprilis.

338. Dies 1. Sacrificium Veneri, cui mensis sacer, floribus et myrto (Ovid. IV, 133.); Fortunæ Virili thure (ib. 145.), Veneri Verticordiæ lacte et papavere (cf. ib. 151.)

4. Megalesia, vel Ludi Megalenses (§. 306. Ovid. IV, 181. Cf. Prud. *Hymn.* X, 155.)

9. Ludi Cereris (Ovid. ib. 393.)

15. Fordicidia (forda, bos gravida, a ferendo) a Numa instituta (Ovid. IV, 629.) Eodem die vitulos cremabat Vestalis Maxima, populo Palilibus cinere purgando (ib. 637.)

21/ Dies Romæ conditæ (§. 38.), Palilia, Pali, pastorum deæ (§. 312. Ovid IV, 721, Prop. IV, 1, 19.)

23. Festum Veneris (?), Vinalia, vinearum Jovi consecratio; alia mense Augusto (Ovid. IV, 863.) Eodem die meretrices Veneri sacrificabant (ib. 865.)

25. Robigalia deæ Robigini, vel deo Robigo (cf. Serv. ad Virg. *Georg.* 1, 151.), robigini avertendæ (Ovid. IV, 905.)

19. (?) Cerealia, Cereri, mystica, a Græcis petita, a matronis (?) celebrata (cf. Liv. XXII, 56, XXX, 39, Cic. *p. Balbo,* 24, Plaut. *Aul.* II, 6, 5, Fest. in *Græca sacra,* Ovid. IV, 393. sqq.)

Mensis Majus.

339. Dies 1. Festum Larium, et sacra nocturna Bonæ Deæ (§. 328. Ovid. V, 129 et 148.)

9. Lemuria (lemures, larvæ nocturnæ, manes, umbræ, a Remo occiso quasi remures), pacandis propinquorum umbris (Ovid. V, 421 et 483.).

12. Ludi Marti (ib. 597.)

15. Festum Mercurii, imprimis negotiatorum (Ovid. V, 663.) Eodem die Virgines Vestales argeos (simulacra humana) de ponte sublicio (cf. §. 147.) in Tiberim jaciebant (ib. 621.)

23. Festum Vulcani (§. 293.), Tubilustria (Ovid. V, 725.)

25. Consecrationis ædis Fortunæ Publicæ (ib. 729.)

Mensis Junius.

340. Dies 1. Festa deæ Carnæ (dea cardinis. Ovid. VI, 101.), Junonis Monetæ (ib. 183.), Martis extramuranei (§. 292. Ovid. VI, 191.) et Tempestatis (ib. 193.)

4. Festum Bellonæ (§. 292. Ovid. VI, 201.)

5. Festum Dii Fidii (§. 285. Ovid. VI, 213.)

8. Ludi piscatorum (ib. 237.) Eadem dies sacra Bonæ Menti (ib. 241.)

9. Festum Vestæ (§. 288. Ovid. 248.)

10. Matralia, Matri Matutæ; festum Fortunæ Virilis, item Concordiæ (Ovid. VI, 479. 569. 637.)

13. Quinquatria minora, musicorum in urbem reductorum memoriæ (ib. 651.)

16. Stercoris deferendi e templo Vestæ (ib. 713.)

19. Festum Summani (§. 302. Ovid. VI, 731.)

24. Festum Fortunæ Fortis, populare, infimorum civium.

30. Festum Herculis et Musarum (§. 307. Ovid. VI, 799.)

Mensis Julius.

341. Dies 1. Habitationum mutatio, dies conductionum (cf. Cic. *ad Q. Fr.* II, 3, Suet. *Tib.* 35, Mart. XII, 32, 1.)

5. Populifugia (cf. Varro *de L. L.* V. p. 47, Macrob. III, 2.) Eodem die (?) ludi Apollinares (cf. Liv. XXV, 12, XXVII, 23, Macrob. I, 17.)

7. Festum Junonis Caprotinæ, mulierum, ancillarum sub caprifico sacrificium (Nonæ Caprotinæ. Cf. Macrob. I, 11, Varro l. c., Plut. *Cam.* 33.)

14. Ædes Fortunæ Muliebris dicata (v. Dionys. VIII, 10, Liv. II, 40, Plut. *Coriol.*)

15. Festum Castoris et Pollucis; Equitum transvectio (§. 139. Cf. Dionys. Hal. VI, 13.)

16. Dies atra (Alliensis.)

19. Lucaria, in luco celebrata (cf. Festus, Macrob. I, 4. Aliter Varro, a luce vocem derivans.) Eadem repetita die 21.

23. Neptunalia, Neptuno (§. 291. Cf. Varro *de L. L.* V. p. 48.), a nonnullis Septembri addita.

25. Furinalia, deæ Furinæ, ignotæ (cf. Varro l. c., Cic. *de N. D.* III, 18.)

Mensis Augustus.

342. Dies 1. Ludi equestres Marti (cf Suet. *Claud.* 4.)

13 Festum Dianæ (cf. Mart. XII, 68.)

17. Portumnalia, deo Portumno (cf. Varro l. c.)

18. Consualia, deo Conso (§. 284.) Eodem die raptus Sabinarum celebratus.

19. Vinalia altera, Jovi et Veneri (?) sacra (cf. Rosinus l. IV, c. XII.)

23. Vulcanalia, Vulcano (cf. Varro l. c., Colum. XI, 3, Plin. XVII, 27.), incendiis avertendis.

25. Dies Opeconsiva, deæ Opis Consivæ (cf. Macrob. III, 9, Fest. in *opima.*)

Mensis September.

343. Dies 4. ad 12. Ludi magni vel Romani, in Circo Maximo, Jovi, Junoni et Minervæ (v. Liv. I, 35, XXVIII, 10, XXIII, 30, XXXI, 4, Cic. *Verr.* V, 14.)

13. Dies clavi figendi (§. 201.)

23. Augusti natalis (v. Suet. *Aug.* 57.)

27. Festum Veneris Genitricis.

30. (Alii 11. Octobris) Meditrinalia, vino gustando, ante vindemiam. De vocis notione cf. Varro *de L. L.* V. p. 48.

Mensis October.

344. Dies 12. Augustalia, ob reditum Augusti, Imperio pacato (cf. Dio Cass. LIV, 10 et 34.)

13. Fontinalia, fontibus coronandis (cf. Varro l. c.)

15. Equus Marti in Campo immolabatur (October equus. V. Festus.) Quidam ad Id. Decembres referunt (cf. Plut. *Q. R.* 97.)

19. Armilustrium, in loco Armilustro, festum militare, armis sacrandis (cf. Varro l. c., Festus, in *armilustrium,* ibiq. not. Scal. ,Liv. XXVII, 37.)

Mensis November.

345. Dies 5. Neptunalia, nisi potius incerto tempore celebrata (cf. 23. Julii.)

7. Mundus patebat (v. Macrob. I, 16, cf. Fest. in *mundus* et *mundum*, Plut. *Rom.* p. 23.)

13. Epulum sive lectisternium Jovi (§. 331.)

15. Ludi Plebeji in Circo. Iidem et alias, incertis diebus.

18. Mercurialia, mercatorum, ut conjiciunt; sed incerta lectio. Eadem sæpius recurrunt.

Eodem mense Brumalia memorantur

Mensis December.

346. Dies 5. Faunalia, Fauno (§. 308.), rusticorum (cf. Hor. *Od.* III, 18.)

19. Saturnalia, Saturno (§. 301.), per plures dies, otii et communis lætitiæ, muneribus invicem missis, in iisque cereis, quin etiam servis, domino ministrante, epulantibus, in memoriam aureæ sub Saturno ætatis, nemine serviente (Liv. II, 21, XXX, 36, Suet. *Cal.* 17, Macrob. *Saturn.* I, 7, Hor. *Sat.* II, 7, 4.)

19. Opalia, Opi (Rheæ. V. Macrob. I, 10.)

21. Divalia (Angeronalia. V. Macrob. ib.)

24. Ludi Juvenales (cf. Suet. *Nero* 11.)

Eodem mense recurrebant Agonalia et Consualia, item, sæpius celebrata, compitalia, Laribus compitorum (§. 314.)

DE LUDIS.

347. Cum festis plurimis conjuncti ludi publici, et ipsi festa adpellati, nec parva pars veterum religionis, cæterum alii extraordinarii, alii consueti, iique, ut supra inter festa positi, statuto plerique tempore recurrentes (stati). His quinquennales 1) quoque et decennales, ac, si voci congrueret tempus, sæculares adnumerandi forent, illi, in numis etiam memorati, salvo Principi post unum duove imperii lustra, sæculares autem nec sub Cæsaribus eodem semper intervallo repetiti 2), et in libera civitate interdum, monentibus libris Sibyllinis, in publica calamitate indicti inveniuntur 3), iidem olim Diti et Proserpinæ, post pluri-

morum deorum sacrificiis per plures dies, nocturnis etiam pervigilationibus, imprimis vero in Apollinis et Dianæ (§. 322.) honorem celebrati 4). Extraordinarios autem ludos antiquarii cum generibus tum alias distinguunt, votivos 5), imperativos, lustrales 6), funebres, alios.

1) Cf. Tac. *Ann.* 14, 20. — 2) Cf. Suet. *Claud.* 21, Herod. 3, 8, Ovid. *Trist.* l. 2, v. 25, Hor. *C. S.* v. 21. — 3) Cf. Val. Max. 2, 4, 5. — 4) Cf. Val. Max., Herod., Hor. l. c., Zosim. l. 2. c. 5. — 5) Cf. Suet. *Aug.* 43. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 16, 4.

348. Alia divisionis ratione ludi dividuntur in circenses, gladiatorios et scenicos. Circenses a circo adpellati. Circus ædificium longissimum, minori latitudine, extrema parte una vel utraque, unde nomen, incurvum, per intermedium spatium, apertum, planitie (spina) in longitudinem extensa, modice eminente, et obeliscis, aris, ædiculis, statuis, aliisque e deorum et heroum cultu ornata, quibus, ut Soli, Apollini, Cybelæ, Castoribus, circus ludique sacri erant. Ad extremam spinæ alteram vel utramque partem metæ 1), circum quas equi currusque agebantur, prope metam ova; ab altera ædificii parte carceres utrisque emittendis. Initium cursus quidam lineam (creta, calx) faciunt, eamque ante carceres ductam, alii, rectius, puto, finem 2). Ad ambitum circi fossa (euripus); ipse pilarum ordinibus duobus pluribusve alte exstructus, quibus interius nitebantur sedilia spectatoribus. Propriis nominibus distinguuntur Mænianum et Podium; unde ad podium spectare 3).

1) Cf. Hor. *Od.* 1, 1, 4, Stat. *Sylv.* 4, 7, 23. — 2) Varro ap. Non. in *calx : Nemini fortuna currum a carcere intimo (?) missum inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.* Cf. Cic. *Tusc.* 1, 8, Sen. *Ep.* 108. — 3) Juven. 2, 147. Cf. Plin. 37, 3, Suet. *Nero*, 12.

349. In ludis circensibus 1) ponuntur hæc certamina: cursus equester, isque aut equo aut curru, bigis, quadri-

15. Ludi Plebeji in Circo. Iidem et alias, incertis diebus.

18. Mercurialia, mercatorum, ut conjiciunt; sed incerta lectio. Eadem sæpius recurrunt.

Eodem mense Brumalia memorantur

Mensis December.

346. Dies 5. Faunalia, Fauno (§. 308.), rusticorum (cf. Hor. *Od.* III, 18.)

19. Saturnalia, Saturno (§. 301.), per plures dies, otii et communis lætitiæ, muneribus invicem missis, in iisque cereis, quin etiam servis, domino ministrante, epulantibus, in memoriam aureæ sub Saturno ætatis, nemine serviente (Liv. II, 21, XXX, 36, Suet. *Cal.* 17, Macrob. *Saturn.* I, 7, Hor. *Sat.* II, 7, 4.)

19. Opalia, Opi (Rheæ. V. Macrob. I, 10.)

21. Divalia (Angeronalia. V. Macrob. ib.)

24. Ludi Juvenales (cf. Suet. *Nero* 11.)

Eodem mense recurrebant Agonalia et Consualia, item, sæpius celebrata, compitalia, Laribus compitorum (§. 314.)

DE LUDIS.

347. Cum festis plurimis conjuncti ludi publici, et ipsi festa adpellati, nec parva pars veterum religionis, cæterum alii extraordinarii, alii consueti, iique, ut supra inter festa positi, statuto plerique tempore recurrentes (stati). His quinquennales 1) quoque et decennales, ac, si voci congrueret tempus, sæculares adnumerandi forent, illi, in numis etiam memorati, salvo Principi post unum duove imperii lustra, sæculares autem nec sub Cæsaribus eodem semper intervallo repetiti 2), et in libera civitate interdum, monentibus libris Sibyllinis, in publica calamitate indicti inveniuntur 3), iidem olim Diti et Proserpinæ, post pluri-

morum deorum sacrificiis per plures dies, nocturnis etiam pervigilationibus, imprimis vero in Apollinis et Dianæ (§. 322.) honorem celebrati 4). Extraordinarios autem ludos antiquarii cum generibus tum alias distinguunt, votivos 5), imperativos, lustrales 6), funebres, alios.

1) Cf. Tac. *Ann.* 14, 20. — 2) Cf. Suet. *Claud.* 21, Herod. 3, 8, Ovid. *Trist.* l. 2, v. 25, Hor. *C. S.* v. 21. — 3) Cf. Val. Max. 2, 4, 5. — 4) Cf. Val. Max., Herod., Hor. l. c., Zosim. l. 2. c. 5. — 5) Cf. Suet. *Aug.* 43. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 16, 4.

348. Alia divisionis ratione ludi dividuntur in circenses, gladiatorios et scenicos. Circenses a circo adpellati. Circus ædificium longissimum, minori latitudine, extrema parte una vel utraque, unde nomen, incurvum, per intermedium spatium, apertum, planitie (spina) in longitudinem extensa, modice eminente, et obeliscis, aris, ædiculis, statuis, aliisque e deorum et heroum cultu ornata, quibus, ut Soli, Apollini, Cybelæ, Castoribus, circus ludique sacri erant. Ad extremam spinæ alteram vel utramque partem metæ 1), circum quas equi currusque agebantur, prope metam ova; ab altera ædificii parte carceres utrisque emittendis. Initium cursus quidam lineam (creta, calx) faciunt, eamque ante carceres ductam, alii, rectius, puto, finem 2). Ad ambitum circi fossa (euripus); ipse pilarum ordinibus duobus pluribusve alte exstructus, quibus interius nitebantur sedilia spectatoribus. Propriis nominibus distinguuntur Mænianum et Podium; unde ad podium spectare 3).

1) Cf. Hor. *Od.* 1, 1, 4, Stat. *Sylv.* 4, 7, 23. — 2) Varro ap. Non. in *calx : Nemini fortuna currum a carcere intimo (?) missum inoffensum per æquor candidum ad calcem sinit.* Cf. Cic. *Tusc.* 1, 8, Sen. *Ep.* 108. — 3) Juven. 2, 147. Cf. Plin. 37, 3, Suet. *Nero*, 12.

349. In ludis circensibus 1) ponuntur hæc certamina: cursus equester, isque aut equo aut curru, bigis, quadri-

gis 2), aurigis vestium colore (prasinus, russeus, venetus, albus, etc.), anni tempestates referente, secundum factiones distinctis 3): pretium victori palma 4); certamen gymnicum, ad Græcorum morem, quinquertio (πένταθλον), saltu, cursu, lucta, pugilatu (cestus), disco, etc. 5); pugna pedestris et equestris; cujus species ludus Troja 6); venationes, bestiarum inter se vel cum hominibus, sive conductis sive damnatis (bestiarii, ad bestias damnati), pugnæ 7); naumachia, pugna navalis, in lacubus effossis, aut aqua in circum aut naumachias, ad eam rem exstructa in circuli formam ædificia, e mari aut per aquæductus immissa 8). Certantes in ludis circensibus, in aliis ingenui etiam, in aliis servi tantum aut damnati.

1) Cf. Suet. *Claud.* 21. — 2) Cf. Hor. *Od.* 1, 1, 3, 2, 16, 34. — 3) Cf. Suet. *Dom.* 7. — 4) Cf. Horat. *Od.* 1, 1, 5. — 5) Cf. Virg. *Æn.* 5, 286. sqq. — 6) Cf. *Æn.* 5, 545-603, Tac. *Ann.* 11, 11, Suet. *Claud.* 21. — 7) Cf. Cic. *ad Div.* 7, 1, Tac. *Hist.* 2, 61. — 8) Cf. Suet. *Tib.* 72, *Claud.* 21, *Dom.* 4.

350. Ludi gladiatorii (gladius, *gladiare*), munera quoque 1) dicti, Etrusca origine, primum in funeribus, unde bustuarii 2), post oblectationis quoque causa celebrati, alias publico sumtu, alias privato 3). His edendis structura præcipue accommodata, quæ amphitheatra, quasi circularia theatra, vocantur.

Theatra veteris Romæ, fabulis repræsentandis dicata, ædificia erant vastæ pleraque molis, forma semicirculi. Pars incurva exterius pilarum ordines, alios aliis impositos, interius sedilia (cunei, cavea, tota, ima, media, summa. Cf. Suet. *Aug.* 44.) spectatoribus exhibebat, crescente ad summum circuitu. Reliqua pars, per diametrum hemicyclii extensa, interius scenam (σκηνή; proscenium 4); pulpitum 5), scena theatrum, etc.), exterius ædificii frontem obvertebat. Inter-

medium spatium, apertum,¹ in theatro Græco, utpote chorò et saltationi dicatum, orchestra (ὀρχοῦμαι); de Romano v. §. 176. Amphitheatrorum vero eadem fere structura, quæ in semicirculo theatrorum; cæterum rotunda, unaque toto circuitu interius exteriusque forma, nec scenam proprie habebant, intermedio spatio, arena, ludis destinato; unde arena pro amphitheatro et gladiatoribus 6), arenæ se dare, arenarii, etc.

1) Pacandis sc. manibus? Cf. Serv. ad *Æn.* 10, 519, 3, 67, Liv. ep. l. 16, Suet. *Tib.* 7, Creuz. §. 306. — 2) Cic. *in Pis.* 9. — 3) In verbis de re solennibus edere munus (Juven. 3, 34.), editor, editio (Symm. Ep. 10, 15, 2, 77.) muneris, munerarius, munerator. — 4) Cf. Vitruv. 5, 6, Suet. *Nero* 5, A. G. Schlegel *Dram. Kunst.* p. 1. *Vorles.* 3.— 5) Cf. Vitruv. 5, 6 et 8, Hor. *A. P.* 215 et 279, Prop. 4, 1, 16, Ovid. *A. A.* 1, 104, Juv. 3, 174. — 6) Cf. Mart. *de Spect.* 21, 2, Juven. 3, 34, 4, 100, 8, 206.

351. Ipsi gladiatores in cohortes, familias 1), divisi, (e servis plerumque aut captivis, aut reis, ad ludum damnatis, immistis et ingenuis, conductis sive auctoratis, unde auctoramentum, gladiatorium,) sub magistro, lanista 2), variis artibus erudiebantur; quo trahuntur rudis; exerceri ad palum, batuere 3), Suet. *Cal.* 32 et 54; attolle, cede, percute, urge, etc., absolutoque tirocinio, lanistæ se arbitrio permittentes, jurabant, se coram populo Romano ad mortem pugnaturos. Ab Lanista munus edituri gladiatorum paria, composita, comparata 4), emebant. Ipsi ab armorum aut pugnæ diversitate compluria in genera divisi, in quibus hoplomachi 7), Thraces, Samnites 8), retiarii, reti et fuscina cum mirmillone et secutore pugnantes 9), laquearii, essedarii 10), dimachæri (a duplice ense), bestiarii, provocatores, catervarii, supposititii, tertiarii, etc. Memorantur et gladiatrices cum nanis compositæ 11).

1) Cf. Cic. *p. Sext.* 4, Suet. *Aug.* 42. — 2) Cf. Juven. 11, 8, 6, 216. Mart. 11, 67, 3, Cic. *p. Rosc. Am.* 6 et 40. — 3) Unde serius *batualia*,

de loco batuentium, et gallicum *bataille*.— 4) Cf. Hor. *Sat.* 1, 7, 20, Suet. *Cal.* 35. — 5) Cf. Suet. ib., Mart. 8, 74. — 6) Cf. Liv. 9, 40. — 7) V. Juven. 8, 200. sqq., Suet. *Cal.* 30, Val. Max. 1, 7, 8. — 8) Suet. l. c. et *Claud.* 21. — 9) Suet. *Dom.* 4.

352. Pompa in arenam deducti, primo rudibus, dexteritatem ostendentes, præludebant 1), dein, tuba signum dante, armis certamen inibant, in quo cum aliis notandæ phrases: dejicere, movere de gradu, statu; petere; ferire punctim, cæsim; cavere, latus tegere; arma submittere, etc. Cæterum, spectanti populo mira quadam constantia parebant gladiatores 2). Victus aut jugulum porrigebat, aut extensa ad populum manu, quid vellet, exspectabat; populus aut servabat, aut mori, quo referendum pollicem premere, pollicem vertere 3), aut pugnam renovare, recipere ferrum, victorem etiam quandoque ad mortem certare jubebat. Inter ludos concessa requies diludium dicebatur 4). Mortui per portam libitinam uncis in spoliarium trahebantur 5). Victoriæ insignis honos palma, quem augebant additi lemnisci 6), unde palma lemniscata 7). E ludo dimissi rude donabantur 8), unde rudiarii adpellati.

Ludis gladiatoriis ut vulgus mirifice delectabatur 9), sic a cordatis quoque et mitioris ingenii viris non raro laudati, tanquam patientiæ et constantiæ scholæ, iidemque ad armorum usum et bellicam virtutem augendam utiles; longe aliter nos, diversissimis ab Romanorum moribus atque institutis, judicamus. Ipsi autem gladiatores, pessimi fere moris, et, suadente arte, ferocissimi, apud Romanos quoque non tam viles quam infames et latronibus propiores habebantur 10); unde turpissimum non infimæ conditionis hominibus inter eos reperiri 11).

1) Cf. Cic. *de Orat.* 2, 78, Sen. *Ep.* 7 et 117, Ovid. *A. A.* 3, 515 et 589, Virg. *Æn.* 5, 426 sqq. — 2) Cic. *Tusc.* 2, 17, *Gladiatores, aut perditi*

homines aut barbari, quas plagas perferunt? Quomodo illi, qui bene instituti sunt, accipere plagam malunt, quam turpiter vitare? Quam sæpe adparet, nihil eos malle, quam vel domino satisfacere, vel populo? Mittunt etiam vulneribus confecti ad dominos, qui quærant, quid velint? Si satis his factum sit, se velle decumbere. Quis mediocris gladiator ingemuit? Quis vultum mutavit unquam. Quis, non modo stetit, verum etiam decubuit turpiter? Quis, quum decubuisset, ferrum recipere jussus, collum contraxit? Cf. Cic. *p. Sext.* 37 et 59, *p. Mil.* 34, *Sen. Ep.* 7. — 3) Cf. Juven. 3, 36. — 4) V. Hor. *Ep.* 1, 19, 47. — 5) Cf. Sen. *Ep.* 93, Lampr. *Comm.* 18 et 19. — 6) Cf. Plin. 21, 3, 16, 4, Capitol. *Verus*, 5. — 7) Cic. *Rosc. Am.* 35. — 8) Cf. Cic. *Phil.* 2, 29, Hor. *Ep.* 1, 1, 2.— 9) Cf. Cic. *ad Div.* 1, 1. — 10) Cf. Cic. *Tusc.* 2, 17. — 11) Cf. Cic. *Tusc.* 2, 17, *Phil.* 7, 6, *Cat.* 2, 4, Juven. 2, 143.

353. Ludorum scenicorum 1) origo deducitur ab a. U. C. 391., arcessitis Romam, pestis avertendæ gratia, ex Etruria histrionibus 2), quorum ad tibiam saltationes imitans juventus Romana, simul alternis versibus incondite jocari cœpit 3). Rude initium excepit satira (satura, mixtum) *descripto*, inquit Livius, *ad tibicinem cantu motuque congruente peractu;* nomen jam diverso in carminis genere servavit Lucilius, satiræ parens dictus. Cæterum, satira histrionibus relicta, juventus novum, exodia 4) post vocata, induxit, simul ab Oscis acceptam atellanam, fabulam, ab histrionibus intactam sibi vindicans; unde atellanarum actoribus 5) integra manserunt civis jura, histrionibus imminuta, tribu motis et militia exclusis 6). Græcam vero fabulam (drama) primus vertisse et Romæ docuisse fertur Livius Andronicus, a. U. C. 512 7). Hunc secuti Nævius, Ennius, Atta, Plautus, Terentius, Afranius, Pacuvius, Accius 8).

1) A σκηνή, quod nonnulli a σκία, umbra, derivant —2) Histrioni respondent ludius et ludio, quod, dubites, pariter tuscam vocem, an a *ludo* latinam facias. — 3) V. Liv. 7, 2. Cf. Tac. *Ann.* 14, 21, Hor. *Ep.* 2, 1, 139. — 4) Cf. Liv. 7, 2, Juven. 3, 175, 6, 71, Suet. *Tib.* 45, *Dom.* 10. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 4, 14. — 6) V. Liv. 7, 2. — 7) Cf. Liv. ib. et Hor. *Ep.* 2, 1, 61. — 8) Cf. Hor. ib. 56 et 79.

354. In Comœdiis et tragœdiis distinguitur togata vel prætextata a palliata, illa Romani, hæc Græci argumenti 1); comœdiæ insuper plura genera: Atellana, Tabernaria, Rhintonica, Planipedia, etc. 2). Serius, prævalentibus mimis, unde pantomimi 3), comœdia et tragœdia neglectæ 4), Romanis aurium oculorumque oblectationem potius quam ingenium artemque flagitantibus 5). Simul in deliciis esse cœpere præstigiatores (acetabula 6), calculi, ψηφοπαίκτης, petauristæ, funambuli, moriones 7), etc.)

Fabulas agendas vulgo ab auctoribus Ædiles emisse, nota res est 8). In actione cum alia nobis obscura, tum versus recitandi (canendi), neque minus scenæ ornandæ omnisque scenici adparatus ratio. Recitationem tibiæ modis (dextræ, sinistræ, pares, impares) temperatam, veteres docent 9); an tota fabula, est sane, cur dubitemus, certe genera distinguamus. Alterius ad tibiam cantum motu histrionis actum, et histrioni diverbia tantum relicta memorat Livius l. c. De mimo v. et §. 305.

1) Cf. Hor. ib. 57, et *A. P.* 288. — 2) Cf. Donati Fragm. *de Com. et Trag.*, Lydus *de Magistrr.* 1, 40, Reuvens. *collect. litteraria*, pag. 24. sqq. — 3) Cf. Pignor. *de Servis* p. 184, ibique in veteri epigrammate — *tot linguæ, quot membra viro.* — 4) Cf. Ast. *Grundr. d. Philol.* p. 429. — 5) Cf. Hor. *Ep.* 2, 1, 182. sqq. — 6) Sen. *Ep.* 45, — *quomodo præstigiatorum acetabula et calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* — 7) Cf. Pignor. *de Servis.* pag. 187, ubi et icones morionum — 8) Cf. Ovid. *Trist.* 2, 207. — 9) V. Liv. 7, 2, Hor. *A. P.* 202-15. Cf. Ovid. *Fast.* 6, 659.

355. Personarum (πρόσωπον), unde personatus 1), usum Romani cum ipsis fabulis a Græcis acceperunt 2): quæ, totum caput tegentes, ideoque capillis adornandæ, facie ad fortunam, ætatem, ingenium, animum, exhibendum fingebantur 3); unde necesse, tragicas a comicis distingui 4); utrisque tamen os hians 5), idemque ad sonum, unde per-

sonam adpellatam volunt, augendum arte compositum, quem echeis (ἠχεῖον) quoque, quæ sub sedilibus posita, auctum esse, constat 6). De materia personæ cf. Lucretius et Prudentius 7). E vestibus tragœdo syrma 8) et palla 9), e calceis eidem cothurnus, comœdo soccus solennis; unde huic comicæ, illi tragicæ, omnino sublimis, fabulæ, sermonis, artis, ingenii significatio 10).

Scena, ut totum theatrum, sine tecto. A sole et pluvia spectatores tuebantur vela *malis trabibusque intenta* 11). Par luxuria in theatro odoribus (crocus) conspergendo 12). Aulæum, siparium, (quod comœdiæ 13) quidam esse volunt,) condendæ scenæ attollebatur; demisso, patebat 14). De scenæ apud Græcos ornatu quædam lucidius exponere conatus Schlegel, *über dram. Kunst*, 3. Vorles. Inter machinas occurrit pegma 15).

1) Hor. Sat. 1, 4, 56, Suet. *Nero* 21. — 2) Cf. Hor. *A. P.* 278. — 3) V. A. G. a Schleg. *dram. Kunst* 3. *Vorles.* Cf. Cic. *de Orat.* 2, 46. — 4) Cf. Phædr. 5, 7. — 5) Cf. Juven. 3, 175. — 6) V. Vitruv. 1, 1, 5, 5, Schneid. *Eclog. Phys.* pag. 175. — 7) 4, 298, Prudent. *adversus Symm.* 2, 646. — 8) Cf. Juven. 8, 229, Mart. 12, 96, 4. — 9) Cf. Hor. *A. P.* 278, Ovid. *Am.* 2, 18, 15. — 10) Cf. Hor. *A. P.* 80, 90, 280, *Ep.* 2, 1, 174, Virg. *Ecl.* 8, 10, Quint. 10, 2, Mart. 8, 3, 13. Hinc et cothurnatus, Mart. 5, 5, 8, Ovid. *Am.* 2, 18, 18, Sen. *Ep.* 8, *quam multa Publii, non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt?* — 11) Lucret. 3, 107, 4, 73, Prop. 4, 1, 15, Ovid. *A. A.* 1, 103 — 12) Cf. Prop. et Ovid. l. c., Hor. Ep. 2, 1, 79, Sen. *Ep.* 90 — 13) Cf. Juven. 8, 186, Sen. *de Tranq.* 11. — 14) V. Ovid. *Met.* 3, 111, Hor. *Ep.* 2, 1, 189. Cf. Virg. *Georg.* 3, 25. — 15) V. Sen. *Ep.* 88, Plin. 33, 3, Juven. 4, 122, Phædr. 5, 7, 6, Mart. 8, 33, 3.

ANNI, MENSIUM ET DIERUM DIVISIONIS RATIO.

356. Extremo capiti de religione pauca adjicimus de temporis apud Romanos mensura, deque dierum, quam fastis contineri diximus (§. 334.), distinctione.

Antiquissimus Romanorum annus decem mensium idem-

que 304 dierum fuisse traditur 1), sicque nec terræ circa solem singulos, nec lunæ decem orbes æquans. Is annus quot annorum spatio cum solari initio congruerit, ignoramus 2). In Duodecim menses lunares annum divisit Numa, intercalatione, secundum Livium l. c., inducta, qua quarto et vicesimo anno solaris lunarisque anni dierum congruentia redierit. Cæterum intercalatio, nec satis accurate definito anni solaris spatio, Pontificum quoque culpa, quibus ea cura mandata 3), sæpe perperam fiebat, quum varias ob causas annum volentes justo longiorem brevioremve facerent, semel peccata dein male compensantes. Hinc perpetua temporis perturbatio, cui mederi cupiens J. Cæsar, Sosigeni, mathematico, negotium dedit 4); abolitoque anno lunari, solarem induxit, 365 diebus et 6 horis definitum, quæ quarto quoque anno in diem collectæ addebantur, geminato sexto ante Cal. Mart. die; unde et dies, et, cui inscritur, annus bissextus (*bissextilis*) vocatur. Julianam rationem sæculo decimo sexto emendavit Gregoriana, qua hodie utimur.

1) V. Cens. *de D. N.* c. 20, Macrob. *Saturn.* 1, 12-14, Liv. 1, 19, Ovid. *Fast.* 1, 27 et 44, 3, 120 et 151. — 2) Cf. Censor. c. 18. Intercalationem et cyclum 110 annorum (sæculum), qua utentes olim Italiæ populi ab anni solaris spatio minus, quam Juliana ratio, aberraverint, multo acumine invenit Niebuhr (*Ræm. Gesch.* v. 1. p. 192. sqq.) — 3) Cf. Cic. *ad Div.* 7, 2. Censorinus: *in mense potissimum Februario, inter Terminalia et Regifugium, interkalatum est, idque diu factum, priusquam sentiretur annos civiles aliquanto naturalibus esse majores. Quod delictum ut corrigeretur, Pontificibus datum est negotium, eorumque arbitrio interkalandi ratio permissa*, etc. — 4) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 155, 155, Plin. 2, 18, 18, 25. Suet *Cæs.* 40, *fastos correxit, jam pridem vitio Pontificum per intercalandi licentiam adeo turbatos, ut neque messium feriæ æstati, neque vindemiarum autumno competerent.*

357. Primi Romanorum anni initium mensis Martius 1),

ab hoc quintus, Julius, olim Quinctilis, item sequentes deinceps a numero adpellati. Januarium et Februarium, non mutato anni principio, addidit Numa; unde Februarius, initio anni finis, postquam a Januario cœpit, secundus mensis factus est 2). Januarius, Jano sacer, ab eodem, Februarius a Februis (§. 336.), Martius a Marte dictus. Aprilem, Veneri sacrum, alii a Græco etymo (ἀφρός), alii, quasi omnia aperientem, ut pote veris initium, *aprilem* pro *aperilem*, 3), Majum a majoribus sive senioribus maxime 4), Junium, Junoni sacrum, vel ab ea, vel quasi juvenum mensem vocari existimant 5). Julium vero et Augustum a Julio Cæsare et Augusto nominatos, notissimum est.

1) V. Ovid. *Fast.* 3, 75-166. — 2) V. Ovid. *Fast.* 2, 49. — 3) Ovid. 4, 61 et 87. — 4) Ibid. 73. — 5) Ovid. 6, 26 et 88.

358. In singulis mensibus distinguuntur Calendæ 1), Nonæ et Idus 2). Calendæ prima dies, Nonæ, in cæteris mensibus quinta dies, in Martio, Majo, Julio, Octobri septima, Idus in iisdem decima quinta, in cæteris decima tertia. Dies inter Calendas et Nonas a Nonis, inter Nonas et Idus ab Idibus, post Idus a proximi mensis Calendis numerantur (Calendæ, Nonæ, Idus Januarii v. Januariæ, etc.; pridie Calendarum vel Calendas Januarias, 31. Decembris, pridie N., I.; tertia (non secunda; quia dies, a quo numeratur, numero accedit), quarta, etc. ante 3) Nonas, I., C., etc. 4). Feriando a rusticis negotiis, rebusque urbanis, ut mercatui et legibus promulgandis (§. 159.), sacratæ Nundinæ, octo dierum intervallo 5). Hebdomades, diebus ex antiquo Ægyptiorum more solis et planetarum nomine distinctis, sub Cæsaribus demum seroque usurpatæ 6).

Dies alia civilis, a media ad mediam noctem, alia natu-

ralis ab ortu ad occasum solis, illa viginti quatuor, naturalis duodecim horarum, prima orto sole incipiente 7). In partibus diei distinguendis usitata vocabula jubar, diluculum, mane, ad meridiem, meridies, de meridie, tempus occiduum, occasus solis, vesper, crepusculum, nox intempesta 8), concubia, ad mediam, media, de media nocte, gallicinium et conticinium 9). Ad noctis in castris divisionem pertinent quatuor vigiliæ 10). Horis indicandis usitata, quibus viatores quoque utebantur, horologia solaria, Gnomon, unde gnomonicus, gnomonice, σκιάθηρον, ἡλιοτρόπιον 11), quo et obeliscus in Campo trahendus 12). Diversi generis, quæ ab aqua, ὕδωρ, clepsydræ (§. 274.) vocantur 13).

1) Calendæ a καλεῖν, ob populum primo mensis die in curiam Calabram a Pontifice vocatum. Nonæ nona ante Idus dies. Apud Etruscos nonæ dies, qui Romanis nundinæ, iisdemque apud illos annus dividebatur, apud Romanos non item (cf. Macrob. 1, 15, Nieb. p. 195.) Idus ab *iduo*, Etrusco, i. e. divido, derivant, tanquam mensem dividentes (v. Macrob. l. c. — 2) Cf. Macrob. 1, 12. sqq. — 3) In diebus casu ablativo indicandis vulgo et *dies* et *ante* omittuntur, velut tertio Calendas. Alia ratio, eaque, quod Zumpt. monuit, apud Ciceronem et Livium multo usitatior, est *ante diem tertium Calendas* (a. d. III. Cal.), *Nonas*, *Idus;* ubi, quum præpositiones accedunt, manente, tanquam substantivo, *ante diem*, habes *in ante diem IV Cal.*, *ex ante diem quintum Idus*, et similia. — 4) Universo anno compositam rationem exhibet, quæ notas huj. §. sequitur, tabella, grammaticæ Brœderianæ inserta.
— 5) Cf. Varro *de R. R.* 2, præf., Colum. præf. §. 18, Macrob. 1, 16, Plin. 18, 3, *nundinis urbem revisitabant*, *et ideo comitia nundinis haberi non licebat*, *ne plebs rustica avocaretur*. Cf. Virg. *Mor.* v. 79. — 6) Cf. Dio Cass. 37, 18. Hebdomada annorum, Gell. 3, 10, Hebdomas quarta, Gell. ib. Cf. Cic. *Ad. Div.* 16, 9. Septimana, unde *semaine*, *Cod. Theod.* XV, 5. — 7) V. Macrob. 1, 3. — 8) Cf. Fest. in *intempestam*, Virg. *Æn.* 3, 587. — 9) Cf. Censor. *de D. N.* 24, Macrob. 1, 3. — 10) Cf. Liv. 5, 44, 7, 35, Cæs. *de B. G.* 1, 12. — 11) Cf. Vitruv. 1, 6, 9, 8, Plin. 2, 72, 7, 34. — 12) De quo Plin. 35, 10. — 13) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 34, p. *Quint.* 18, Sen. *Ep.* 24, Lyd. 2, 16, Veget. *de Re Mil.* 3, 8.

TABULA DIES ANNI ROMANORUM MORE INDICANDI RATIONEM EXHIBENS.

Nostri mensium dies.	Mart., Maj., Jul., Oct. (dierum 31.)	Jan., Aug., Dec. (dierum 31.)	Apr., Jun., Sept., Nov. (dierum 30.)	Februar. (dierum 28, in anno biss. 29.)
1	*Calendis*	*Calendis*	*Calendis*	*Calendis*
2	VI	IV ante	IV ante	IV ante
3	V ante	III Nonas	III Nonas	III Nonas
4	IV Nonas	Pridie Nonas	Pridie Nonas	Pridie Nonas
5	III	*Nonis*	*Nonis*	*Nonis*
6	Pridie Nonas	VIII	VIII	VIII
7	*Nonis*	VII	VII	VII
8	VIII	VI ante	VI ante	VI ante
9	VII	V Idus	V Idus	V Idus
10	VI ante	IV	IV	IV
11	V Idus	III	III	III
12	IV	Pridie Idus	Pridie Idus	Pridie Idus
13	III	*Idibus*	*Idibus*	*Idibus*
14	Pridie Idus	XIX	XVIII	XVI
15	*Idibus*	XVIII ante Calendas (mensis sequentis.)	XVII ante Calendas (mensis sequentis.)	XV
16	XVII ante Calendas (mensis sequentis.)	XVII	XVI	XIV ante Calendas Martias
17	XVI	XVI	XV	XIII
18	XV	XV	XIV	XII
19	XIV	XIV	XIII	XI
20	XIII	XIII	XII	X
21	XII	XII	XI	IX
22	XI	XI	X	VIII
23	X	X	IX	VII
24	IX	IX	VIII	VI
25	VIII	VIII	VII	V
26	VII	VII	VI	IV
27	VI	VI	V	III
28	V	V	IV	Pridie Calendas Martias.
29	IV	IV	III	
30	III	III	Prid. Calend. (mensis sequentis.)	
31	Prid. Calend. (mensis sequentis.)	Prid. Calend. (mensis sequentis.)		

359. Distinctione dierum ab religione et superstitionibus profecta festi dicuntur sacris celebrandis dicati, profesti a sacris vacantes 1), fasti, quibus licebat, nefasti, quibus non licebat jus dicere, intercisi, qui ex parte fasti et nefasti 2), nundinales nundinæ (§. 358.); unde nundinarius, ut forum, epulæ, etc., comitiales, quibus comitia habere 3), prœliares, quibus prælio decertare fas erat, atri, ut prima post Calendas, Nonas, Idus, publica calamitate, ut dies alliensis, religiosi, sacris, cœptis infausti 4).

1) Cf. Ovid. *Fast.* 1, 45. sqq., Macrob. 1, 16. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 1, 47, Liv. 1, 19. — 3) Ovid. v. 53, *est quoque, quo populum fas est includere septis.* — 4) Cf. Gell. 4, 9, Virg. *Georg.* 1, 276.

CAPUT V.

RES MILITARIS.

360. Duo præcipue sunt a Romanis et summo studio et felicissime exculta, jus, cujus hodieque præcepta veneramur, et ars militaris, qua, a tenui initio progressi, orbem terrarum devicerunt, ad Marii tempora disciplina juxta atque virtute mirabiles.

Militia apud eos, ut non voluntaria, sic honorifica. Lex enim, Servii Tullii instituto, exclusa pauperrimorum classe 1), omnes ad arma vocans, pro classium facultatibus, aliis majores, aliis minores in patria defendenda quasi partes mandabat (§. 144 et 145.) Ad servos (§. 56.), quin etiam libertinos nonnisi extrema necessitate recurrebant, histriones quoque stipendii honore arcentes. Mercenariis Romani omnino usi non sunt, sed, aucto in majus Imperio, legionibus additæ sociorum copiæ auxiliares (§. 122.)

Postremo libertatis sæculo, corruptis jam tum vetustis moribus, quum ditiores militiæ onus detreotare cœpissent, Marius, nobilitati infensus, exercitum suum primus ex infima maxime plebe composuit. Sic militiæ jus æquatum; deinde, circa finem libertatis, ipsa militandi necessitas civibus, post sub Imperatoribus sociis quoque remissa.

Reliqua de re militari deinceps nobis dicenda titulis, ut sequuntur, distinximus.

1) Cf. Nieb, v. 1. p. 267.

DELECTUS ET MILITIÆ TEMPUS.

361. Delectus alius extra ordinem, alius consuetus, quem Consules designati quatuor de more legionum, lectis a populo viginti quatuor Tribunis militum, habebant 1), per

præconem, proposito edicto, simulque signis in arce sublatis 2), juventutem in Capitolium aut Campum Martium convocantes 3); quo trahendum nomen dare, respondere 4). Tribuni, in quatuor legiones partiti, e tribu sorte vocata quatuor juvenes ætate et habitu pares, unum singulis legionibus legebant, quæ repetita in hunc modum lectione æquali robore numeris implebantur 5). In primis legendis bona nomina, ut Victoris, Salvii, Prosperi, superstitio quærebat 6). Nomen dare detrectantes (*refractarii*) consulum imperio varie cogebantur, verberibus, infamia, bonis, interdum libertate ademta 7). Vacatio tamen et ætatis et honorum 8), beneficii etiam gratia concedebatur 9), post pecunia quoque et vicariis impetrata. Alia valetudinis, aut inepti infirmitate vitiove corporis, interdum voluntario, velut truncato pollice 10), quo semet, ne militarent, privantes jlocalariter murci vocati 11). De delectu sub Cæsaribus, penitus mutata re militari, cf. Vegetium (I, 7.)

1) Cf. Dionys. 9, 5. — 2) Cf. Dionys. 8, 81, Cæs. *B. C.* 2, 20. — 3) Cf. Liv. 26, 31. — 4) Cf. Liv. 42, 32, Gell. 16, 4. — 5) Cf. Val. Max. 6, 3, 4. In solennibus verbis legere, scribere, laterculum, etc. — 6) V. Cic. *de Divin.* 1, 45. — 7) Cf. Liv. 7, 4, 42, 34, Cic. *p. Cæc.* 34, Val. Max. l. c. — 8) Cf. Liv. 42, 34. Vacatio ab ætate, ab honore. — 9) Cf. Cic. Phil. 5, 19. — 10) Cf. Suet. *Aug.* 24. — 11) V. Amm. Marc. 15, 12.

362. Conscriptæ legiones sacramento fidem reipublicæ obstringebant 1), electo in singulis milite cæteris formulam præeunte; quo referuntur verba præire, in verba jurare; sacramento adigere, rogare, etc. Equites ex equestri ordine (censu) legebantur (v. §. 364.) Ut a bello tumultus 2), sic a justo delectu tumultuarius distinguitur, unde milites subitarii, tumultuarii, legiones subitarias scribere, etc. 3), conjurati 4). Militiæ tempus (stipendia, unde stipendia facere, merere, etc.) durante libertate pediti sedecim, equiti decem annorum 5), ætas militaris inter decimum

septimum et quadragesimum septimum (?) Qui stipendiorum numerum impleverant, emeriti et veterani, iidem precibus præmiisve, quod sæpe fiebat, retenti, aut ad novam militiam vocati, evocati dicebantur 6). Ab utrisque diversi, sub Cæsaribus, vexillarii, leviore militia sub vexillo ad plenam missionem retenti 7).

Civibus Romanis (legionarii) accedebant sociorum copiæ, ex fœdere debitæ (§. 122.), jussu Consulum (milites imperantium) suis in civitatibus lectæ, locisque designatis congregatæ, sub legionum ducibus, separatæ tamen, militantes. A sociis diversi auxiliares ab exteris gentibus 8), sed ambiguo sæpe vocabulorum usu.

1) Cf. Dionys. 11, 43, Cic. *de Off.* 1, 11, Liv. 7, 11, 52, 26. — 2) Cf. Cic. *Phil.* 8, 1, Liv. 34, 56. — 3) Cf. Liv. 3, 4 et 30, 31, 2, Tac. *Ann.* 1, 56. — 4) Cf. Liv. 22, 38, 45, 2. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 1, 17. — 6) Cf. Cæs. *B. C.* 1, 7 et 23, Suet. *Aug.* 56. — 7) Cf. Tac. *Ann.* 1, 17. 8) Cf. Sall. *B. Jug.* 83, Tac. *Hist.* 1, 54.

EQUITES, PEDITES, ARMA.

363. Robur exercitus Romani in peditibus, qui, ex Servii Tullii instituto, in gravem et levem armaturam (expediti), gravis autem armatura, initio phalangem componens, mutata post acie, in hastatos, principes et triarios, nescio, an servatis antiquis nominibus, divisa.

Hastatis initio præcipuum telum hasta, post pilum 1); principes initio primum ordinem, post, servato nomine, secundum, triarii tertium tenuêre, a præcipuo olim telo pilani dicti 2); unde hastati et principes antepilani 3).

Cæterum Arma Romanorum 4), variis temporibus varia, universum spectanti Græcorum armis similiora, quam aliarum gentium, inveniuntur: tegendo corpori galea (γαλῆ) s. cassis (crista, juba); thorax s. lorica 5), cujus species hamata, squamata, annulis conserta, dimidiata, pectorale; cingulum s. balteus; ocreæ 6); caligæ, unde caligatus 7);

scutum 8), oblongum, *θυρεός*, ligneum, corio tectum; clypeus, rotundus, *ἀσπίς*; petendo vel feriendo gladius; pilum, e ligno et ferro, hamato mucrone, conjunctum 9); hasta (spiculum, hastile.)

Inter levis armaturæ milites, quo trahuntur velites, rorarii, accensi, ferentarii 10), notissimi jaculatores 11), sagittarii, funditores 12); sub Cæsaribus plurimis insuper nominibus armisque distincti reperiuntur 13). In his præter fundam et arcum memorantur parma, cudo, hasta velitaris; serius gladius accessit 14).

1) Cf. Polyb. 6, 23. — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 129. — 3) Cf. insignis locus Livii 8, 8, et ad eum Nieb. v. 2, p. 475. sqq. — 4) Cf. Lyd. *de Magistrr.* 1, 12. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 1, 64. — 6) Cf. Liv. 9, 40, *Veg.* 1, 20. — 7) Cf. Sen. *de Brev. Vit.* 17, *de Benef.* 5, 16, Juven. 3, 322. — 8) V. Caryoph. *de veterum Clypeis*, p. 45. sqq. Clypei medii pars eminens umbo; unde umbone pulsare, umbone se protegere, umbones jungere, omnino umbo pro clypeo. — 9) Cf. Dionys. 10, 46, Sil. It. 13, 308, Flor. 1, 7. — 10) Cf. Liv. 8, 8, 26, 4, Festus in *ror.*, *acc.*, *advelitatio*, *ferent.* — 11) Cf. Liv. 21, 21, 36, 16. — 12) Cf. Cæs. *B. G.* 2, 7, — 13) Cf. Vegetius, et Lyd. 1, 46. — 14) Cf. Liv. 8, 8.

364. Equitatus apud Romanos initium tres centuriæ a Romulo constitutæ, a Tarquinio Prisco auctæ, a Servio Tullio legionibus additæ, exin equo publico merentes, et e priscorum equitum progenie post Reges exactos quoque lectæ, cæterum flexumines etiam, et serius trossuli, ab oppido, ut quidam narrant, ab iis sine pedite capto 1), ut alii conjiciunt, tanquam torosuli 2), postremo quidem jocose adpellati 3). Equestri Ordine instituto, promiscue legi equites cœpti sunt, iidemque paulatim a legionibus sejungi (cf. §. 136.), mox, exterorum exemplo, etiam gravi et levi armatura variisque ab armis nominibus distingui, antea, ut sane crederes, iisdem utentes, hasta scilicet et gladio, corpori autem tegendo galea, aut levi insuper scuto.

Post gravis armaturæ memorantur gladius, contus 4), scutum, ocreæ, lorica, unde loricati, cataphracti, iidemque, a clibano, (§. 238.) clibanarii (*cuirassier*) adpellati 5). Inter levis armaturæ equites sagittarii, Numidæ, Thraces, Cretenses, etc.

1) Fest. in *Trossuli*, et Plin. 33, 2. — Cf. Non. c. 1. n. 240. — 3) Cf. Varro ap. Non. ib., Pers. 1, 82, Sen. *Ep.* 87. — 4) Cf. Tac. *Hist.* 1, 44. — 5) Cf. Liv. 35, 48, 37, 40, Prop. 3, 10, 12, Lampr. *Alex. Sev.* 56, Eutrop. VI, 7, Amm. Marc. 16, 10, Lyd. *de Magistrr.* 1, 46, ubi ὁλοσίδηροι, toti ferrei, dicuntur.

DE LEGIONE.

365. Legio 1) initio summa, postea pars copiarum Romanarum, definito peditum equitumque numero; sed vocabulum de sociorum quoque et quandoque de copiis quibuscunque usurpatum reperitur 2). Numerus militum tempore variavit, initio quater, post ad sexies mille pedites, aut medius inter hos numerus; justus equitatus inter trecentos et quadringentos 3). Forma quoque longe alia sub Servio Tullio 4), quam media libertate, alia etiam post mutationem a Mario factam 5). Exinde pedites divisi in decem cohortes, cohors in tres manipulos, manipulus in duas centurias (ordines); equites, pro cohortium legionis numero, in decem turmas, turma in ternas decurias, triginta legionis manipulis respondentibus totidem decuriis. Par distinctio sociorum (§. 362.); sed cohortibus, non legionibus numerantur. Eædem, in acie fere legionum latera tegentes, siculi ob eam causam legionarii equites, alæ adpellatæ sunt. Legionum nomina, præter numerum, a variis causis petita: a locis, ubi militabant, aut militaverant, ut Cannensis, Actiaca 6), Hispaniensis, Pannonica; a populis, unde lectæ, inducto sub Cæsaribus more (v. §. 238.); a Principibus, ut Augusta, Claudiana; a numine

tutelari, ut Martia, Minervia; a fide, virtute, ut pia, victrix, etc., frequenti in numis mentione. Alia nominis ratio in *adjutrix* 7). Numerus pro reipublicæ necessitate augebatur; maximus, durante libertate, fuit bello Punico secundo; cæterum mos quatuor tantum inter Consules dividi, virtute magis, quam numero fidentibus Romanis 8). De Cæsarum ætate cf. Dio Cass. LV, 20.

1) A legendo. Cf. Varro *de L. L.* 4, p. 23, Veget. 2, 1, Lyd. 1, 46. — 2) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 4, Virg. *Æn.* 7, 681. — 3) Cf. Liv. 6, 22. 7, 25, 8, 8, et alibi. — 4) Cf. Liv. 8, 8, Nieb. v. 2. p. 475. — 5) Cf. Lyd. 1, 16 et 46. — 6) Tac. *Ann.* 1, 42. — 7) Cf. interpretes ad Tac. *Hist.* 2, 43, Lydus, 3, 3. — 8) Cf. Liv. 8, 8, 26, 1.

COPIIS PRÆFECTORUM DISTINCTIO.

366. Summi exercitus duces, Imperatores 1), §. 222, quorum potestas proprie imperium, §. 183, initio Reges, deinde magistratus majores, Consules, Prætores, Dictatores, auspicio suo bellum et arbitrio (αὐτοκράτορες) gerentes 2), militumque cum vitæ necisque potestate judices; quo trahendum judicia castrensia 3). Imperatori additi Legati 4), sæpe ab ipso lecti; sed numerum senatus (§. 247 et 258.) definiebat 5). Singulis autem legionibus sub Legatis 6) præerant Tribuni (χιλίαρχοι), imperio alternantes, iidemque, ut videtur, semper singuli singulis cohortibus præfecti; nam antiquitus terni, dein, aucta legione, quaterni, seni, prostremo deni, cohortium numerum æquantes. Tribuni initio ab Imperatore, ab a. U. C. 393. partim a populo, partim ab Imperatore lecti; hos Rufulos, illos comitiatos vocabant 7). Iidem insigne habebant pugionem 8), ut Præfecti Prætorio, et annulum aureum, primores adeo lato clavo decorati 9). Singulis centuriis præerant Centuriones, qui et ordinum ductores, a Græcis autem ἑκατόνταρχοι, ταξίαρχοι, λοχαγοί 10) adpellati.

Hi vitem militibus coercendis gerebant; unde vite donari 11). Iidem diverso pro ordinibus gradu, infimo decimus hastatus, decimi ordinis hastatorum, summo primus pilanus 12), primi ordinis triariorum, dignitate par Tribunis. Centurionibus inferiores subcenturiones (uragi, optiones), signiferi, vexillarii, decani vel decuriones, aliaque nomina sub Cæsaribus multiplicata 13). Cæterum hi a Centurionibus, Centuriones a Tribunis, utrique habita stipendiorum et virtutis ratione, atque, ut sane crederes, adprobante Imperatore, legebantur 14). Idem equitum legionariorum et sociorum auxiliariumque præfectos, adhibitis in consilium Tribunis, creabat. Hæc progressio in gregariis militibus per centurias, cohortes, inque ducibus harum promovendis, libera etiam civitate obtinens, sub Principibus, mutata legionis forma, multoque numerosiore munerum graduumque distinctione, servata est, eademque in civilem militiam sive officia Præfecti Prætorio aliorumque magistratuum introducta (v. §. 239–40.)

1) Antiquior vocis forma *induperator*, *endoperator*. — 2) Suet. *Aug.* 21. — 3) Cf. Tac. *Agric.* 9. — 4) Cf. Liv. 10, 40. — 5) Cf. Cæs. *B. G.* 1, 52, Tac. *Ann.* 4, 73, 15, 28. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 1, 44. — 7) Cf. Liv. 7, 5, 44, 21, Fest. in *Rufuli*. — 8) Parazonium. Cf. Aur. Vict. de *Cæs.* 13, Lyd. 2, 9 et 13, Mart. 14, 32. — 9) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 24, Cic. *p. Cluent.* 54, Suet. *Dom.* 10. — 10) Cf. Nieup. s. 5. c. 2. §. 2. — 11) Cf. Juven. 8, 247, 14, 193, Tac. *Ann.* 1, 23. — 12) Primus pilus, primipilaris. Cf. Suet. *Cal.* 35. Ovid. *de P.*, 4, 7, 15, *tenditis ad primum per densa pericula pilum*. Cf. Cæs. *de B. G.* 5, 44. — *centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent*. Cf. ib. 6, 40. — 13) Cf. Vegetius, et Lydus *de Magg.* 1, 46. — 14) Cf. Luc. 6, 145, Veg. 2, 3, Tac. *Ann.* 1, 44.

SIGNA, INSTRUMENTA MUSICA, VESTES MILITARES, IMPEDIMENTA.

367. Signa Romani summa religione coluerunt: quæ, cæterum in Ærario sub Quæstorum custodia servata, dicato

in castris loco, tanquam sacrario ponebantur 1). Quanti autem momenti fuerint, vel inde patet, quod præcipui exercitus motus ad ea referuntur, velut conferre, movere, convellere, convertere, proferre signa, etc. Præcipua autem legionis signa olim ferarum imagines, ut lupi, apri, minotauri 2), qualia post quoque in partibus servata 3), deinde aquila argentea expansis alis, eaque initio in primo triariorum manipulo, post in prima cohorte 4). Manipuli, nisi potius legionis, signum antiquitus, unde nomen habet, fœni manipulus in pertica 5), deinde hasta, deorum, post Principum quoque imaginibus ornata; in summo manus transverso in ligno eminens 6). A signis memoratis quomodo forma, et magis, quomodo usu differant vexilla 7), etiam flammulæ, unde flammularii, adpellata 8), difficilis quæstio; nisi quod ordinum sive partium legionis, non totius, certe plerumque, inprimis vero equitum et sociorum fuisse, constat. A vexillis dicti vexillarii (§. 362.) Singularis species laborum 9), a Constantino M. cruce, ut videtur, intexta mutatum 10), si Creuzero, §. 239, credis, introductum 11); cui favet nomen, ante non occurrens.

1) Cf. Liv. 28, 27, Tac. *Ann.*, 1, 39, 15, 29, Veg. 2, 6, ibiq. Stewech., Suet. *Cal.* 14. Cf. Creuz. §. 237. — 2) Cf. Plin. 10, 4, Veg. 3, 6, Creuz. §. 237. — 3) De Cæsarum ætate cf. Zosim. 3, 19. — 4) Cf. Veg. 2, 16, Creuz. l. c. — 5) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 117, Don. ad Ter. *Eun.* 4, 7, 6. — 6) Cf. Herod. 2, 6. — 7) Cf. Tac. *Hist.* 2, 89. — 8) Cf. Veg. 2, 1, 3, 5, Lyd. 1, 8 et 46, 2, 19, Fuss. *Epist. ad Has.* p. 14. — 9) λάβαρον, Sozom. 1, 4. — 10) Cf. Prud. *adv. Symm.* 1, 487. — 11) Cf. Stew. ad Veg. 3, 17.

368. Inter instrumenta musica (§. 444.), queis sive singulis sive concinentibus signum vel ad castra movenda, vel ad pugnam aliasve dabatur, occurrunt tuba, buccina, cornua, et equitibus proprium lituus, omnia ex ære 1). Inter verba solennia classicum, (a καλεῖν, *calare?*) clas-

sicus, ut tubicen comitiis 2); classicum canit, canitur, classico convocare, Liv. VII, 36, classica pulsa, Tib. I, 1, 4; receptui canere, Liv. III, 22, Cæs. de *B. G.* VII, 47; buccina, Cic. *Verr.* IV, 44, buccina vigiliæ, Liv. VII, 35, XXVI, 15, Prop. IV, 4, 61; æneatores, Suet. *Cæs.* 12, Sen. *Ep.* 84.

Vestes militares (§. 451.), quæ super tunicam gerebantur, sagum 3) et lacerna, sed neutra solis militibus propria. Sagum crassius tegumentum sive pallium ad genua pendens, in humero subnexum, ut fibula 4), ducibus purpureum et auro pictum. Idem, bello vel tumultu imminente, in urbe quoque gerebatur, belli, ut toga pacis, indicium; unde saga sumere, in sagis civitas, ad saga ire 5). Lacerna a sago forma differens, frigori arcendo aptior, hieme maxime usurpata. Calceus militaris caliga (§. 363.)

Præter arma, milites alia ad castrorum aut pugnæ usum instrumenta (serra, rutrum, securis, valli, etc.), item frumentum in multos dies ferebant, pedites magno onere gravati, unde miles impeditus, sub sarcinis, etc. 6). In comitatu exercitus memorantur pullarii, fabri, agasones, lixæ, calones (impedimenta, commeatus, jumenta sarcinaria, etc.), speculatores, metatores, scribæ, frumentarii, multa insuper nomina (§. 366.), sub Cæsaribus maguam partem inventa officia 7).

1) Cf. Horat. *Od.* 1, 1, 23, 2, 1, 18, Ovid. *Met.* 1, 98, *Fast.* 3, 216, Luc. 1, 273. — 2) Cf. Varro *de L. L.* 4, 16, 5 extr. — 3) Cf. Cæs *de B. C.* 1, 75. — 4) Cf. Tac. *Germ.* 17, et Cluv. *Germ. Ant.* l. 1. p. 136. — 5) Cf. Cic. *Phil.* 14, 1, 8, 11, Vell. 2, 16. — 6) Cic. *T. D.* 2, 16, *scutum, gladium, galeam in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus.* Cf. Veg. 1, 19, Virg. *Georg.* 3, 346, sqq. — 7) Cf. Vegetius, Lydus, et *Notitia Dignitatum utriusque Imperii.*

CASTRA, MUNIA, ACIES, URBIUM OPPUGNATIO.

369. Exercitus iter faciens semper composito agmine 1),

alias quadrato, immistis, alias pilato, sejunctis impedimentis, incedebat 1), noctem de more in castris, iisque munitis transigens, sive unum sive plures dies eodem loco morandum 2). Moræ et tempestatis habita ratione castra distinguuntur diurnis (mansiones), stativis, æstivis, hibernis.

Forma castrorum, unde multarum urbium, ipso nomine arguente, origo 3), plerumque 4) quadrata; circum fossa claudebat, duodecim fero pedes lata, novem profunda; in cujus margine interiori agger trium quatuorve pedum 6) altitudine, infixis palis sive vallis aggesta terra, unde vallum adpellatur. In singulis lateribus singulæ portæ, e quibus Prætoria, hosti obversa, et in opposito latere respondens Decumana 7) sive Quæstoria, primariæ, dextra autem et sinistra secundariæ portæ habebantur, quæ viam primariam castrorum, Principia 8), spectantes, inde principales vocatæ 9). Eadem via, judiciis, tribunali 10), signis locandis, foro, aliisque centum pedum latitudine apta, olim castra in partem superiorem atque inferiorem dividebat. In illa (§. 190.) Prætorium 11) et Quæstorium (§. 213.), item Legatorum, Tribunorum, sociis præfectorum, aliorumque inferioris ordinis nec non Prætoriæ cohortis tentoria, quam Regum exemplo peditum equitumque selectam (ablectos, evocatos), duces habebant; inferior castrorum pars, quam mediam secabat via quintana, reliquorum militum et in his sociorum tentoriis relinquebatur. Post, Prætorio inter viam primariam et quintanam locato, castra tribus partibus distincta. Sic fere apud recentiores universim. E veteribus præcipuam notitiam suppeditant Polybius 6, 27. sqq., et Hyginus *de Castrametatione*. Diurna a stativis, æstiva ab hibernis non una re differre, necesse fuit, et antiquarii docent 12). De singulis partibus, nominibus,

deque mutatione pæne infinita disceptatio 13). Linearem, distinctis dimensisque partibus, descriptionem habes apud Nieupoortium aliosque.

1) Ab agendo. Isid. *Origg.* 9, 3. Cf. Serv. ad *Æn.* 1, 186, 12, 121, Hirt *de B. G.* l. 8, 8. — 2) Cf. Polyb. 6, 40. — 3) Cf. Liv. 44, 39. — 4) Cf. Champollion-Figeac *résumé d'Archéol.* v. l. p. 113. — 5) Cf. Stew. ad Veg. 1, 23. — 6) Sic antiquarii; a quorum mensura scriptores interdum longe recedere, necesse non est monere. Cf. Cæs. *de B. G.* 2, 5, *castra in altitudinem pedum XII vallo fossaque duodeviginti pedum munire jubet.* — 7) Cf. Veg. 1, 23. — 8) Cf. Liv. 7, 12, 28, 24, Tac. *Hist.* 1, 48. — 9) Liv. 4, 19, 40, 27. — 10) Liv. 28, 27. — 11) Cf. Liv. 7, 12, 28, 27. — 12) Cf. Creuz. §. 247. — 13) V. Creuz. §. 247. sqq.

370. Tentoria, prout res ferebat, asseribus quoque aut ulva aut stramine vel tegebantur vel constabant, sed hieme plerumque pellibus; hinc sub pellibus, i. e. in hibernis 1). In singulis decem militum sub decano contubernium; unde contubernales (§. 247.) sub eodem tentorio degentes. Tentoria a vallo diremta spatio aperto latitudine pedum ducentorum, quo profecturi congregabantur. Profecturis duplex signum rebus colligendis auferendisque dabatur; quo pertinet vasa colligere 2), vasa conclamare 3); tertio agmen incedebat 4), ordine castrorum divisionem servans; unde castra *considens agmen*, sicut agmen *ambulans acies*, vocata 5).

Occupando exercendoque in castris militi, præter officia Tribunis aliisque vel ordinum vel castrorum præpositis præstanda, necessariaque, ut ligna et pabula, congerenda, alternantes in castris stationes et vigiliæ, quo trahenda excubiæ, stationarii, præsidia, tessera, v. libellus, σύμβολον, tesserarii 6), procubitores 7), circitores 8). His accedebant varia exercitia, ambulatio, decursio, Veg. I, 9, III, 4, natatio, sagitta, jaculum, salitio, Veg. I, 18., plumbata, id. II, 15 et 23, IV, 29., ad palum exercere, id. I, 11. etc.

Sæpe etiam graves labores, fossas, valla, vias 9), pontes et similia aut necessitas flagitabat, aut contra otium mollitiemque remedia quærebantur 10). Munerum vacatio, propria ducum superiorum, gregario etiam militi variis de causis et præmii loco concessa; unde immunes, beneficiarii, queis opponuntur munifices 11). Eandem sub Cæsaribus milites vulgo a Centurionibus emisse, e Tacito colligimus 12). Disciplinæ militaris apud Romanos singularis severitas, Romani nominis majestati conveniens, bellica virtute, quæ disciplina maxime continetur, partæ et nitenti. Hinc imperatorum plena in militem potestas, et insignis imperii, tanquam numinis, ipsa civium libertate (§. 71.) in castris cessante, reverentia. Inter severitatis exempla illustre est Manlii Torquati facinus.

1) Cf. Cic. *A. Q.* 4, 2, Liv. 5, 2, 37, 39, Tac. *Ann.* 13, 35, Flor. 1, 12. — 2) Cæs. *de B. C.* 3, 85, Liv. 21, 47, 22, 30. — 3) Cæs. ib. 1, 66. — 4) Cf. Jos. *de B. Jud.* 3, 6. — 5) V. Nieup. 5, 5, 6. — 6) Cf. Polyb. 6, 33. — 7) Cf. Veg. 3, 8, ibiq. Stew. — 8) Veg. ib. Cf. Lyd. 1, 46. — 9) Cf. Liv. 39, 2. — 10) Cf. Tac. *Ann.* 1, 16 et 35. — 11) Veg. 2, 7. Cf. Fest. in *munem* et *beneficiarii;* Lyd. 1, 46. — 12) *Ann.* 1, 17 et 35.

371. Dux prælio, captis ante (§. 320.) auspiciis 1), si necessitas cogeret, non consultis etiam diis infaustisve signis certaturus, plerumque congregatos milites ad virtutem oratione hortabatur, eoque refertur, in numis occurrens, adlocutio; quo facto signum conflictui (signis canentibus) dabat, ex alacritate audientium, inprimis armorum collisorum sono declarata, aut infausto silentio, neque minus e clamore in hostem ruentium, e barritu 2), de pugnæ eventu conjiciens. Exercitus ad pugnam compositio, acies, gravis armaturæ peditum divisioni (§. 363.), a Servio Tullio institutæ, phalangis forma congruebat; post, a Camilli, ut putant, ætate, mutata ratione, primo ordine hastati, secundo principes (initio primi), tertio

triarii, cæterum omnes manipulatim collocati, triplicem aciem formabant, relicto inter binos manipulos spatio, viis rectis, quo prima acies referri post secundam, tertia utramque recipere posset, e ternis una, impletis intervallis, compressisque ordinibus, hostem sustineret, ultima successus spes; unde pendet *res ad triarios rediit* 3). Eadem vero spatia levibus quoque militibus, quorum ad hostem lacessendum consuetus usus, et emittendis et recipiendis patebant, durante legionum certamine post triarios reconditis; tametsi et immisti ordinibus memorantur 4). Latera triplicis aciei equites legionarii et sociorum copiæ tegebant, ob eam rem alæ adpellati (§. 365.)

Hæc vulgaris aciei ratio, in quincuncem 5) vocata: quæ per bella Punica etiam obtinens, tumque inprimis exculta, post, mutata cum militum delectu legionis forma, per cohortes compositæ cessit, cessante simul peditum in hastatos, principes, triarios divisione 6). Inter cæteras acies occurrunt orbis 7); cuneus, modo densior phalanx, modo cunei forma, angusta fronte (caput porcinum), cui opponitur forfex 8); testudo, consertis supra caput in tecti speciem scutis 9); serra 10); laterculum sive turris 11), globus 12).

1) Cf. Liv. 7, 8. — 2) Cf. Tac. *Germ.* 3, 2, Veg. 3, 18, Amm. Marc. 16, 30. — 3) Liv. VIII, 8. *Clypeis ante Romani usi sunt, deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clypeis fecere, et quod antea phalanges similes Macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies cœpit esse: postremo in plures ordines instruebantur — Hastati omnium primi pugnam inibant. Si hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum principes recipiebant. Tum principum pugna erat, hastati sequebantur. Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto, scuta innixa humeris, hastas surrecta cuspide in terra fixas, haud secus quam vallo septa inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, a prima acie ad triarios sensim referebantur. Inde rem ad tria-*

rios redisse, quum laboratur, proverbio increbuit. Triarii consurgentes, ubi in intervalla ordinum suorum principes et hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias, unoque continente agmine, jam nulla spe post relicta, in hostem incidebant. Cum hoc loco cf. Vegetium, 3, 14, de acie præcipientem. — 4) V. Liv. 8, 8. — 5) Cf. Cic. *de Sen.* 17, Varro *de R. R.* 1, 7, Colum. 3, 13. — 6) Cf. Creuz. §. 245-6, — 7) Cf. Liv. 4, 28 et 39. — 8) Cf. Veget. 3, 19, Gell. 10, 9. 9) Cf. Liv. 44, 9, Cæs. *de B. G.* 2, 4, Luc. 3, 474. — 10) Cf. Fest. in *serra præliari*, Veget. l. c. — 11) Cf. Gell. l. c., Veget. l. c. — 12) Veget. l. c.

372. Oppidorum oppugnandorum ratio quæ fuerit Romanis, quosque in ea progressus fecerint, aliquatenus ostendunt notiores oppugnationes, quarum ipsi descriptionem reliquerunt; in his Vejorum, Liv. V, 7 et 19, Syracusarum, Liv. XXIV, 33, Ambraciæ, Liv. XXXVIII, 4, Alesiæ, Cæs. *de B. G.* VII, 68. sqq., Massiliæ, Id. *de B. C.* I, 34. sqq.

Primum urbs cingebatur, quo trahitur corona cingere, obsidere, fossa et vallo oppugnantes contra obsessorum eruptiones tuente. Deinde, ut plurimum, aggerem latiorem et quam firmissimum terra, ligno, lapidibus, aliis ducebant, mœnibus paulatim propius admovendum, altitudine vel æquantem vel superantem. Ex hoc urbem variis machinis, poliorceticis, 1) aggrediebantur, quarum aliæ jaculatoriæ, tormenta, aliæ proprie obsidionales. In jaculatoriis 2) ballista 3), catapulta 4), scorpio, et cum eo confusus onager, qui Græcis μονάγκων quoque dictus 5), quibus lapides, tela, falaricas, malleolos, scorpiones 6), sudes aliaque, missilia, mittebant. In obsidionalibus notæ sunt turres, quæ ligneæ, quandoque enormi altitudine, rotarum et cylindrorum ope ad mœnia pellebantur 7); tolleno, velut militibus in murum suspensa corbe attollendis 8); sambucæ (Stew. ib.); scalæ murales; arietes, falces, terebræ, corvi, grues, fodiendis proruendisque

urbis mœnibus, quam, ubi solum pateretur, subterraneis quoque viis, cuniculis 9), tentabant. His adde varias machinas tegendis oppugnantium corporibus inventas, testudines 10), crates, vineas, pluteos 11), etc. Nec minus obsessi plurima contra machinabantur, aut crebris eruptionibus hostem terrentes, cœptaque opera destruentes, aut in propius accedentes de muro ingentes lapides, tædas, oleum fervens, alia mittentes, queis machinas hominesque contererent, urerent, vulnerarent.

1) Figuram earum, addita interpretatione, inter alios exhibet De Folard in commentario ad Polybium. E veteribus huc trahendus *de rebus bellicis* ignoti auctoris libellus. — 2) Cf. Luc. 3, 405. — 3) Cf. Liv. 21, 11, Cæs. *de B. C.* 2, 2, Tac. *Hist.* 4, 23, Veg. 4, 22. ibiq. Stew. — 4) Cf. Cæs. *de B. C.* 2, 9, Liv. l. c. et 39, 5, Vitruv. 10, 15, Stew. l. c. — 5) Auct. *B. Afric.* 56, Liv. 26, 47 et 49, Stew. l. c. — 6) Cf. Cæs. *de B. G.* 7, 25. — 7) Cf. Cic. *ad Div.* 5, 4, Liv. 32, 17, Cæs. *de B. C.* 2, 8 et 9, Stew. ad Veg. 4, 17. — 8) Cf. Liv. 24, 34, 38, 5, Stew. ad Veg. 4, 21. — 9) Cf. Cæs. *B. G.* 7, 22, Liv. 38, 7, Vell. 2, 27, Zosim. 3, 22. — 10) Cf. Liv. 34, 29, Tac. *Ann.* 13, 39. — 11) Cf. Cæs. *de B. C.* 2, 9, Veg. 4, 15, Liv. 34, 17, Luc. 3, 474.

BELLI NAVALIS RATIO.

373. Navali prœlio primum certaverunt Romani bello Punico primo, inexperti, et navibus male idoneis impares 1), mox majores ad Carthaginiensium exemplar fabricati. Cæterum virtute et consueta in re militari industria, accedente etiam sociorum, inprimis Rhodiorum ope, et e bellis cum Pœnis, cum Illyriis, cum Antiocho gestis experientia, tantum profecerunt, ut circa finem libertatis mari juxta atque terra imperium obtinerent; cui tuendo deinde Cæsares, ut terrestres exercitus, sic classes perpetuas habuere.

Classis, præter onerarias levioresque naves 2), quales actuariæ, tabellariæ 3), speculatoriæ 4), liburnæ 5), ce–

loces, triremibus potissimum et quinqueremibus constabat, quæ, tabulatis instructæ (naves constratæ), a forma longiore naves longæ, triremes autem et quinqueremes a remigum, quibus agebantur, ordinibus adpellatæ 6). Navales copiæ e sociis maxime, additis infimis civibus, partim remiges sive nautæ, partim milites, qui vulgo classici et classiarii, utrique et socii navales vocati 7). Remigibus præerant Hortator (κελευστής) sive Pausarius 8), Gubernator, et Navarchus sive Magister Navis. Præfectus navis Tribunus plerumque aut Centurio, Præfectus classis Consul aut Prætor, cujus in nave, prætoria 9), signa necessaria, die vexillis, nocte igne dabantur.

Cæterum pugna navalis 10) conflictus ratione terrestri, quam hodie, similior 11). Adversarias naves aut rostro, unde navis rostrata 12), ferrea trabe, in prora una pluribusve eminentibus, adflictas mergere, aut machinarum ope incendere conabantur, aut, quod usitatissimum, uncis (ferrea manus, harpago, corvus) attrahere suisque conjungere 13); quo facto in cohærentibus terrestris prœlii species.

1) Cf. Sen. *de Brev. Vitæ* 13, Fest. in caudicariæ naves, Polyb. 1, 20 et 21. — 2) Cf. Gell. 10, 25. — 3) Cf. Sen. *Ep.* 77. — 4) Cf. Liv. 30, 10 — 5) Cf. Cæs. *de B. C.* 3, 9, Hor. *Od.* 1, 37, 30, *Epod.* 1, 1. — 6) Ordines in utroque navis latere altiorem ab infimo gradum (transtrum) singulos tenuisse (Cf. Luc. 3, 530, *quater surgens exstructi remigis ordo.*), hodie fere convenit inter antiquarios, et in parvo numero ad veterum formam constructas sic celerrime impelli, experientia docuit; sed viginti ordinibus, aut majore, quem scriptores memorant, numero quæ navis altitudo, transtrorum structura, remorum mensura congruat, desperanda manet explicatio, nisi (v. Schneider in τριήρης), in majore ordinum numero, ad singulos remos plures remigum ordines referamus; ita, ut, quin super quaternos assurgant remorum ordines, ab remigum ordinibus navis, velut εἰκοσήρης a viginti, τριακοντήρης a triginta ordinibus adpelletur. Tametsi eadem verba (Cf. Zos. 2, 23, τριακοντόροις.) interdum neque ad remorum, neque ad remigum ordines, sed ad nu-

merum modo remigum trahenda. Inter locos inprimis comparando. Polyb. 1, 20 et 26, Flor. 4, 11, ubi: *quippe a senis in novenos remorum ordinibus, ad hoc turribus atque tabulatis allevatæ —. Cæsaris naves a triremibus in senos, nec amplius ordines creverant.* — 7) Cf. Liv. 26, 48, 29, 35, Tac. *Hist.* 1, 56. — 8) Cf. Sen. *Ep.* 56. — 9) Cf. Liv. 29, 25, 45, 6. — 10) Cf. Luc. 3, 524. — 11) Cf. Flor. 2, 2. — 12) Cf. Liv. 30, 10. — 13) Cf. Liv. ib., Polyb. 1, 22, Flor. 2, 2.

STIPENDIUM, PRÆMIA, TRIUMPHUS, POENÆ.

374. Principio cives Romani sine stipendio, armis etiam suis, iisque ex censu diversis (§. 145.) militabant, tenui victu, præda, quam bellum promittebat, contenti. Annonam tamen vel ante Servium 1) publice præbitam et pediti et magis equiti crederem, etsi utrumque non tam veterum testimonio, quam re suadente 2). Paulatim vero perpetuos fere delectus, simul longiora et remotiora ab urbe bella impensius gravati sunt iniqua sæpe spoliorum divisione. Sic, durante Vejorum obsidione, necessitate coactus senatus primum (a. U. C. 349.) pediti, mox etiam equiti stipendium dedit 3). De stipendio jam sub Regibus dato audacior conjectura, quam de annona, videtur 4). Legionarii peditis sua ætate duos obolos fuisse, testatur Polybius; post quinque, sub J. Cæsare decem asses fuere 5); centurioni duplum, equiti triplum, sed omnibus parte pro frumento, veste et armis detracta 6). Victus (annona) nomine milites, et Romani et, a sua civitate vestem stipendiumque habentes, socii legumina, salem, carnem infumatam, frumentum maxime, idque pro stipendii modo accipiebant, legionarius pedes in singulos menses quaternos fere modios 7). Erant etiam ob merita aut favore solito amplius accipientes; unde vocantur duplicarii et armaturæ duplares, a duplice annona, sesquiplares, etc. 8). Victus autem militum quotidiani sub Cæsaribus etiam insignis frugalitas 9), ut nemo miretur olim simplicissimum; et Creuzerus §. 259. monet, nec co-

quos tum nec simile quid apud exercitum, eandemque quoad potum severitatem fuisse 10). Cæterum, ut hodieque mos gregariis militibus, commune contubernio (§. 370.) prandium et cœna; accumbentibus, omnino quiescentibus torus stramineus 11). Ducibus tempore Curii 12) turpe fuisset multo, quam miles, lautius agere, post, luxu mutatis moribus, exemplo magis multi frugales et duri, præsertim, qui laxiorem disciplinam ad antiquitatis rigorem revocare conarentur 13).

1) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 20, Liv. 1, 43. — 2) Cf. Creuz. §. 39 et 105. — 3) Cf. Liv. 4, 59, 5, 7. — 4) Cf. Creuz. l. c., Nieb. v. 2, p. 218. — 5) Cf. Suet. *Aug.* 49, Tac. *Ann.* 1, 17 et 26. — 6) Cf. Tac. l. c., Polyb. 6, 39. — 7) Cf. Polyb. ib. — 8) Cf. Varro *de L. L.* 4, p. 24, Veg. 2, 7, Lyd. 1, 46. — 9) Cf. Hor. *Od.* 3, 2, Spart. *Hadr.* 10. — 10) Cf. Spart. l. c. — 11) Cf. Plin. *H. N.* 8, 38. — 12) Cf. Hor. *Od.* 1, 12, 41. — 13) Cf. Tac. *Ann.* 13, 35.

375. Inter commoda præmiaque militiæ ponitur a muneribus publicis immunitas, et quæ proprie militaria vocantur, veluti pars manubiarum, aucta annona (§. 374.), honorata, sæpe cum donis missio, agri veteranis divisi (§. 242.); sed honoris præcipua præmia varii generis coronæ 1), civica quercinæ frondis 2), vallaris s. castrensis vallis, muralis pinnis, navalis sive rostrata 3) rostris distincta, obsidionalis s. graminea, aurea, vel alias vel triumphaturo data, quo referenda triumphalis, et ab ovatione dicta ovalis. Minor honos armorum, ut hastæ puræ 4). Dabantur et phaleræ 5), primum equorum e metallo capitis aut pectoris 6), post hominum quoque 7), ornamentum 8), armillæ 9), unde armillatus, torques 10), unde torquati, cornicula 11), alia. Eximii ducum honores, in quibus titulus Imperatoris (§. 222.) ab exercitu datus (Imperator salutatus), supplicationes (§. 331.), in urbe indictæ, spolia, antiquissimo populorum more 12), domibus

affixa 13), quo trahuntur rostra in domo Pompeji 14). Sed omni gloria major triumphus (θρίαμβος). Hic, initio ab Romulo facto 15), in libera civitate frequens, tamen nonnisi insigni victoriæ decernebatur, idque lege cautum, multis jam ob leviora flagitantibus, simulque conditiones definitæ. Decernebat autem senatus; licet interdum ad populum recurrentes eo invito triumphaverint 16). Dux, decreto jam triumpho, aut etiam petiturus cum exercitu ad urbem accedebat 17), patribusque, senatu in æde Bellonæ dato (§. 179.), ea, ut videtur, solenni more declarabat, quæ urbem ingressus apud Quæstores sacramento confirmaturus erat, scilicet justo et hostili bello suis auspiciis Imperii fines prolatos, justo unoque prælio non infra quinque hostium millia cæsa esse. Quo facto, triumphaturo, qua die urbem intraret, imperium (§. 366.) deferebatur. De legibus triumphalibus cf. Val. M. II, 8, 1.

1) V. Stew. ad Veg. 2, 7. — 2) Cf. Tac. *Ann.* 2, 83. — 3) Cf. Plin. 16, 4, Virg. *Æn.* 8, 684. — 4) Cf. Polyb. 6, 39, Suet. *Claud.* 28. — 5) Cf. Polyb. 6, 37, Gell. 2, 12. — 6) Cf. Liv. 22, 52, Cic. *Verr.* 4, 12, Juven. 11, 102, Claud. *de* 4. *Cons. Hon.* 548. — 7) Cf. Sil. 15, 255, Flor. 3, 10. — 8) A phaleris phaleratus, ut equus, Liv. 30, 17, turba, Suet. *Nero* 30, cursores, Petron. 28, diota, Ter. Phorm. 3, 2, 15. — 9) Cf. Fest. et Lyd. 1, 46. — 10) Cf. Veg. 2, 7. — 11) Cf. Liv. 10, 44. — 12) Cf. Virg. *Æn.* 5, 393. — 13) Cf. Liv. 10, 7, *quorum domos spoliis hostium affixis insignes inter alias feceritis*, Cic. *Phil.* 2, 28, Plin. 35, 2. — 14) Gell. 16, 5. — 15) Cf. Liv. 1, 10. — 16) Cf. Dionys. 11, 50. — 17) Cf. Sall. *Cat.* 26.

376. Pompæ triumphalis, olim a porta Capena, post a Campo Martio, cui vicina pons et porta triumphalis, per primarias vias, fora circosque, insigniter decorata, ad Capitolium processus hunc fere ordinem memorant: choros musicos sequebantur tauri sacrificio mactandi, hos spolia ab hostibus capta, simul regionum urbiumve victarum imagines 1), tum ante Imperatorem, propinquis amicisque

stipatum 2), victi duces cum cæteris captivis 3). Triumphantem sequens victor exercitus laureatus agmen claudebat, io triumphe! ingeminans, jocularia etiam canens 4), ac petulantia ne duci quidem parcens 5). Ipse veste triumphali, toga picta, tunica palmata 6), laurea corona et sceptro eburneo conspicuus, curru fulgente, quatuor plerumque equis albis vehebatur 7). Pone stans servus auream coronam tenebat 8). In Capitolio solenne sacrificium Jovi, parsque manubiarum diis dicabatur. Festi finis epulæ et publica lætitia 9). Navalis nomine et ab re pendente diversitate distinguitur triumphus victoriæ navalis, quem primus egit Duillius, columna rostrata (§. 426.) honoratus. A triumpho dicti arcus triumphales (§. 50.) Extincta libertate, multis de causis consentaneum fuit triumphi honorem Principibus relinqui 10), e quibus ad sera Imperii tempora triumphantes memorantur (Augustus, Claudius, Trajanus, Aurelianus, alii.) Cæteris triumphi loco decreta ornamenta 11) triumphalia 12). Minor triumpho ovatio 13). Ovans pedibus aut equo cum prætexta et corona myrtea urbem intrabat; pro tauris ovis, unde nomen, immolabatur. Fuere etiam, qui, justo triumpho negato, suis sumtibus in monte Albano, pompa ad templum Jovis Latiaris pergente, triumpharent 14).

1) Cf. Vell. 2, 56. — 2) Cf. Juven. 10, 45. — 3) Cf. Vop. *Aurel.* 34. — 4) Cic. *in Pis.* 25, *quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid Legati in equis et Tribuni? quid clamor militum?* — 5) Cf. Suet. *Cæs.* 50 et 51. — 6) Cf. Lyd. 2, 2. — 7) Cf. Hor. *Epod.* 9, 21, Prop. 4, 1, 32. — 8) Cf. Juven. 10, 39. — 9) Cf. Liv. 1, 10, 34, 52, 45, 40, Ovid. *Fast.* 4, 2. Pompæ triumphalis ære expressam imaginem habes in *Thes. Græv.* v. IX., inde in Nieupoortii, Cantelii, aliorumque libros de antiquitatibus translatam. Inter veterum descriptiones insignis est triumphi Æmilii Pauli ap. Plutarchum. E reliquis cf. Appian. *Pun.* 66, Jos. *de B. Jud.* 2, 17, Ovid. *Trist.* 4, 2, 53, *de Ponto* 2, 2, 21. —

10) Cf. Dio Cass. 54, 11 et 24. — 11) Vestis scilicet, laurus, sceptrum, (Cf. Liv. 30, 15.), aliaque insignia, quæ ab antiquariis ad ornamenta illa, ut nomen imperatoris, statua, sacrificia et supplicationes, nescio, an cuncta satis recte, referuntur. — 12) Cf. Vell. 2, 104, Suet. *Tib.* 9, *Aug.* 38, *Claud.* 24. — 13) Cf. Gell. 5, 6, Flor. 3, 19. Ad Cæsarum ætatem Vell. 2, 196, *Nero-ovans triumphavit.* — 14) Cf. Liv. 33, 22 et 23. Cf. 26, 21.

377. Pœnæ militares, pro delictorum modo et genere, pro tempore etiam diversæ 1): leviora mulcta, quo trahitur censio hastaria 2), stipendio 3), armis, aut victu, velut pane ex hordeo 4), diminuto vel ademto, aut verberibus, fuste, fustuario 5), aliave ignominia 6), graviora, velut proditio, perjuria, seditio, in paucis morte puniebantur, in integris cohortibus aut legionibus decimatione, vecesimatione, etc. 7). Milites bello captos jure gentium victoris fuisse, §. 51. animadvertimus. Inter ignominiosa in hostes devictos sub jugum mittere 8).

Stipendiorum tempus supra attigimus. Missio distinguitur justa et injusta; ad illam referunt honestam, causariam, et vitandorum munerum causa militantis 9). Injustæ faciunt gratiosam 10) et ignominiosam 11). De discrimine inter missionem et exauctorationem, sub Cæsaribus inductam, cf. Tac. *Ann.* I, 36.

1) Digg. 49, 16, 3, 1, distinguuntur *castigatio*, *pecuniaria mulcta*, *munerum indictio*, *militiæ mutatio*, *gradus dejectio*, *ignominiosa missio.* — 2) V. Fest. in *censio* et *deprehensa.* — 3) Cf. Fest. in *dirutum ære.* — 4) Cf. Suet. *Aug.* 24, Plin. 18, 7. — 5) Cf. Cic. *Phil.* 3, 6, Liv. 5, 6, Polyb. 6, 37, Tac. *Ann.* 3, 21. — 6) V. Creuz. §. 265. — 7) Cf. Liv. 2, 59, Capit. *Macrin.*, 12.; de modo, Polyb. 6, 36. — 8) Cf. Cic. *de Off.* 3, 30, Liv. 3, 28, 9, 4 et 6 et 15, 10, 36. — 9) Cf. Ulp. *Digg.* 3, 2, 2, 2, Macer *Digg.* 49, 16, 13, 2. — 10) Cf. Liv. 43, 14. — 11) Cf. Hirt. *de B. A.* 46 et 54.

CAPUT VI.

AGRICULTURA, QUÆSTUS, ARTES, MERCATURA, FOENERATIO, NAVIGATIO, NUMI, PONDERA, MENSURÆ, VECTIGALIA.

378. Ultimo hoc prioris sectionis capite conjuncta posuimus, quæ communi nomine idonee complecti non dabatur, quædam talia, ut accuratius discernenti parte ad publica instituta, parte ad privata referenda essent. Nos utramque rationem libentius conjunximus, paucissimis verbis cursimque res attingentes, quas rite et pro gravitate explicare neque consilii nostri est neque temporis lectionibus nostris impendendi.

AGRICULTURA.

Agricultura prisco tempore Romani non tam potissimum, quam pæne sola vivebant; idque cum leges eorum vetustissimæ 1), tum celebrium virorum, ut Quinti Cincinnati, Atilii Serrani, Atilii Reguli, exempla declarant 2). Sed quæ, integris etiam moribus, jucundissima visa et ingenuo dignissima vita, eadem divitiarum amore corruptis contemni cœpit, postquam simplicissima majorum prædia in sumtuosas villas commutata, ditiorum ab urbanis negotiis refugia. Neque tamen vel tum defuere, qui fundorum curam non refugerent, nonnulli adeo amantes rei rusticæ, ut universam scriptis exposuerint 3). Sed bellis civilibus comsumta rustica prole, passimque fundis spoliato colono, quum in paucorum dominio esset Italiæ solum, cultura servis permissa 4), extremo libertatis tempore rura deserta fuere, egenis hominibus in oppida et Romam ma-

xime confluentibus; cui malo remedium frustra Cæsares quæsiverunt 5). Cæterum non in provinciis modo, sed in ipsa Italia partem soli haud exiguam reipublicæ fuisse, alias (§. 252.) monuimus; unde numerosum in provinciis civium Romanorum genus, aratores, agricolæ, pecuarii 6), agros publicos colentium, quos Equites maxime sive ipsos sive vectigalia conducebant (§. 251.)

1) Cf. F. Binkes *de agriculturæ præ mercatura apud Romanos favore* — cap. 2. p. 44. Ipsa nomina propria (v. §. 492.) non absurde ad rem traxeris, plurima ab ruris labore deducta. — 2) Cf. Colum. præf. Cic. *p. Rosc. Am.* 18, Hor. *Od.* 1, 12, 41. — 3) Cf. Varro *de R. R.* præf. — 4) Cf. Colum. 1, 7 et 8. — 5) Cf. Suet. *Aug.* 42, *Cæs.* 42, Appian *B. C.* 1, 7. sqq., Beauf. vol. 2. p. 131. — 6) Cf. Cic. *Agr.* 2, 31, *Verr.* 2, 3. *p. Font.* 1. 16.

379. Agrum Romani alternis de more annis consere- bant 1), serentes maxime inter frumenta triticum, ad cujus species referuntur far (ador, far adoreum) et siligo 2), hordeum, avenam, linum; inter legumina fabam, pisum (cicer), phaselum, lentem. Instrumenta, arma 3), agro colendo, præter aratrum, cujus partes temo, stiva, manicula, buris, vomer, dentale, aures, culter, rulla, occurrunt ligo, rastrum, bidens, sarculum, occa, unde occare; traha et tribula granis exterendis 4), ventilabrum 5), vannus. Terendo frumento area, servando horreum.

In dite jam Roma, ut in aliis, sic in hortis magna fuit ornatus ars et luxuria, celebresque hoc nomine multi a scriptoribus memorantur, in queis Luculli, Ovidii, Sallustii; neque tamen cultura ideo olerum aut arborum frugiferarum neglecta, in quibus nobilitandis notæ Romanis, quæ nunc quoque usitatæ artes, insitio, inoculatio, etc. 6). Nec minus vitis, vulgo ulmis adjunctæ 7), unde maritare populos, Hor. *Epod.* II, 10, et similia, eadem fere quæ

hodie ratio colendæ obtinebat. Vinearum cultura primum parcior, post plurima fuit.

1) Cf. Virg. *G.* 1, 71. — 2) Cf. Colum. 2, 6, Plin. 18, 7, Juven. 6, 471. — 3) Virg. *G.* 1, 160. — 4) Cf. Colum. 2, 21, 4, Plin. 18, 30, Varro *de R. R.* 1, 52, *id* (tribulum) *fit e tabula lapidibus aut ferro asperata : quæ imposito auriga, aut pondere grandi, trahitur jumentis junctis, ut discutiat e spica grana : aut ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellum pœnicum*, etc. — 5) Cf. Virg. *G.* 3, 133. — 6) Cf. Colum. lib. *de cultu hort.*, Pallad. lib. *de Insit.*, Virg. G. 2, 73, *nec modus inserere atque oculos imponere simplex* etc., ib. 69, *inseritur vero et fœtu nucis arbutus horrida; et steriles platani malos gessere valentes; castaneæ fagus, ornusque incanuit albo flore pyri, glandemque sues fregere sub ulmis.* — 7) Cf. Virg. *G.* 1, 2, Juven. 8, 78, Hor. *Ep.* 1, 16, 3.

QUÆSTUS, ARTES.

380. Artes autem sellariæ (opifices, quæstus) tam viles Romanis, quam agricultura olim decora, habebantur; unde eas servi, peregrini, e civibus nonnisi infimi exercebant 1). Cæterum magnus semper Romæ, ut in vasta et populosa civitate, et ingenti pauperiorum multitudine, opificum numerus, quos constat jam Regum ætate in societates sive collegia, unde collegiatus, divisos esse 2); in iisque memorantur collegia fabrorum, ut ærariorum et ferrariorum 3), figulorum, tignariorum, pistorum, pictorum, naviculariorum, tibicinum etiam. Quæ opificum corpora, sodalitiaque sive hetæriæ et conventicula 4), apud recentiores pariter populos, vel parvis in urbibus, inventa, nunc, ut plurima civitatum antiqua instituta, passim abolita aut obsoleta, quantam apud Romanos vim habuerint ad rempublicam perturbandam, Marii, Saturnini aliorumque historia docet 5); nec semel licentia eorum lege coercita. Ab opificum collegiis distinguenda sunt religiosa, familiarum, et quæ politica vocare possis 6). Magistratuum ministros (§. 217

et 493.) infimæ pariter conditionis esse, par erat apud populum, cui turpissimum servire. Mercatores infra attingemus: sordidissimis adnumerandi mangones, caupones (cerdones), a quibus parum distant lenones. Scenicos contemtos, gladiatores perditos diximus (§. 352.) Medii quasi inter Equestrem ordinem et existimationis expertes erant scribæ 7), publicani, et (§. 213.) valde honorati tribuni ærarii 8).

1) Cf. Dionys. 2, 28, 6, 53, 9, 25, *Οὐδενὶ γὰρ ἐξῆν Ῥωμαίων οὔτε κάπηλον οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν.* — 2) Cf. Flor. 1, 6, Cic. *p. Sext.* 14, *in Pis.* 4, *p. Domo*, 28, Sigon. *de Ant. Jure Civ. Rom.* 2, 12, Beauf. vol. 2, p. 133. — 3) Cf. Wacht. *Archæol. Num.* p. 111. — 4) Cic. l. c. — 5) Cf. Cic. *post red. in s.* 13, *A. Q.* 4, 47, *ad Q. fr.* 2, 3, Suet. *Cæs.* 42, *Aug.* 32, Plin. *Ep.* 10, 42 et 43 et 97. — 6) Cf. Creuz. §. 148. — 7) Cf. Cic. *p. Dej.* 28, *Cat.* 4, 7. Cf. Nep. *Eum.* 1. — 8) Cf. Cic. *Cat.* 4, 7, *p. Planc.* 8.

381. Artes quæstusque non minus multiplices in luxuriante Roma, quam in magnis hodie civitatibus, fuisse, neque minus in suo quosque genere, velut in cibis condiendis, in vestitu imprimisque mulierum mundo, in omni denique vitæ cultu et deliciis, perfectos fuisse, et reliquiæ e veterum supellectile lautiorisque vitæ adparatu aliquatenus, et magis docent scriptorum, in iisque vel antiquiorum, ut Plauti, testimonia. De singulis autem explicare immensi operis est, nec propositi nobis officii; tametsi idem vel inprimis antiquarii esse jure quodam existimari possit. Cæterum, in hoc ipso genere plurima sunt, ut parum nota, sic non satis digna, quibus perscrutandis insudet hominis non inficeti ingenium; alia autem, cognitione dignissima, difficillimam habent explicationem. In his lanificium (lanam facere, tractare, etc.), nendi et texendi artem complectens, nobis vel propter frequentem in poetis mentionem paucis attingendum, idem Romæ quoque, noto veterum

populorum more, mulieribus mandatum, olim matronarum inter filias servasque honesta opera, post fastidita et mancipiis relicta 1).

1) Cf. Liv. 1, 57, Suet. *Aug.* 64 et 73, Ovid. *Fast.* 2, 741, Hor. *Od.* 3, 27, 64.

382. Lana 1) nendo carminatione paratur 2), quo trahuntur carminare, carere, carpere lanam, linum 3); in diem ancillis faciendam pensum, tanquam certo pondere adpensam operam 4), vocabant; unde pensa facere, carpere, trahere, devolvere 5). Instrumenta nentis 6) colus lanam, fusus stamen deductum recipiens 7). Solennia de re verba fila, stamina ducere, deducere 8), devolvere, torquere, fusum versare, etc. Texentis instrumenta 9) jugum, quod et tela interdum 10), arundo, radius, pecten. Telam (stamen, licia) jugo annexam in duas filorum series arundo secernit; secretis filum, subtemen, radio inseritur; insertum pectine, per cujus dentes telæ fila transeunt, adacto feritur 11). Quo facto, filorum binæ series sese arundinis motu secant, novo subteminis filo inserendo patentes 12). Texturæ plura genera inter veteris Asiæ gentes multis ante æram nostram sæculis magnopere perfecta esse, bene multis scriptorum locis non obscure colligitur; Romani quid aliorum inventis adjecerint, hic non quæremus. A vulgari arte differt figuras telæ intexens 13), et ipsa in Asia cum reperta tum mire perfecta 14): ad quam pictæ vestes, aulæa, etc. 15). Differunt etiam a textis opera acu picta 16).

1) Ovid. *Met.* 6, 19:

Sive rudem primos lanam glomerabat in orbes;
Seu digitis subigebat opus, repetitaque longo
Vellera mollibat nebulas æquantia tractu;
Sive levem tereti versabat pollice fusum.

2) Cf. Varro *de L. L.* 6, p. 75. — 3) Cf. Plin. 9, 38, 19, 1. — 4) Cf. Schneid. lex. in ταλάσιος. — 5) Cf. Virg. *Æn.* 8, 412, *G.* 1, 390, IV,

348, Tib. 2, 2, 9. — 6) Cat. 64, 311 :

Æternumque manus carpebant rite laborem.
Læva colum molli lana retinebat amictum :
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum ;
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ prius in lævi fuerant exstantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.

7) Cf. Tib. 1, 3, 85, 7, 84 (v. 6, 78), 2, 1, 63, Ovid. *Met.* 4, 34, 6, 22. — 8) Cf. Ovid. *Met.* 4, 36, Cat. 64, 315 (Hinc, Hor. *Ep.* 1, 225, *tenui deducta poemata filo*, et similia), Tib. 1, 6, 78, *ducit inops tremula stamina torta manu.* — 9) Ovid. *Met.* 6, 54 :

Et gracili geminas intendunt stamine telas.
Tela jugo juncta est, stamen secernit arundo ;
Inseritur medium radiis subtemen acutis,
Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum
Percusso feriunt insecti pectine (?) dentes.

Lucret. 5, 1350 :

Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen :
Textile post ferrum est ; quia ferro tela parantur ;
Nec ratione alia possunt tam lævia gigni
Insilia (?), ac fusi, et radii, scapique sonantes.

10) V. Ovid. *Met.* 6, 576. Cf. Virg. *G.* 1, 285, Tib. 1, 6, 79, *firmaque conductis adnectit licia telis.* Cf. *stans tela* Ovid. *Met.* 4, 275, *Fast.* 3, 819. Cf. Schneid. lex. in *ἱστός.* — 11) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 820, *rarum pectine denset opus.* — 12) Sic. suadet locus Ovid. *Met.* 6, 55. sqq. Hunc arundinis usum non videtur animadvertisse Voss, certe pectinem in nota ad Virg. *G.* 1, 294, cum arundine Ovidii confundit. Scilicet pectinis unus usus est telam subtemen feriendo densare; qui si arundinis idem esset, duos apud Ovidium pectines haberemus, quod absurdum. Arundinis forma movendique ratio quæ fuerit, aliis quærendum relinquo. *Scapos* autem *sonantes* Lucretii non tam aliud quam pectinem esse crederem (Cf. Virg. *Æn.* 7, 14, et *G.* 1, 294, *arguto-percurrens pectine telas*, et Tib. 2, 1, 66, *applauso tela sonat latere*, ubi varie et interpretes et codices.) Radio fusum subtemine circumvolutum, ut hodie mos, insertum esse conjiceres e Lucretio ; sed nec omni texturæ hic fusus convenit, et apud Ovidium ne quæramus, verba repugnant. Conferendum et Virg. *Æn.* 9, 476, *excussi manibus radii, revolutaque pensa.* Cæterum

radio percurrere stamina telæ apud Ovidium *Met.* 4, 275, nemo negabit aptissime dici; contra Virgilii percurrere pectine telas, quamvis non absurdum, tamen Homerico (*Od.* 5, 62.) ἱστὸν ἐποιχομένη κερκίδι deberi videtur. V. Schneider in κερκίς, qui, radium et pectinem κερκίδα faciens, in Homero tamen, *Od.* 5, 62, *Il.* 22, 448, pro σπάθη accipere mavult. Certum manebit, aliud esse radio, aliud pectine percurrere, quas voces Ovidius quoque usu manifesto distinguit. Cf. epigr. Antipatri, *Anthol.* 6, 8, 15, ed. Bosch. v. 3, p. 112. — 13) Quam in *Bomb.* l. 2. his attingit Vida :

Quin etiam varios tenui subtegmine pingunt
Nexilibus flores hederis, sylvasque virentes,
Pomaque, graminaque, et cervos capreasque fugaces.

14) Cf. Ovid. *Met.* 6, 66. sqq. — 15) Cf. Hom. *Il.* 3, 125, Eur. *Ion.* 1160, Prop. 2, 32, 12, Virg. *G.* 3, 25. — 16) Cf. Ovid. *Met.* 6, 23, Cic. *Tusc. Q.* 5, 21.

MERCATURA, FOENERATIO, NAVIGATIO.

383. Quod de quæstibus universe diximus, idem, si antiquiora tempora respicias, de mercatura dicendum. Videlicet indoles Romanorum et reipublicæ forma bellicis artibus aptissima, commercio contraria cernitur. Raro enim hæc conjuncta vigent, et quæ nationes mercatura simul armisque inclaruere, mercenariis copiis id plerumque assecutæ sunt, a quibus Romani semper alieni. Itaque mercatura ut angusta tum et infimæ sortis hominibus relicta, ita sordida vilisque fuit 1). Contra ampliora commercia, quo pertinent voces negotia, negotiatio, negotiatores 2), quamvis æque senatoribus interdicta, neque admodum honorifica, vilia tamen non putabantur. Hæc extremo libertatis tempore Equites potissimum per provincias exercebant, iidem publicorum operum vectigaliumque redemptores (§. 251.), et publici argentarii. Mercatores, opificum instar, collegiis jungebantur, quo trahendi Mercuriales et Capitolini 3).

1) Cf. Cic. *Off.* 1, 42, Cato *R. R.* init., Dionys. supra §. 380. — 2) Cf. Cic. *Verr.* 2, 77, *p. Planc.* 26. — 3) Cf. Cic. *ad. Q. fr.* 2, 5, Liv. 2, 27, 5, 50.

284. Argentarios, ad quos mensarii, diversi a numularis (§. 215.), mensa, taberna argentaria 1), Romæ sub Regibus jam fuisse, e Livio colligeres 2); nec carere potuit urbs, populosa et peregrinis frequentata, hominibus, qui numis permutandis vacarent; et vero ad eam rem primi instituti videntur (cf. §. 216.) Postea iidem fœneratores sua et aliorum pecunia 3); unde argentaria in quæstibus parum honestis 4). Auctiones quoque ad eorum tabernas, in Foro positas, fiebant, et, contractibus privatorum adhibiti, notarii, quem nunc vocamus, vicem implebant 5).

Fœnerationis inter vetustissima Romanorum vitia, et publicæ calamitatis inde natæ et propagatæ mentionem aliis locis inseruimus (§. 134 et 399.) Rem gravissimam paucis diserte exposuit Beaufort V. II. p. 418. sqq. Fœnus initio, ut sane credibile est, teste etiam Tacito 6), arbitrarium, nec dubium est, quin magnum, et centesimam sortis, capitis, in mensem vulgo fuisse, suspicatur Beaufort. Legitimum primo factum, centesima in annum, sive XII Tabb. 7), sive, ut verius censet Beaufort, lege Duilia (a. 397.) constituta 8). Hæc usura unciaria, in mensem scilicet uncia pro C assibus solvenda. Lex elusa creditorum, peregrinos in stipulatione sibi substituentium, fraude; qua detecta, fœnus plane interdictum (a. 411.) Sic ne pauperi quidem consultum, ut pecuniam pararet, contra legem conditiones inire coacto, quam deinde, ubi solvendum, implorabat; unde frequentes lites, nec levis judicandi difficultas, postremo, neglecta jam lege, et cumulato ære alieno, tuentibus aut ultro concitantibus plebem Tribunis, seditiones, et, pejus malo remedium, novæ tabulæ (§. 73.) Pecuniam Romani, ut Græci, de more in mensem collocabant 9), ideoque singulis mensibus, ac vulgo ipso mensis initio sive Calendis, ut Græci novilunio, fœnus exigebant 10). Hinc

et calendarium vocatæ tabulæ sive libri, pecuniæ collocatæ rationem, sortem scilicet, usuras, nomina, continens. Cujusmodi calendaria, res ipsa fert, non privatorum 11) modo, sed publicæ etiam pecuniæ fuisse. Ad publica haud dubie trahenda, quos (§. 215.) inter minores magistratus posuimus, curatores calendarii, tanquam rei fœnebri ordinandæ.

1) Cf. Liv. 26, 11. — 2) Cf. 1, 35, 26, 11. — 3) Cf. Hor. *Sat.* 2, 3, 69, ibiq. Heind., Suet. *Nero* 5. — 4) Cf. Cic. *Off.* 1, 42. — 5) Cf. Quint. *Inst. Orat.* 11, 2. — 6) *Ann.* 6, 16. — 7) Tac. ib. — 8) V. Liv. 7, 16. — 9) Solennia de re verba sors, caput; fœnus, usura, merces (Hor. *Sat.* 1, 2, 14, 3, 88.), pecuniam ponere, in fœnere ponere, collocare, occupare; pecuniam relegere, usuræ quadrantes, (trium unciarum in mensem, totidem assium in annum, de centum assibus,) trientes, semisses, etc. (cf. Cic. ad *Att.* 4, 15, Pers. 5, 149.) — 10) Cf. Hor. *Sat.* 1, 3, 87, *miseræ Calendæ*, et *Ep.* 2, 69, *omnem relegit Idibus pecuniam; quærit Calendis ponere.* — 11) Sen. *Ep.* 87, *divitem illum putas — quia magnus calendarii liber volvitur;* id., *Ep.* 14, *dum de incremento cogitat, oblitus est usus, rationes accipit, forum conterit, calendarium versat, fit ex domino procurator.* Cf. id. *de Ben.* 1, 2, 7, 10. Mart. 8, 44, 11, *centum explicentur paginæ calendarum.* Occurrit etiam in *Digg.*, ut 26, 7, 39, §. 8, loc. Papin., — *pecuniam in calendarium pupilli convertit,* et 32, fr. 64, loc. Africani, — *certa prædia nepoti per fideicommissum dederat, excepto calendario.*

385. De mercatura autem dicta intuentes, non mirabimur parum curæ fuisse Romanis, ut navigatione eam juvarent, urbemque ad summam potentiam elatam commerciis quoque florentem redderent; tametsi cum Italiæ tum ipsius Romæ situs ad eam rem maxime invitare eos debuisset. Portum tamen Ostiæ urbs mature nacta, ab Anco Martio ædificatum, qui et sylvas quasdam navigiis construendis destinavit 1). Verum neque hic rex, ut cæteri, præter Numam, belli amans, de mercatura extendenda magnopere cogitasse videtur. In libera civitate, perpetua jam cum finitimis dimicatione, impensiorem curam fuisse, non

est cur adfirmemus; prorsus neglectam non esse, testantur fœdera plura cum Carthaginiensibus commercii causa inita 2), quorum antiquissimum primi a Regibus expulsis anni 3), postremum a. 473.

Naves marcatorias a bellicis, quæ longæ vocabantur, supra (§. 373.) onerariarum nomine distinximus. Erant hæ bellicis navigiis rotundiores simul et profundiores, ac velis maxime agebantur. In navium partibus atque ornatu, (ut ea hoc loco adferamus,) occurrunt: carina, statumina, prora, puppis, alveus (saburra, sentina), tabulatum, aplustrum 4), insigne navis, *παράσημον*, in puppe plerumque, feræ, dii, etc. 5), tutela navis in prora, imagines deorum, heroum 6), anchora, gubernaculum (clavus), remi, scalmi, transtra, rudentes, funes, malus, antenna, velum (pes veli, etc.).

1) Cf. Dionys. Hal. 5, 44. — 2) V. Heyne *Opusc. Acad.* v. 3. — 3) Cf. Beauf. *sur l'Incert.* p. 1. c. 3. — 4) Cf. Juven. 10, 136. — 5) Cf. Virg. *Æn.* 5, 116. — 6) Cf. Ovid. *Heroid.* 16, 113, *Trist.* 1, 3, 100.

NUMI, PONDERA, MENSURÆ.

386. Ut omnino vetustissimo tempore, sic apud Italos commercia aut mercibus simpliciter commutatis, unde *mutare*, *ἀλλάττειν*, pro *vendere* 1), fiebant, aut in pretium vel adpenso metallo 2), unde idem primæ et monetæ et ponderis nomen as, vel pecudibus, quæ tum primariæ opes, una pluribusve datis (cf. §. 278.), unde bovis imaginem assi impressam existimant, ipsumque *pecuniæ* 3) vocabulum, sive ab illa imagine, sive omnino a pecude, tanquam opibus 4), derivant 5).

Primarium pondus Romanorum, as (libra, pondo; totum, *unité*), in 12 partes, uncias, dividebatur. Unciæ, 8 drachmis 6), 24 scrupulis æquales, in hunc modum ab

una ad assem denominatæ : uncia, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis vel semissis 7), septunx, bes 8), dodrans (*de quadrans*), dextans (*de sextans*) vel decunx, deunx (*de uncia*), as. Unciæ pars 3. duella (Rhemn. Fann.), 6., ut omnino pars 72. assis sive toti, sextula vocatur 9). As et assis partes cum ad alias res, tum ad hereditatem trahuntur, ut heres ex asse, ex semisse, dodrante, ex semuncia, sextula 10).

1) Cf. Virg. *G.* 3, 307. — 2) Hinc *pendere*, *expendere*, pro *solvere*, *insumere*, etc. — 3) Cf. Colum. l. 6. præf. — 4) Sic mavult Stieglitz (in *Archæolog. Unterhalt.*); nec enim in antiquissima Romanorum, quam noverimus, moneta bovem, sed Jani caput, et proram inveniri. — 5) Diversi prorsus etymi *moneta*, a templo Junonis Monetæ, et *numus*, quod, non dubium, quin a *νόμος*, unde et *νόμισμα*, numisma. — 6) Romanis scilicet; aliquanto majores vulgo faciunt Atticas, alii 6, alii alium inter 6 et 8 numerum unciæ Romanæ æquantes (cf. B. Van Laar *Dissert. Inaug. de Rom. Pond. et Mens.* p. 15. sqq. — 7) Id. est *semias*, selibra. A *semis* etiam *sesqui*, i. e. as sive totum et dimidium, correptum, ut videtur, e *semisque*, subintellecto *as*. — 8) Varro *de L. L.* 4, p. 41, *bes, ut olim des, dem, pro triente :* scilicet, ut *bes* sit pro *bis des*. Sed aliter accepit Scheller. Possis etiam fingere *bes* a *bis triens*. — 9) Varro *de L. L.* 4, p. 40, Colum. 5, 1, 9. — 10) Cf. Cic. *ad* Att. 7, 8, *p. Cæc.* extr.

387. Par ratio divisionis numi ærei (as libralis, æs, æs grave), sub Servio Tullio 1) signati 2). Is initio libræ pondere, bello Punico primo ad duas uncias, secundo ad unciam, nec multo post ad semunciam imminutus. Assem partesque ejus extrema libertate cudi desiisse, notatum reperio 3); e partibus numi ærei quadrans sive teruncius 4), et triens 5). Inter numos argenteos notissimus sestertius (semis tertius, i. e. duo integri et tertii semis), arguente voce, duorum assium et dimidii; unde nota sestertii II S v. LL S, in qua littera S semissim, geminata I et L duos asses sive libras indicant. Sestertii duplum quinarius, quadruplum denarius, æquans Græ-

corum drachmam, post sedecim assibus æquatus 6), idem a bigis et quadrigis bigatus et quadrigatus quoque dictus. Quinario æqualis peregrinus numus, victoriatus ab impressa Victoria adpellatus. In numis aureis notandus, qui simpliciter aureus (χρύσινος, χρυσοῦς) dicitur, idem, post inductos semisses et tremisses, solidi nomine distinctus, pondere sex scrupulorum, valens centum sestertios 7).

Grandes summas Græci talentis, minas 60, drachmas 6000 æquantibus, Romani assibus, maxime sestertiis exprimebant, a numo distinguentes sestertium (pondo), mille sestertiorum summam; cæterum in numero decies centies mille, aut majori, omisso, ut vulgo putant, numero centeno, sestertii vocabulo aut signo adverbia numeralia jungentes; velut decies sestertium vel X LLS, i. e. decies centena sestertia, vel decies centena millia sestertiorum numorum; sic vicies, etc. 8), dubio quandoque numero, præsertim, quum sestertii signum numeralibus signis jungitur, ut IIS C (Sall. *Cat.* 25.) Sæpe etiam vocabulum *sestertius* aut *sestertium* omittunt 9).

1) Cf. Plin. 18, 3, *Servius rex ovium boumque effigie primus æs signavit.* — 2) Cf. Liv. 4, 60, 5, 12. — 3) Postremos Stieglitz facit asses Sexti Pompeji; idem, sub Cæsaribus fere denarios, raro quinarios, sestertios autem nullos esse cusos. — 4) *Quadrante lavari*, Hor. *Sat.* 1, 3, 137, Juven. 6, 447. — 5) Liv. 22, 10, Juven. 3, 267. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 1, 17. — 7) Memorantur etiam, et ex antiquitate supersunt plumbei Romanorum numi; de quibus cf. Plaut. *Cas.* 2, 3, 40, *Most.* 4, 2, 11, *Trin.* 4, 2, 120, et Mart. 10, 74, 4, *centum merebor plumbeos die toto.* V. Pignor. *de Serv.* p. 248. Monetam hos fuisse negat, de vario eorum usu inquirens, pluresque species distinguens, Stieglitz. — 8) *Sestertium millies* (Cic. *de Off.* 3, 24.), 100,000,000, *septies millies* (Cic. *Phil.* 12, 5.), 700,000,000; *bis et vicies millies sestertium* (Tac. *Hist.* 1, 20.), 2200,000,000; *sestertium quadringenties ærario illatum est* (Tac. *Ann.* 13, 31.), 40,000,000; II S *vicies*, Cic. *ad Att.* 4, 2, *in sestertio vicies* (Nep. *Att.* 14), 2000000; *Cæsar-centies sestertio cænavit* (Sen. *de Cons.* 9.), 10000000. Simplicior sane ratio foret, si sestertium in summis

millies mille et majoribus centum millia numorum sestertiorum fuisse, sicque pro *vicies sestertium* et *viginti sestertia* dictum constaret. Cf. Mart. 1, 104, *decies millia centum*. — 9) *Decies millia centum* (Mart. 1, 104.), i. e. numorum; quod alio loco ambiguum esse posset; *Tusculanam villam quingentis millibus* (sc. æstimarunt, Cic. *ad Att.* 4, 2.); *quum lis ejus quater millibus æstimaretur*, i. e. numis (Vell. 2, 8.); *mullum sex millibus emit æquantem sane paribus sestertia libris* (Juven. 4, 15.), *decies centena* (Hor. *Sat.* 1, 3, 15.), i. e. sestertia; *quadringenta* (Juven. 1, 106); *sume tibi decies* (Hor. *Sat.* 2, 3, 237.) i. e. decies sestertium, 1000000; *decies solidum* (ib. v. 240.), *plenum vicies* (Mart. 1, 100.); *millies* (ib.)

388. De mensuris autem Romanorum, ut aqud alios populos, ad longitudinem metiendam usitatæ a corporis humani partibus desumtæ. Pes quatuor palmas, duodecim pollices, sedecim digitos complexus, idem vero, ut unitas mensuræ, as vocatus, et unciis divisus. Porro sesquipes cubitum, 5 pedes passum, 125 passus stadium, 8 stadia milliarium efficiunt 1); quo intervallo in viis lapides positos diximus §. 48, qui et milliarii simpliciter vocati. Plani mensura jugerum, longitudine pedum 240, latitudine 120, pariter assis partibus, (ut sextula, scrupulum jugeri,) divisum; jugeri dimidium actus 2). Fluidorum mensura amphora s. quadrantal, pedis cubici capacitate, 2 urnas, 8 congios, congius porro 6 sextarios, is 2 heminas, 4 quartarias, 8 acetabula, 12 cyathos complectens 3). Siccorum usitatissima mensura modius, isque sexta pars medimni Attici, æquantis 48 chœnicas, 96 sextarios.

1) Cf. Colum. 5, 1. — 2) Cf. Colum. l. c. — 3) Cf. Hor. *Sat.* 1, 1, 54.

DE VECTIGALIBUS.

389. Impensis publicis antiquissimis Romæ temporibus cives tributum, initio, ut videtur, capitis tantum (cf. §. 144–5.), aut si quid præterea de agro publico vectigalis (cf. §. 134.), Servii Tullii autem instituto ex censu pen-

debant 1), manente tamen et capitis quodam, ut sane crederem, tributo (cf. §. 145.) Ex censu gravius leviusve pro reipublicæ necessitate, qua flagitante etiam ad extraordinaria, temerarium 2), recurrebatur. Pari modo postea socii et provinciales, illi ex fœderis conditione, hi magis ex victorum arbitrio (§. 243.) tributum, unde tributarii et stipendiarii dicuntur, populo Romano sive capitis, sive ex censu, sive, si qui fuere, utrumque pendebant 3). Sed civibus illa tributa post subactam Macedoniam (a. 586.) ad Hirtii et Pansæ consulatum condonata 4).

1) V. Hegew. p. 49. — 2) Cf. Liv. 26, 35 et 36, Fest. in *tributorum*. — 3) Cf. Liv. 45, 29, Dionys. 3, 60, 4, 52, Tac. *Ann.* 13, 51. V. Hegew. p. 66. — 4) V. Cic. *de Off.* 2, 22.

390. Illis ampliores multo erant reditus vectigalium nomine comprehensi, quod, si utique a vehendo derivandum, primo ad merces tantum pertinuisse conjicias; cæterum omnino de publicis reditibus, raro tamen et minus proprie de censu aut capitis tributo usurpatur. Verba de re solennia vectigalis, vectigal imponere, vendere, locare, redimere, etc. Inter ordinaria autem, crescente Imperio, paulatim introducta memorantur vectigal ex agro publico, pascua quoque, quo trahitur vox scriptura 1), et sylvas pecori pascendo complectente; portoria (a *porto*, dubito, an a *portus*), in portu, in provinciarum finibus, in fluminum transitu, de mercibus solvenda 2), unde portorium maritimum, vini, pontis, etc. 3), expulsis Regibus, imminuta aut suppressa, post certe restituta 4), cæterum in Italia ab a. 693. abolita 5), sed a Cæsare 6) ex parte restituta; vectigalia ex metallis, quæ maxima in Hispania, Illyria, Macedonia et Africa 7), e sale 8); vicesima manumissionum, aurum vicesimarium (§. 60.), e manumissionibus 9). In aliis reditus e sacramento (§. 271. *a.*), mulc-

tatione 10), e bonis, sive proscriptorum, sive alias publicatis, et primis certe temporibus cuncta superans præda hostilis. Hæc stante republica.

1) Cf. Burm. *de Vectig. pop. Rom.* c. 4. — 2) V. Burm. c. 5. — 3) Cf. Cic. *p. Font.* 5, *in Pis.* 36. — 4) V. Liv. 2, 9, 40, 51, Vell. 2, 6. — 5) Cf. Dio Cass. 37, 51. — 6) Suet. *Cæs.* 43. — 7) Cf. Liv. 45, 18, Plin. *H. N.* 33, 6. — 8) Cf. Liv. 1, 33, 2, 9. — 9) Cf. Liv. 8, 16, 27, 10, Cic. *ad Att.* 11, 16. — 10) Cf. Liv. 10, 23, 31, 50.

391. Nova sub Augusto aut restituta accesserunt: portoria de mercibus in Italiam, in Urbem importatis, octava, quadragesima, etc. 1); centesima rerum, in foro aut auctionibus, venalium, vectigal cum alias mutatum, tum ex re vendenda varium 2), quinta et vicesima venalium mancipiorum 3); vicesima hereditatum (hereditatium), certam summam excedente hereditate, ab herede, exceptis tamen a patre proximis, solvenda 4): quæ omnia fisco adsignata 5). Ærarium vero idem Augustus locupletavit lege Julia et Papia Poppæa, cum alia populo, ut bona caduca (§. 101.), deferens, tum, pœnis in cælibes constitutis, hereditates et legata lege ad hos perventura 6). Sub sequentibus Cæsaribus nefandum fisci incrementum lex Majestatis, multiplicatis divitum accusationibus, bonisque publicatis (§. 264.) Vectigalia quoque plurima adjecta, in turpissimis vectigal urinæ. Omnium gravissima inventa labentis Imperii tempore, in quibus lustralis collatio (chrysargyrum), et inprimis memoranda indictio.

1) Tac. *Ann.* 13, 51, *manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque, et quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Cf. Plin. 6, 23, 12, 18, Burm. p. 62. sqq., Hegew. p. 196. — 2) Cf. Tac. *Ann.* 1, 78, 2, 42, Suet. *Cal.* 16. V. Burm. p. 68. sqq. — 3) Cf. Tac. *Ann.* 13, 31, — *remissum specie magis, quam vi; quia, quum venditor pendere juberetur, in partem pretii emtoribus accrescebat.* — 4) V. Dio. Cass. 55, 24, 56, 28. Cf. Plin. *Ep.* 7, 14, *Paneg.* 37, Burm.

debant 1), manente tamen et capitis quodam, ut sane crederem, tributo (cf. §. 145.) Ex censu gravius leviusve pro reipublicæ necessitate, qua flagitante etiam ad extraordinaria, temerarium 2), recurrebatur. Pari modo postea socii et provinciales, illi ex fœderis conditione, hi magis ex victorum arbitrio (§. 243.) tributum, unde tributarii et stipendiarii dicuntur, populo Romano sive capitis, sive ex censu, sive, si qui fuere, utrumque pendebant 3). Sed civibus illa tributa post subactam Macedoniam (a. 586.) ad Hirtii et Pansæ consulatum condonata 4).

1) V. Hegew. p. 49. — 2) Cf. Liv. 26, 35 et 36, Fest. in *tributorum*. — 3) Cf. Liv. 45, 29, Dionys. 3, 60, 4, 52, Tac. *Ann.* 13, 51. V. Hegew. p. 66. — 4) V. Cic. *de Off.* 2, 22.

390. Illis ampliores multo erant reditus vectigalium nomine comprehensi, quod, si utique a vehendo derivandum, primo ad merces tantum pertinuisse conjicias; cæterum omnino de publicis reditibus, raro tamen et minus proprie de censu aut capitis tributo usurpatur. Verba de re solennia vectigalis, vectigal imponere, vendere, locare, redimere, etc. Inter ordinaria autem, crescente Imperio, paulatim introducta memorantur vectigal ex agro publico, pascua quoque, quo trahitur vox scriptura 1), et sylvas pecori pascendo complectente; portoria (a *porto*, dubito, an a *portus*), in portu, in provinciarum finibus, in fluminum transitu, de mercibus solvenda 2), unde portorium maritimum, vini, pontis, etc. 3), expulsis Regibus, imminuta aut suppressa, post certe restituta 4), cæterum in Italia ab a. 693 abolita 5), sed a Cæsare 6) ex parte restituta; vectigalia ex metallis, quæ maxima in Hispania, Illyria, Macedonia et Africa 7), e sale 8); vicesima manumissionum, aurum vicesimarium (§. 60.), e manumissionibus 9). In aliis reditus e sacramento (§. 271. *a.*), mulc-

tatione 10), e bonis, sive proscriptorum, sive alias publicatis, et primis certe temporibus cuncta superans præda hostilis. Hæc stante republica.

1) Cf. Burm. *de Vectig. pop. Rom.* c. 4. — 2) V. Burm. c. 5. — 3) Cf. Cic. *p. Font.* 5, *in Pis.* 36. — 4) V. Liv. 2, 9, 40, 51, Vell. 2, 6. — 5) Cf. Dio Cass. 37, 51. — 6) Suet. *Cæs.* 43. — 7) Cf. Liv. 45, 18, Plin. *H. N.* 33, 6. — 8) Cf. Liv. 1, 33, 2, 9. — 9) Cf. Liv. 8, 16, 27, 10, Cic. *ad Att.* 11, 16. — 10) Cf. Liv. 10, 23, 31, 50.

391. Nova sub Augusto aut restituta accesserunt: portoria de mercibus in Italiam, in Urbem importatis, octava, quadragesima, etc. 1); centesima rerum, in foro aut auctionibus, venalium, vectigal cum alias mutatum, tum ex re vendenda varium 2), quinta et vicesima venalium mancipiorum 3); vicesima hereditatum (hereditatium), certam summam excedente hereditate, ab herede, exceptis tamen a patre proximis, solvenda 4): quæ omnia fisco adsignata 5). Ærarium vero idem Augustus locupletavit lege Julia et Papia Poppæa, cum alia populo, ut bona caduca (§. 101.), deferens, tum, pœnis in cælibes constitutis, hereditates et legata lege ad hos perventura 6). Sub sequentibus Cæsaribus nefandum fisci incrementum lex Majestatis, multiplicatis divitum accusationibus, bonisque publicatis (§. 264.) Vectigalia quoque plurima adjecta, in turpissimis vectigal urinæ. Omnium gravissima inventa labentis Imperii tempore, in quibus lustralis collatio (chrysargyrum), et inprimis memoranda indictio.

1) Tac. *Ann.* 13, 51, *manet tamen abolitio quadragesimæ quinquagesimæque, et quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Cf. Plin. 6, 23, 12, 18, Burm. p. 62. sqq., Hegew. p. 196. — 2) Cf. Tac. *Ann.* 1, 78, 2, 42, Suet. *Cal.* 16. V. Burm. p. 68. sqq. — 3) Cf. Tac. *Ann.* 13, 31, — *remissum specie magis, quam vi; quia, quum venditor pendere juberetur, in partem pretii emtoribus accrescebat.* — 4) V. Dio. Cass. 55, 24, 56, 28. Cf. Plin. *Ep.* 7, 14, *Paneg.* 37, Burm.

c. 11; Hegew. p. 199. — 5) De auro coronario v. §. 250. — 6) V. Dio Cass. 55, 15, 56, 1-10, Tac. *Ann.* 3, 25 et 28, Caj. 2, 111 et 144, Hor. *C. S.* 17.

392. Hæc sub Diocletiano, ut vulgo existimant, incipiens, a Constantino autem perfecta, ex censu tributum fuit, perscriptis per censitores civium, ut in censu Serviano, fundis, pecudibus, servis, et æstimatione quindecim annorum intervallo repetita, secundum quam singulis annis singuli tributum pendebant, summa fortunarum cujusvis provinciæ capitum, imaginarii census, numero definita, qui numerus in provinciæ partes majores, ex his in minores, postremo in oppida pagosque et singulos cives (collatores), pro vero cujusvis censu dividebatur, unoquoque e capitum, quæ habebat, numero aut partibus ad summam toti provinciæ impositam conferente; quo trahuntur tabularii, exactores, susceptores, ponderatores, mensores, etc Ipsum tributum autumno singulis annis edicto ab Imperatore rubrica subscripto *indicebatur*, unde nomen indictio; idque vocabulum, ut lustrum de quinquenni, de quindecim annorum spatio, in annis etiam indicandis usurpatum, ob eamque rem in periodo Juliana cum cyclis solis et lunæ conjunctum 1).

Lustralis collatio, quæ aurarius quoque canon 2), et auraria pensitatio 3), vel simpliciter auraria 4), et græco vocabulo chrysargyrum, lustralis autem a lustro, sed hic quadrienni (§. 145.), dicta, eorum erat, *qui pecuniam in conversatione habebant*, cum mercatoribus opifices etiam, exceptis, *qui manu vitam rimantur*, et, quod turpissimum, meretricum quæstum, tributum animarum 5), complectens.

1) V. Hegew. p. 273. sqq. — 2) *Cod. Just.* 10, 47, 10. — 3) Ib. 11, 61, 2. — 4) *Cod. Theod.* 12, 6, 29. — 5) V. Zos. 2, 38, Euagr. 3, 40, Lyd. 3, 47, Burm. p. 206.

393. Ordinaria autem, quæ supra diximus, vectigalia mos erat a Censoribus quinto quoque anno a Calendis Martiis, in Foro hasta posita 1), locari 2), quo referuntur tabulæ vel leges censoriæ 3), et hastarium: redimendi jus inter Equestris Ordinis prærogativas memoravimus (§. 137 et 251.) Hi igitur, in societates divisi, per administros suos, magistros publicanorum, scripturæ, portus; operas, portitores, scripturarios, etc. 4) ea colligebant, pactum ærario pretium solventes, quo redituum summa confluebat, cura, sub senatus auctoritate, Quæstoribus mandata. Variæ rerum publicarum sive externæ sive internæ perturbationes, fieri non potuit, quin interdum magnas ærarii angustias adferrent; sed stante libertate facilius remedium, sub Cæsaribus contra, impensis et tributis immensum auctis, exhaustis provinciis, rara aut nulla e devictis gentibus præda, quin etiam pace a barbaris sæpe emta, extincto insuper patriæ amore, perpetuæ angustiæ, nec ulla gravior Imperii calamitas.

Jus tributa imponendi ipsaque ærarii administratio, quo trahendi Quæstores Regum (§. 211.), a Regibus, ut vero propius, usurpata, deinde omnino ad senatus auctoritatem pertinuisse videntur 5), utraque sub Cæsaribus quoque in speciem relicta. Sed ab Augusto novum militaribus sumtibus ærarium constitutum, usu et administratione a Principum arbitrio pendens, senatu tamen reditus adsignante: quod ærarium sub fisci — a fisco, fiscello, fiscina 6) — nomine sensim privatum Cæsaribus evasit, donec, altero plane suppresso, cuncta in fiscum confluxerunt.

1) Cf. Ovid. *de P.* 4, 9, 45, *Nunc longi reditus hastæ supponere lustri cernet, et exacta cuncta locare fide;* quæ ad Cæsarum ætatem, locandi cura jam Consulibus mandata. — 2) V. Liv. 43, 16, Hegew. p. 93. sqq. — 3) Cf. Cic. *Verr.* 1, 55, 3, 7. — 4) Cf. Cic. *Verr.* 2, 70. sqq. —

5) Cf. Polyb. 6, 13, 15 et 17, Liv. 45, 18. — 6) Cf. Tac. *Ann.* 1, 37, Cic. *Verr.* 3, 85, *ad Q. fr.* 3, 4.

394. Vectigalibus paucissima addimus de impensis publicis, quæ mutuo nexu cohærent, conjungentes 1). Sumtus initio, utpote parva in civitate, modici; sed in primariis ponenda, quæ religio 2) et publica opera flagitabant. Deorum cultum vel in exiguis Romæ opibus satis splendidum cernimus, plurimis, iisque partim sub Regibus, ingenti numinum turbæ templis dicatis, sacerdotum collegiis institutis, frequentibus sacrificiis, ludis quoque et (§. 331.) sumtuosis epulis 3). Nec, præter templa, variis usibus deerant ædificia et omnino opera publica (§. 50.), e quibus grandiora Capitolium et montis Capitolini munimenta, Circus M., mœnia urbis lapidea, cloacæ et aquæductus.

In reliquis sumtus bellici, tum leviores, milite semet et armante et, ut sane videtur, ex parte etiam sustentante, equiti modo equum, et ad alendum vel pecuniam vel annonam potius ærario præbente (§. 364 et 374.); servorum publicorum, sive aliorum, sive magistratibus adparentium (§. 217), et universe infimi ordinis muneribus fungentium civium sustentatio; ipsis magistratibus vel pensiones constitutæ, de quo dubitant, vel, quod certum est, sumtus, quos publice faciebant, restituti (§. 246.); publica item supellex, vasa argentea 4), velut legatis hospitio excipiendis, aut alias in publicum usum magistratibus tradita; denique, ut, si qua sunt leviora, prætereamus, frumenti, sæpe in annonæ caritate aliunde empti, aut nullo aut perexiguo pretio inter pauperiores divisio 5).

1) De utrisque consulendus D. H. Hegewisch egregius de Romanorum vectigalibus liber: *Versuch über die Ræmischen Finanzen.* Laudantur etiam R. Bosse: *Grundzüge des Finanzwesens im Ræmischen Staat.* Inter antiquiora primarium opus P. Burmanni *de vectigalibus populi*

Romani dissertatio. — 2) Cf. Liv. 1, 20. — 3) Cf. Liv. 22, 10, 24, 43. — 4) Cf. 33, 11. — 5) Cf. Liv. 2, 34 et 52.

395. Modicis igitur impensis omnes una superans eademque perpetua accessit, stipendio militibus constituto (§. 374.), quæ serius cum Imperio in immensum aucta; nec minus cæteræ, sive bellorum molem, et triumphorum, sæpe, ut crederes, non sine magnis ærarii impensis, pompam, sive feriarum ludorumque numerum et magnificentiam, sive magistratus, sive opera publica splendidissima multa et vastissima, cæterum pæne innumera, respicias. Sed præter stipendium, et durante libertate, et impensius a Cæsaribus auctum, duo maxime cernuntur, corrupto jam civitatis more inducta, sub Cæsaribus autem usque latius extensa, queis orbis Romani opes sufficere non potuere, in milites, quæ donativa dicuntur 1), et, a laudandis profectæ initiis 2), in plebem, sumtuosissimis insuper ludis 3) oblectandam, largitiones, congiaria et frumentaria largitio 4). His æque exitiosus, labente Imperio, introductus inde a Diocletiano inprimis aulæ adparatus, comitatus splendor, ministrorum cohortes, multiplici officiorum et graduum distinctione (§. 232. sqq.), in prisca civitate et primis etiam Cæsaribus ignota, Orientis regum fastus et luxuriæ imitatio, sub Constantino M. ad summum provecta 5).

1) Cf. Tac. *Hist.* 1, 5, Dio Cass. 78, 36. — 2) Cf. Liv. 2, 34 et 35, Dionys. 7, 1 et 21, 9, 25. — 3) Cf. Juven. 10, 80. — 4) Cf. Tac. *Ann.* 1, 11, 3, 29, Dio Cass. 43, 21, 51, 21, 55, 10, Ὁ δὲ Αὔγουστος τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος, ἀόριστον ὄν, ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε· καὶ ὥς γέ τινες λέγουσι, καθ᾽ ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. Cf. id. 59, 2, Liv. 4, 12, 30, 26 et 38, Suet. *Cæs.* 41, Vop. *Aurel.* 35, *Fides historica frequentavit, Aurelianum eo tempore, quo proficiscebatur ad bellum Orientale, bilibres coronas populo promisisse, si victor rediret, et, cum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut vellet, coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei*

vocantur, et singulis quibusque donasse ita, ut siligineum suum quotidie toto ævo suo et unusquisque reciperet, et posteris suis dimitteret. Nam idem Aurelianus et porcinam carnem populo Romano distribuit, quæ hodieque dividitur. — 5) V. Hegew. p. 249. sqq.

SECTIO II. CAPUT I.

396. Propositam operis nostri rationem sequentes, priore hujus sectionis capite indolem Romanorum, ingenii culturam, litteras, disciplinas artesque, secundo mores et vitæ domesticæ consuetudinem complectimur.

DE INDOLE SIVE INGENIO ROMANORUM.

Italiam, quo tempore Roma fertur condita, plurimas inter nationes variæ originis divisam, inferiorem maxime Græcis coloniis occupatam cernimus (§. 15.) In his, quod ad cultiorem moribus litterisque et artibus vitam, Græci reliquis, Etrusci, quæ sane hominum doctissimorum persuasio 1), omnibus præstitisse videntur. Ipsius autem Romæ primi incolæ, sive sub ipsis initiis, ut vulgaris opinio, prædonibus et pessimo quoque aucti, sive honestior turba (§. 40.), statimque Etrusca lege polita 2), moribus diu et institutis horridi, litterarum artiumque rudes, omnino cultioris vitæ bona ignorantes inveniuntur; idque cum aliis indiciis cognoscimus, tum primis illorum scriptis ordinumque consensu jussis legibus, XII Tabulis, quæ, quamvis tribus post urbem conditam sæculis compositæ, ferocioris status, velut in patria potestate et in debitorum addictione (§. 72.), multa vestigia servabant. Nec vero audiendi sunt, qui, Dionysium Halicarnasseum hic probantes, sub ipso fundatore vix non egregie constitutam sibi Romanorum civitatem, et rempublicam perfectiori formæ propiorem fingunt 3).

1) Cf. Nieb. v. 1. p. 88. sqq. — 2) Cf. Nieb. p. 80. — 3) Cf. Cic. *de Rep.* 2, 10.

397. Tametsi negari nequit, quin ad mores mitigandos non levem vim habuerit ordinata per Numam religio (§. 280.), cum alias, tum auguriis atque auspiciis, quorum initia ab Romuli regno ducuntur. Numæ autem instituta tuentes, qui secuti Reges, ad ornandam juxta atque augendam civitatem omnes multum, plurimum Tarquinius Priscus et Servius Tullius contulere. Mansit tamen, etiam post exactos Reges, a litteris artibusque aliena Romanorum indoles, et necesse fuit manere in populo et paupere et cum pauperibus, neque, si Etruscos excipias, magis excultis, perpetuo armis certante. Sed huic ingenii asperitati conjunctæ, quas vulgo mirantur priscorum Romanorum virtutes: frugalitas, quam paupertas suadere debuit, et, ab utraque pendentes, morum severitas, omnique in vitæ cultu simplicitas; tum bellica, inter hostes acerrimos crescentibus necessaria, fortitudo, severa disciplina, invicta constantia, virtus romana, laboris patientia, perpetua exercitatione parata belli peritia, denique in parentes deosque pietas, justitiæ, et cuncta superans florentis patriæ amor.

398. Quibus virtutibus quid mirum rem Romanam in majus auctam esse? At eximie insuper urbis fortunam provexere rara felicitate conspirantes causæ. Nam ut nascentem ipsa tenuitas paupertasque, a potentioribus vicinis contemtæ, defenderunt, et audacia super parvos facile extulit, ita Regum par domi militiæque virtus sapientibus institutis firmavit. Contigit enim Romanis, quod nescio an nulli populorum, ut, quum ultra ducentos quadraginta annos sub Regibus egerint, excepta postremi in cives libidine, neminem non egregium habuerint. Accedebat non leve ad futuram magnitudinem, quod minutis quidem et egenis,

sed bellicosis gentibus cincti, victores fere, nec tamen nimis celeriter crescebant, nec parta ex victoriis opulentia mores corrumpebat. Sic postea, infracto etiam robore, cum majoribus congressi gentibus, numero impares, virtute, constantia, patriæ et libertatis amore superiores extitere. Nam Regum in moderanda civitate excellentiam compensavit acrius emicans, semel exosa tyrannide, libertatis amor, quo, etsi initio Porsenæ opibus fracti, amissa brevi recuperantes, deinceps, nec obstante vehementi ordinum certamine, perpetuo creverunt. Scilicet, integris moribus, interna dissidia vires in exteros acuebant magis quam frangebant, et, patriæ, quam omnibus præferebant, periclitante salute, discordiarum obliti, formidabiliores in hostem conjungebantur 1).

1) Cf. Flor. 1, 26, *Interque hæc omnia nullius acrior custos, quam libertatis fuit; nullaque in pretium ejus potuit largitione corrumpi*, etc.

399. Itaque Reges exactos tria sequuntur pulcherrima sæcula, virtutis morumque magnis exemplis fœcunda, queis singuli viri hodieque celebrantur, Brutus, Valerius Publicola, Quintius Cincinnatus, Decii, Manlius Torquatus, Camillus, Fabricius, Curius, Regulus, alii 1). Sed eorundem splendore capti recentiores plerique scriptores, Romanorum illius ætatis vitiis minus, quam decebat, offenduntur. In his eminet laudatæ frugalitati sane vehementer repugnans fœneratio, nunquam non in gravibus Romanorum vitiis, sed turpissima primis post Reges exactos temporibus, tumque plebejorum ordini, seriore autem provinciis exitiosa (§. 255.) Quam quidem olim intolerabiliorem reddebat, etsi lege permissa, infamis in obæratos crudelitas, eadem tamen asperrimos illius ætatis mores consideranti minus miranda. Ipsam vero hanc asperitatem exprobrare, atque in rudibus ingeniis ea desiderare, quæ cultis politisque

propria sunt, præposterum judicamus. Nam qui sic faciunt, non vident, se in Romanis culpare, quæ a summis illorum virtutibus separari nequeant. At merito aliis offendimur, velut patriciorum fastu, et in plebem, ut plurimum æquissima flagitantem, injuriis, aliarum gentium contemtu, victoriarum insolentia, triumphorum superbia, in victos etiam, quum e republica videretur, inclementia, et senatus insatiabili cuncta subigendi cupidine.

Sed hæc aliaque in Romanis reprehendenda intuentes recentiores nonnulli, in contrariam nimiis eorum laudatoribus culpam inciderunt, ut hi de vitiis, sic ipsi de virtutibus perperam judicantes. Nam nostra quidem ætate hoc quibusdam propositum fuisse dicamus, non, ut quales fuerint Romani, sed, ut pessimos hucusque prædicatos esse, docerent. Nos autem, si universe pronuntiandum, cum iis potius sentiamus, qui priscos illorum mores laude quam vituperatione digniores, multis etiam nominibus super omnes populos, quorum cum iis comparationem vetus historia concedat, mirandos fuisse existiment 2).

1) Cf. Hor. *Od.* 1, 12, Flor. 1, 18. — 2) Cf. Dionys. Hal. lib. 1.

400. Pulcherrima quæ diximus, secuta sunt triumphantis, dein per se ruentis Romæ sæcula 1), æmula Carthagine devicta, per Græciam, mox in Asiam quoque extento imperio. Nam devictarum gentium opibus ex insolentia citius corrupti, extremo libertatis tempore vix quidquam prisci moris integrum servabant 2), frustra obnitentibus, quos ea ætas tulit Catoni majori similes viros, legibus (§. 466.) luxum 3), avaritiam, ambitum, præcipua mala 4), coercere conantes, ipsis litterarum artiumque ad molliorem vitam illecebris nonnullos infensos (§. 417.) Igitur primores civitatis, provinciarum plerique vexatione spoliisque locupletati, opibusque, quantum olim patriæ

felicitati augendæ, intenti, ut tum contrariis virtutibus venerabiles, ita voluptatibus, gula, luxuria, mollitie, iniquitate turpes inveniuntur. Neque vero, pessimo horum exemplo, et contemta semel paupertate, quum in paucorum manibus divitiæ, honores et in republica potentia essent, in humilioribus caræ olim omnibus patriæ amor, neque, hoc extincto, cætera in plebe Romana prius laudanda, diu superare potuerunt; ac sane quantum primores, tantum plebs urbana a vetustis moribus discrepans vilisque cernitur, collecta maximam partem e provinciis otiosa multitudo, ærario et magistratuum largitionibus sustentata, turba forensis 5), novarum rerum studiosa et factionum ducibus vendita, omnino cum principibus de evertenda republica certans 6). De qua Romanorum corruptione multa et bene recentiores; sed ante omnes ipsorum scriptores audiendi 7). Extinctam libertatem excepit teterrima Cæsarum ætas, a Suetonio, Tacito, Juvenale, Martiale expressa, haud minus turpitudine, quam antiquiora Romæ tempora virtute et gloria, insignis.

1) Cf. Flor. 1, 1, 2, 19 et 22. — 2) Cf. Cic. *de Rep.* 5, 1, Tacit. *Ann.* 1, 4. — 3) V. *Gell.* 2, 24. Cf. Tac. *Ann.* 3, 52. sqq. — 4) Cf. Flor. 3, 12, hic solito tumidiorem. — 5) Cf. Liv. 9, 46. — 6) Cf. Tac. *Hist.* 2, 38. — 7) Cf. Livii præfatio, inprimis Sallustii Bellum Cat. et Jug., Cic. *de Rep.* 5, Flor. 1, 18 et 22, 3, 12.

DE LITTERARUM APUD ROMANOS CULTU.

401. Quod vulgo ajunt, litterarum artiumque contemtu morum asperitatem conjungi, eademque his degenerantibus, illis colendis initia esse, id nullo lucidius quam Romanorum exemplo adparet. Etenim, quamdiu, pro libertate magis quam de imperio pugnantibus, morum castitas severe custodita, ab litterarum artiumque cultu alieni manserunt, post Græciam Asiamque devictas ab utrisque

molliores mores cum divitiarum et luxuriæ amore, a Græcis maxime, consuetas illarum comites, litteras artesque retulerunt: *Græcia capta ferum victorem cepit, et artes intulit agresti Latio* 1).

Igitur ad sextum U. C. sæculum exigua Romanis, quamvis cultiores inter populos, Etruscos Græcosque, crescentibus, litterarum cultura: quam tamen ne prorsus nullam fuisse credamus, antiquiora vetant memorata scriptoribus monumenta, commentarii Regum 2), Pontificum annales, XII Tabulæ, etc. (§. 261 et 318.) Jurisprudentiam quoque (§. 271 et 421.) mature et magno studio coluerunt 3); nec vero poemata, nec, præter pontificios annales, historici prorsus defuerunt. Sed inter latine scribentes sexto demum sæculo inclaruit Q. Fabius Pictor; antiquiores memorantur, qui græce scripserint.

1) Ad Horatii millies repetitum nos, aliud agentes: Evehit ad summum, quod tentat, Græcia felix: victorem Romam musa secuta ferum. — 2) Cf. Cic. *p. C. Rab.* 5. — 3) Cf. Hein. *Hist. J. R.* §. 112. seqq.

402. Nempe hinc conjicias, linguam Latinam ad illa tempora rudem horridamque mansisse, idque non obscure testantur e XII Tabulis aliaque fragmenta; quo trahenda carmen Fratrum Arvalium (§. 323.), carmen Saliare (§. 326.), Columna Rostrata (§. 426.). Eadem vero, ut duram sane atque agrestem, sic, non aliam prorsus et origine 1) diversam nascentis Romæ, quam seriore ævo, linguam fuisse, arguunt. Sunt tamen, qui Latinam a Romana distinguant: illam inter Tiberim et Lirim, Romæ etiam antiquitus obtinuisse 2); Romanam paulo post Reges exactos introductam 3); Latina tamen duodecim Tabulas compositas. Quorum rationibus parum movemur, nec vero ipsis, quid velint, liquido adparere, existimamus. Dialectos quoque linguæ Latinæ, rusticam, urbanam et peregrinam

statuunt; neque mirum, si, quod in omnibus, in illa inveniatur. Sed dialectos cum pronuntiatione confundunt Ciceronis (*de Orat.* II, 10–14.) hic loco abutentes.

1) Alia scilicet formæ diversitas, de qua insignis locus Polyb. 3, 22. Cf. Hor. *Ep.* 2, 1, 86. — 2) Cf. Ruperti *Grundr. d. Gesch.* — *d. Rœmer* p. 800. — 3) Unde autem, et cur introductam fingamus? A novis Romæ incolis, an a mutata totius Latii lingua, anne, si diis placet, a fabula Atellana (§. 353.), ab Oscis petita, in qua, ipsa gente extincta, Osci sermonis vestigia Romæ servata; unde Strabo l. 5, *τῶν μὲν γὰρ Ὄσκων ἐκλελοιπότων, ἡ διάλεκτος μένει παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις*, etc. Cf. Guil. a Schlegel *Vorless.* v. 2. Vorles. 8. Sed interroganti quis, in quo acquiescas, responderit?

403. De origine autem, desperanda quæstio cernitur, a cujus potissimum gentis lingua Latina sit derivanda, sparsis antiquissimo tempore per Italiam variarum nationum coloniis (cf. Niebuhr et Wachsmuth), in inferiore et media etiam inter græce loquentes Pelasgis, quos eosdem cum Celtis, nonnulli cum Aboriginibus quoque eosdem putavere; accedentibus in Sicilia Carthaginiensibus, in superiore autem Italia Gallorum stirpibus. Tot enim nationum, lingua discrepantium, frequentibus, quas scriptores testantur, migrationibus et commistione, necesse quodammodo fuit id accidere, quod multis historiæ indiciis colligitur, scilicet, atque in media maxime Italia, ideoque in Latio, linguam existere mixtam 1), sed in qua numerosioris gentis, Græcorum, prævalèret 2); sicut seriore utique ævo in Romanorum sermone evenisse reperimus, quam a Græco, Æolica præsertim dialecto, deduci, res est a philologis abunde demonstrata. Nec vero hoc admittendum putamus, aut Romanam a Latina, quam fingunt 3), aut alterutram a Græca vocabulorum etymis initio prorsus diversam, post similiorem esse factam; quod consentaneum est statuere

eos, qui Romanam ab Ausonum, antiquissimæ inferioris Italiæ gentis, lingua derivant.

1) Cf. Lyd. *de magistrr.* 2, 13. — 2) Ab Etruscis nonnisi singula vocabula latinis mista censet Lassen (*Beitræge z. Deutung d. Eugubin.* Tafeln, in *Rhein. Mus.* 1. Jahrg., 3. H., 1833.) Idem, latinam adeo esse sororibus (*verschwisterten*) linguis intime cognatam, ut omnium e communi fonte origo integro cuivis investigatori manifesto satis adpareat; manere tamen formas quasdam et radices, quæ illi cognationi repugnent, etc. Ubi pro *verschwistert* aliud malles. — 3) Hugo *Gesch. d. Ræm. Rechts* §. 34. p. 38: — *die Ræmische Sprache war nicht einmal dem Nahmen nach von der Lateinischen verschieden.*

404. Igitur lingua Latina, si verborum respiciamus originem, longe maximam partem Græca, hucusque asperior, sæculo sexto molliores quoque formas et aptiorem venustis litteris habitum a Græcorum scriptorum imitatione mutuata est; quo tempore qualis fuerit, præter Catonis, Ennii, Lucilii, aliorumque auctorum reliquias, Plauti, et dictione jam multo elegantiores Terentii comœdiæ declarant. Sic per duo sæcula, primo a poetis maxime et eloquentia forensi, post ab historicis quoque gravioribus exculta et ditata (cf. Hor. *A. P.* 56.), simul grammaticorum scriptis castigata, extremis demum libertatis temporibus summum, quo pervenit, perfectionis gradum attingens, etsi in quibusdam inferior, ad Græci sermonis excellentiam proxime accessisse æquis judicibus videtur; nec audiendi sunt Latinam linguam, quod hodie usu venit, inepte deprimentes, quo Græcam impensius mirentur.

405. Idem vero de scriptoribus Romanorum judicandum, in quibus acerrimum cum Græcis, tum antiquioribus tum Alexandrinis, certamen, neque servilem ubique imitationem, sed in multis proprias grandioris indolis ingeniique dotes, præsertim in historicis agnoscimus; nec, quod Græcis inventionis laus debetur, ideo non magni

æstimandi sunt exemplarium excellentiam assequentes, interdum superantes. Quo nomine vulgo Homero comparant Virgilium; in lyricis et elegiacis vix comparationem concedit Græcorum, quos Catullus, Horatius, Propertius, alii imitati sunt, jactura; et satira propria est Romanorum. In oratoribus Demostheni Ciceronem, in historicis Herodoto Livium, Thucydidi Sallustium et Tacitum opponunt. Nam, si philosophiam excipias, nec pari amore a Romanis nec successu cultam, de omni litterarum humaniorum genere recte pronunties, nihil intentatum reliquisse, ut eam, quam in Græcis mirarentur, præstantiam attingerent.

Cæterum pervulgata est litterarum Latinarum in auream, argenteam, æream et ferream, in puerilem, juvenilem, virilem et senilem ætates divisio, ad linguam perinde atque scriptores pertinens, quippe cum horum ingenio labente illius castitate et nitore. Aurea, nisi malis antiquiora addere, a Ciceronis maxime ævo incipiens per Augusti principatum, ærea a sæculo tertio ad Urbem captam vulgo extenditur: posteriora sunt ferreæ, cui luteam nonnulli jungunt, per medium, ut vocant, ævum ad renatas litteras patentem.

406. Scriptorum in Græcis imitandis postremo libertatis sæculo ardori par principum civitatis virorum in litteris fovendis atque honorandis liberalitas; unde multi, Ciceronis exemplo, aut a negotiis remissionem, aut rerum publicarum tædio et adversis refugium quærebant. Quo frequentius Romam undique, sed e Græcia præsertim, litterati homines, grammatici, rhetores, philosophi, confluebant. Ita fieri non potuit, quin vulgaris inter eruditos esset linguæ Græcæ cognitio, et paulatim latius vigeret litterarum amor, dubito tamen, an unquam Romæ tam per omnes civium classes, quam in Græcia imprimisque Athenis, diffusus.

407. Sed illud, a nostro more diversum, utrisque commune; quod neque facultates, quas vocamus, noverant, neque ad publica munera impetranda litteris disciplinisque studebant, neque omnino ad vitam sustentandam; nisi quod numerosa grammaticorum turba, puerorum institutioni in divitum domibus vacantes, aut publice litteras docentes, qui vulgo litterati, litteratores 1), sub Cæsaribus professores quoque adpellati. Hi igitur non modo linguæ utriusque elementa, et declamationis artem, sed eloquentiæ etiam et poesis præcepta, accedente præstantium auctorum interpretatione, ac prorsus ea tradebant, quæ, liberalium sive bonarum artium et humanitatis nomine comprehensa, liberalis ingenuoque dignæ institutionis censebantur. Neque vero pueri tantum aut adolescentuli his operam dabant, sed viri quoque prudentissimi non dedignabantur. Quare et magno in honore plerique erant litterarum illi et eloquentiæ magistri, e quibus primum Romæ docuisse fertur, missus ab Attalo Rege legatus, Crates Mallotes 2). Post inter celebres fuit Plotius. Sub Cæsaribus usque crescente grammaticorum numero, multi ut, urbem relinquere coacti, per Italiam superiorem digrederentur, simul multiplicatæ sunt scholæ publicæ, ludi, pergulæ magistrales 3), sensimque cuncta Græcorum litteraria instituta ususque, veluti eloquentiæ et poesis certamina, recitationes publicæ 4), doctorum colloquia, et quæ sunt ejusmodi, apud Romanos ad eorum exemplar introducta reperiuntur. In scholis autem publicis seriore tempore celebratum ab Adriano conditum Athenæum (schola Romana.) Simile in Capitolio memoratur; et templa vulgo scholis frequentata 5).

1) Cf. Suet. *de ill. Gramm.* 4. — 2) Suet. *de ill. Gramm.* 4, *Primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticæ in urbem intulit Cra-*

tes Mollotes, Aristarchi æqualis, qui plurimas ἀκροάσεις subinde fecit, assidueque disseruit; ac nostris exemplo fuit ad imitandum. Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent, ac legendo commentandoque etiam cæteris nota facerent. — 3) Cf. Suet. *Aug.* 94, Juven. 11, 137. — 4) Cf. Hor. *Ep.* 1, 19, 41, Plin. *Ep.* 1, 13, Juven. *Sat.* 1. init., 7, 39. — 5) Cf. Heeren, *Gesch. d. Stud. d. class. Litter. im Mittelalter*, l. 1. §. 16. sqq., ibiq. e *Codice Theod.* circa Scholas publicas a Principibus constituta.

408. Nec vero bibliothecæ privatæ aut publicæ deerant. Privata Romæ prima memoratur Æmilii Pauli (a. 585.) Posterius Apelliconis magnam librorum copiam Athenis attulit Sylla, insigniorem ex Asia Lucullus; paulatimque mos obtinuit, in spatiosis ædibus partem bibliothecæ, ad Orientem fere, destinari. In publicis vero Romæ primam Asinius Pollio 1) in atrio templi Libertatis, mox celeberrimam Augustus Latinam Græcamque ad templum Apollinis Palatini, aliam ad theatrum Marcelli publicavit 2). Plures insuper memorantur sub Cæsaribus additæ, in quibus Ulpia, a Trajano fundata, et, quam Gordiano juniori Serenus Sammonicus testamento reliquit 3).

Hucusque de litterarum cultu dictis earundem per genera, et in singulis auctorum distinctionem, ac deinceps brevissima adumbratione illa adjicimus, quæ archæologiæ litterariæ nomine a nonnullis comprehensa, ad litteras sive elementa, scripturæ rationem et instrumenta, librorum formam et ornatum, ad codices item manuscriptos, ad numos eorumque et monumentorum inscriptiones, omnino ad rem litterariam referuntur.

1) Cf. Plin. 7, 30, 35, 2, Hor. *Sat.* 1, 4, 21, Ovid. *Trist.* 3, 1, 71. — 2) Cf. Suet. *Aug.* 29, *Cæs.* 44, Hor. *Ep.* 1, 3, 16, 2, 1, 216, Ovid. *Trist.* 3, 1, 60 et 69. — 3) V. Heeren, *Gesch. d. Stud. d. class. Litter.*, introduct. p. 15. sqq.

LITTERARUM ET SCRIPTORUM DISTINCTIO.

POESIS.

409. Prima poesis Romanorum, ut auctorum testimonio constat, quemadmodum Græcorum aliarumque gentium, sacra fuit, religioni, ut carmen Saliare, et oracula Sibyllina, aliaque, inserviens, deorum heroumque laudes celebrans 1), sive quis epicam illam poetices magister, sive lyricam, sive ex utroque mixtam fingere mavult. Scoliorum genus cum Fr. Ast 2) facere possis clarorum virorum virtutes inter epulas a convivis ad tibicinem cantatas 3). Sexto demum sæculo, Livii Andronici, a. 512. 4) florentis, exemplum secuti, non pauci (§. 353.) dramaticum genus, sive tragicum sive comicum, coluerunt 5). In illis Plautus et Terentius; reliquorum aut nihil aut fragmenta quædam, e Cæsarum vero ætate L. Annei Senecæ tragœdiæ supersunt. Comici generis peculiaris species mimi 6), queis magnam laudem adepti P. Syrus, cujus sententiæ, et D. Laberius, cujus fragmenta perpauca supersunt 7).

Epicæ poesis, ut sacræ, antiquiora interierunt 8). Sexto sæculo claruit Ennius, in vario genere poeta, epico Scipionis Africani res gestas et historiæ Romanæ annales persecutus. Hujus fragmenta; ex aurea autem ætate solus superstes epicorum Romanorum princeps Virgilius; in reliquis Lucanus, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Statius, et æreæ ætatis Claudianus.

1) Cf. Cic. *T. D.* 1, 1 et 2, *de Divin.* 1, 40, Liv. 25, 12, Hor. *Ep.* 2, 1, 26. — 2) *Grundr. d. Philologie*, p. 414. — 3) V. Cic. *T. D.* 1, 2. — 4) Cf. Cic. *Brut.* 18. — 5) Cf. Hor. *Ep.* 2, 1, Gell. 15, 24. — 6) Cf. Ovid. *Trist.* 2, 497.— 7) Cf. Macrob. *Saturn.* 2, 7, Hor. *Sat.* 1, 10, 6, Gell. 16, 7. — 8) Epicam poesin, unde Livii de primis Romæ sæculis narrata pendeant, finxit Niebuhr.

410. Serius epico et dramatico excultum didacticum genus, cujus supersunt Lucretius (§. 417.), Virgilii *Geor-*

gica, Manilii *Astronomicon,* Gratii Falisci et e sæculo tertio Olympii Nemesiani *Cynegetica,* ejusdem de *Aucupio,* et posterioris Sereni Sammonici *de Morbis* et *Morborum Remediis,* aliaque medici argumenti carmina aut carminum fragmenta; nec non ad didactica trahendus Terentiani Mauri *de litteris, syllabis, pedibus et metris* libellus, et operis parte Columella et Palladius (§. 419.) In satirica poesi (§. 353.) Horatio multo antiquiores Ennius, Pacuvius, et, vulgo satiræ parens adpellatus, Lucilius 1), cujus fragmenta supersunt; argenteæ ætatis Persius et Juvenalis, itemque Sulpiciæ satira. Epistolæ poeticæ exempla præbent Horatius, Ausonius, Ovidius, singularis idem generis, Propertio tentati, *heroidum,* auctor, e quibus nonnullæ Aulo Sabino tribuuntur. Ad descriptionem et narrationem, ut vocant, poeticam parte referendi Catullus, Ovidius, Statius, nec non Petronii (§. 413.) quædam, ejus *Satyrico* inserta, et e seriore ætate Claudianus; e cæteris vero ex aurea ætate Cornelio Severo inter alios adscripta *Ætna,* ex æréa Rutilii *Itinerarium.* Lyrici generis longe princeps Horatius; ad idem referenda quædam Catulli et Statii; e cæteris Catullo male, verius certe Floro, historico, tributum *pervigilium Veneris.* Elegiaci ex parte Catullus et Ovidius; aureæ præterea ætatis supersunt Tibullus et Propertius; spuriæ censentur quæ Cornelii Galli feruntur reliquiæ. Bucolici generis Virgilii, et ex æerea ætate Culpurnii et Nemesiani eclogæ; epigrammatici superat Martialis; ex parte eo trahendi Catullus, Ausonius et Claudianus. Fabularum auctorum superstites Phædrus, et æreæ ætatis Avianus. Moralis argumenti sunt Dionysii Catonis ex argentea ætate disticha. Ad detestationes referendæ Valerii Catonis, Sullæ æqualis, *Diræ in Battarum;* quibus argumenti ratione conjungendus Ovidii *Ibis.* Panegyrici

LITTERARUM ET SCRIPTORUM DISTINCTIO.

POESIS.

409. Prima poesis Romanorum, ut auctorum testimonio constat, quemadmodum Græcorum aliarumque gentium, sacra fuit, religioni, ut carmen Saliare, et oracula Sibyllina, aliaque, inserviens, deorum heroumque laudes celebrans 1), sive quis epicam illam poetices magister, sive lyricam, sive ex utroque mixtam fingere mavult. Scoliorum genus cum Fr. Ast 2) facere possis clarorum virorum virtutes inter epulas a convivis ad tibicinem cantatas 3). Sexto demum sæculo, Livii Andronici, a. 512. 4) florentis, exemplum secuti, non pauci (§. 353.) dramaticum genus, sive tragicum sive comicum, coluerunt 5). In illis Plautus et Terentius; reliquorum aut nihil aut fragmenta quædam, e Cæsarum vero ætate L. Annei Senecæ tragœdiæ supersunt. Comici generis peculiaris species mimi 6), queis magnam laudem adepti P. Syrus, cujus sententiæ, et D. Laberius, cujus fragmenta perpauca supersunt 7).

Epicæ poesis, ut sacræ, antiquiora interierunt 8). Sexto sæculo claruit Ennius, in vario genere poeta, epico Scipionis Africani res gestas et historiæ Romanæ annales persecutus. Hujus fragmenta; ex aurea autem ætate solus superstes epicorum Romanorum princeps Virgilius; in reliquis Lucanus, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Statius, et æreæ ætatis Claudianus.

1) Cf. Cic. *T. D.* 1, 1 et 2, *de Divin.* 1, 40, Liv. 25, 12, Hor. *Ep.* 2, 1, 26. — 2) *Grundr. d. Philologie*, p. 414. — 3) V. Cic. *T. D.* 1, 2. — 4) Cf. Cic. *Brut.* 18. — 5) Cf. Hor. *Ep.* 2, 1, Gell. 15, 24. — 6) Cf. Ovid. *Trist.* 2, 497. — 7) Cf. Macrob. *Saturn.* 2, 7, Hor. *Sat.* 1, 10, 6, Gell. 16, 7. — 8) Epicam poesin, unde Livii de primis Romæ sæculis narrata pendeant, finxit Niebuhr.

410. Serius epico et dramatico excultum didacticum genus, cujus supersunt Lucretius (§. 417.), Virgilii *Geor-*

gica, Manilii *Astronomicon,* Gratii Falisci et e sæculo tertio Olympii Nemesiani *Cynegetica,* ejusdem de *Aucupio,* et posterioris Sereni Sammonici *de Morbis* et *Morborum Remediis*, aliaque medici argumenti carmina aut carminum fragmenta; nec non ad didactica trahendus Terentiani Mauri *de litteris, syllabis, pedibus et metris* libellus, et operis parte Columella et Palladius (§. 419.) In satirica poesi (§. 353.) Horatio multo antiquiores Ennius, Pacuvius, et, vulgo satiræ parens adpellatus, Lucilius 1), cujus fragmenta supersunt; argenteæ ætatis Persius et Juvenalis, itemque Sulpiciæ satira. Epistolæ poeticæ exempla præbent Horatius, Ausonius, Ovidius, singularis idem generis, Propertio tentati, *heroidum,* auctor, e quibus nonnullæ Aulo Sabino tribuuntur. Ad descriptionem et narrationem, ut vocant, poeticam parte referendi Catullus, Ovidius, Statius, nec non Petronii (§. 413.) quædam, ejus *Satyrico* inserta, et e seriore ætate Claudianus; e cæteris vero ex aurea ætate Cornelio Severo inter alios adscripta *Ætna,* ex ærea Rutilii *Itinerarium.* Lyrici generis longe princeps Horatius; ad idem referenda quædam Catulli et Statii; e cæteris Catullo male, verius certe Floro, historico, tributum *pervigilium Veneris.* Elegiaci ex parte Catullus et Ovidius; aureæ præterea ætatis supersunt Tibullus et Propertius; spuriæ censentur quæ Cornelii Galli feruntur reliquiæ. Bucolici generis Virgilii, et ex ærea ætate Culpurnii et Nemesiani eclogæ; epigrammatici superat Martialis; ex parte eo trahendi Catullus, Ausonius et Claudianus. Fabularum auctorum superstites Phædrus, et æreæ ætatis Avianus. Moralis argumenti sunt Dionysii Catonis ex argentea ætate disticha. Ad detestationes referendæ Valerii Catonis, Sullæ æqualis, *Diræ in Battarum;* quibus argumenti ratione conjungendus Ovidii *Ibis.* Panegyrici

generis, Lucano vulgo, sed temere adscriptum, carmen *ad Calpurnium Pisonem*. Epigrammata aliaque poematia, in iisque catalecta Virgilii, diversorum auctorum, partim anonyma, quædam florentis, pleraque labentis jacentisque latinitatis, post Jos. Scaligerum aliosque collecta auctaque P. Burmann, post Burmannum Wernsdorfius edidit. Sunt etiam, qui solutæ orationi ligatam misceant, quo trahendi Sidonius Apollinaris, et Boethii liber *de consolatione philosophiæ*. Idem Sidonius cum Lactantio (§. 416.) et Boethio ad poetas christianos referendi, queis Ausonium quoque adnumerant. Argumento magis christiani Aurelius Prudentius, Claudius Marius Victor, Alcimus Avitus, Juvencius, Cœlius Sedulius, Arator, Venantius Fortunatus, Paulinus, alii, quos cum illis conjunctos edidit Fabricius 2).

1) Cf. Hor. *Sat.* 1, 4, 6, 1, 10, et 2, 1, 62. — 2) *Poetarum veterum ecclesiasticorum opera christiana*. Basileæ 1564.

HISTORIA.

411. Cum historia non confundenda, quæ hanc fere antecedunt, mythica, et patria facta celebrans poësis; neque nuda rerum singularum per dies annosque notitia, sive fasti (§. 334.) et annales, quales apud Romanos, et in iis, velut Nævii et Ennii, versibus conscripti memorantur; eorumque conficiendorum curam Pontifici Maximo antiquitus mandatam esse supra diximus (§. 318.) Historicis Latinis jam adnumerandus Fabius Pictor, a Livio aliisque laudatus. Inter posteriores Posthumius Albinus, Cassius Hemina, C. Fannius, Calpurnius Piso, Vennonius, Volumnius, Claudius Quadrigarius, Valerius Antias, Cœlius Antipater, Cornelius Sisenna, Porcius Cato, cujus ex *Originibus* fragmenta superant, cum aliorum reliquiis non semel vulgata. His omnibus posteriores, quorum opera

supersunt : e quibus longe plures historiam Romanorum, alii ad sua tempora, alii selecta tractaverunt; in illis Livius copiose, compendio Vellejus Paterculus, Florus, Eutropius; nec alio trahendum Sexti Rufi Festi *Breviarium*. Alterius generis Sallustii *Bellum Jugurthinum* et *Catilinarium*, Cæsaris *Bellum Gallicum* et *Civile*, Hirtii *Bellum Alexandrinum*, *Africanum*, *Hispaniense*. Ad Cæsarum historiam referendi Tacitus, Aurelius Victor, Ammianus Marcellinus, et, qui *Historiæ Augustæ* scriptores vocantur, Ælius Spartianus (v. Æl. Lampridius), Julius Capitolinus, Trebellius Pollio, Flavius Vopiscus, Vulcatius Gallicanus. Cæsarum decem priorum vitas enarrat Suetonius. Historiæ universalis est Justini e Trogo Pompejo epitome, et Cornelii Nepotis, quas hodieque Æmilio Probo quidam vindicant, *Vitæ Imperatorum*. Alexandri res gestas Curtius Rufus, incertæ ætatis, Germanorum mores Tacitus composuit; idem, *Vitæ Agricolæ* auctor, eo nomine cum Nepote et Suetonio conjungendus. Brevissimam notitiam *de viris illustribus urbis Romæ* præbet libellus Aurelio Victori aliisque tributus. Singularis generis Valerii Maximi *Dictorum Factorumque Memorabilium* libri. Denique historiæ adnumeranda Messalæ Corvino falso adscriptus liber *de Augusti progenie*, Aur. Victoris *de Origine gentis Romanæ*, Ampelii *Liber Memorialis*, et quæ sunt præterea hujus ætatis levissima; seriorem non attingimus.

ORATORES, EPISTOLARUM SCRIPTORES, NARRATORES.

412. Eloquentia, præsertim forensis, cur Romæ vel primo libertatis tempore magni momenti existimaretur, causa fuit ipsa reipublicæ forma, patronatus et clientelæ nexus, et comitiorum ratio. Sed Græcorum studium imi-

tatioque, ut in reliquis litterarum partibus, serius accessit, nec ante Græcos Romæ eloquentiæ magistri (§. 412.) aut rari fuisse videntur. Iidem tamen, sophistarum præceptis severos etiamtum mores offendentes, initio tam parum probati, ut a. 662. iterum urbe pellerentur 1). E posterioris aliquanto ævi rhetoribus celebrati Plotius Gallus, Otacilius Pilitus, libertinus, Sextus Clodius, tum quoque potissimum vigente forensi et populari eloquentia, in qua clari oratores multi, nobis nomine et laude, non suis scriptis noti 2). Ciceronis excellentiam paulo antecesserunt Sulpicius, Cotta, et, quos ipse in libris *de Oratore* insigniter miratus, L. Crassus et M. Antonius; in æqualibus æmulum habuit Q. Hortensium. Sed neque ex illa, præter Ciceronis orationes, neque e Cæsarum bonæ latinitatis ætate quidquam superest, nisi Quintiliano, dubium an recte, attributæ *Declamationes*, et Plinii minoris *Panegyricus Trajani*; nam qui præterea exstant duodecim panegyrici, in quibus Claudii Mammertini majoris et minoris, Eumenii, Ausonii, æreæ ætatis sunt, quo Symmachus quoque fragmentis a Majo repertis referendus.

1) V. Suet. *de cl. Rhet.* init. — 2) V. Cicero *de Claris Oratoribus*, Vell. 2, 9.

413. Insignis pars litterarum Latinarum servatæ Ciceronis, Senecæ et Plinii junioris epistolæ, argumento diverso juxta gravissimæ. Plinianis ætate posteriores, quæ nuper cum aliis ejusdem scriptis repertæ Corn. Frontonis epistolæ; ex ærea Aur. Symmachi et Sidonii Apollinaris. Cæterum hoc litterarum genus tale est, ut ex omnibus minimum admittere videatur imitationem. Ex erotico autem, et *romantico*, ut recentiores adpellamus, genere, in quo constat Romanos Græca exemplaria imitatos esse, unæ supersunt Apuleji *Metamorphoses*; nisi quod non alio

referendum magis Petronii Arbitri, sub Nerone, vel, ut nonnullis placet, auctoris sub Commodo florentis *Satyricon.*

RHETORES, GRAMMATICI, ANTIQUARII, MYTHICI.

414. Linguam Latinam, vigente Romæ Græcarum studio litterarum, per patrios scriptores et grammaticos excultam, item latius patentem hujus vocabuli notionem supra attigimus (§. 404.) Grammaticis munere proximi, vulgo tamen ab iis distincti, eloquentiæ magistri, rhetores. Utrorumque magna in urbe multitudo, et plurimi utrasque disciplinas, ut par erat, scriptis, alii Græco, alii Latino sermone exposuerunt, de quibus hoc loco superstites memorandi.

Inter rhetores insignis est Cicero, cujus e scriptis huc referenda libri *de Inventione, de Oratore, Orator,* alia. Ciceroni æqualis habetur auctor *Rhetoricorum* ad Herennium. Eidem proximus ætate M. Annæus Seneca, huic Quintilianus. Senecæ supersunt *Suasoriæ, Controversiæ,* et excerpta *Controversiarum;* Quintiliani hic ponendæ, præstantissimum opus, *Institutiones Oratoriæ.* Julii Severiani, sæculi quinti, Harlesius facit librum *de arte dicendi,* Celso perperam tributum. Argumento ad rhetores trahendus, quem alii Quintiliano, alii Tacito vindicarunt, *de causis corruptæ eloquentiæ* dialogus. Sæculi quarti Maximi Victorini *expositio* in *libros Ciceronis de inventione.*

415. In grammaticorum scriptis distinguendi commentarii in veteres auctores. Ex eo genere Asconii Pediani in Ciceronis orationes, Acronis et Porphyrionis in Horatium, ex ærea ætate Ælii Donati, variarum quoque commentationum grammaticarum auctoris, in Terentium, Servii, et

Tiberii Donati in Virgilium, Macrobii in Ciceronis *Somnium Scipionis* commentarii scholiave supersunt. In cæteris Grammaticis ex aurea ætate servata pars Varronis *de Lingua Latina* librorum. Paulo posteriores Varrone Rhemnius Fannius Palæmon, cujus sub nomine *Ars Grammatica*, etc., Valerius probus, cujus feruntur superstites *grammaticarum institutionum* libri II, et Verrius Flaccus, cujus *de Verborum Significatione* operis compendium exstat a Pompejo Festo sæculo quarto compositum. Ex ærea pariter ætate Nonii Marcelli *Doctrina de Proprietate Sermonum*, Diomedis *de Oratione*, *Orationis Partibus et Vario Poematum Genere* commentationes; Charisii *Institutiones Grammaticæ*, et Prisciani *Commentarii Grammatici*, prolixum de linguæ elementis opus.

Antiquariis potissimum adscribendi Aulus Gellius, sæculi secundi, cujus *Noctes Atticæ*, Censorinus, sæculi tertii, cujus *de Die Natali*, Macrobius, sæculi quinti, cujus, præter commentarium in *Somnium Scipionis*, *Saturnaliorum* libri supersunt, variæ eruditionis, et utilissima antiquitatis studiosis opera. His adjicimus Marciani Capellæ *de Septem Artibus Liberalibus* opus.

416. Indigenam et antiquissimam Italorum, atque adeo Romanorum, ut vocamus, mythologiam qui scriptis exposuerit, vix quisquam memoretur, utique nemo superstes; et necesse fuit, confusa pridem Græcorum cum Romanorum religione (§. 280.), horum mythicos omnia fere e Græcis fontibus haurire, certe a Græcis parum discrepare. Sed ex his quoque scriptoribus vetustiores periere. Inter superantes ætate primus Julius Hyginus, sub Augusto florens grammaticus, dubitantibus tatem criticis, an junioris potius Hygini illius nomen ferentes *Fabularum* libri et *Poeticon Astrono-*

micon. Multo posteriores Planciades Fulgentius, cujus *Mythologiarum* libri, et Luctatius sive Lactantius Placidus, cujus *Argumenta* Ovidii *Matamorphoseon* exstant, utrique sæculi sexti. Sæculi decimi tertii libellus Albrici philosophi *de Deorum Imaginibus*. E Christianis scriptoribus præterea huc referendæ Lactantii Firmiani *Divinæ Institutiones* et alia, Arnobii *adversus Gentes* libri VII, Firmici Materni *de Errore profanarum religionum*, et e sæculo tertio Minucii felicis dialogus *Octavius*.

DISCIPLINÆ.

417. Disciplinæ, quas proprie vocamus, si jurisprudentia excipiatur, minori ardore quam litteræ sive humaniora, cæterum, his labentibus, impensius, quam stante republica, cultæ a Romanis inveniuntur. Nos singulas cum scriptoribus hac notitia comprehendimus.

Philosophiæ, antea Romanis vix tentatæ 1), studium a Græcis philosophis vulgo repetitur, qui sexto sæculo, legati Romam missi, disciplinam suam ibi docuere. In his Carneades, Novæ Academiæ addictus rationi, eloquentiæ laudem doctrinæ conjungens, præcipue probatus; sed, adnitente Catone majore, tanquam moribus et reipublicæ perniciosi, in Græciam remissi sunt. Nec lætiorem sortem serius experti philosophi Græci, simul cum rhetoribus urbe pulsi, quamvis paulatim latius vigente philosophiæ apud principes quoque viros amore, inter quos Scipio Africanus minor 2), Lælius, Lucullus, alii memorantur; ita tamen ut Græca repeterent magis, quam nova proferrent, qui scriptis eam, sive durante libertate sive sub Cæsaribus, coluere. Ex his paucissimorum nobis opera servata, inter quos Lucretius poemate *de rerum natura* Epicuri rationem expressit, Cicero, veteri Academiæ maxime adhærens, varias

persecutus disciplinæ partes (*de Natura Deorum, de Finibus bonorum et malorum, de Divinatione, de Legibus, de Officiis*, etc.), simul primus linguam latinam philosophiæ tractandæ feliciter adtemperavit. E Cæsarum ætate superant L. A. Senecæ, stoici, libri *de Ira, de Clementia, de Providentia, de Beneficiis*, alii, e sæculo secundo L. Apuleji *de Mundo, de Deo Socratis, de Habitudine Doctrinarum et Nativitate Platonis*. De Christianis scriptoribus autem hic nominandi Arnobius, Lactantius Firmianus, his posterior Augustinus, et sæculum sextum attingens Boethius (§. 410.) Ex parte item huc referendus Martianus Capella.

1) Cf. Cic. *T. D.* 1, 3, *philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum latinarum*, etc. — 2) Cf. Vell. 1, 13.

418. Mathematicas disciplinas nec contemsere Romani, nec insignem utilitatem ignorare potuerunt 1); sed usum, veluti in re militari et architectura, potissimum secuti, scientiam a Græcis acceptam parum provexerunt, pauci geographiæ et astronomiæ studio dediti.

Inter superstites scriptores, quos mathematicis vulgo, sed latius, quam hodie, extensa vocis significatione adnumerant, ad architecturam maxime pertinet Vitruvii Pollionis, sub Augusto florentis, celeberrimum *de Architectura* opus, et Julii Frontini e sæculo primo *de Aquæductibus* libellus; ad rem militarem ejusdem auctoris *Strategemata*, et ex ærea ætate Vegetii Renati *Institutiones Rei Militaris*, nec non aliorum, in quibus Hygini, gromatici, *de Castrametatione* et Modesti *de Vocabulis rei militaris* libelli vel fragmenta; ad rem agrariam Siculi Flacci, Aggeni Urbici, et quæ aliorum exiguæ superant reliquiæ (auctores rei agrimensoriæ.) Inter astrologos Hyginus (§. 416.), et Ciceroni æqualis Nigidius Figulus, cujus fragmenta supe-

rant. Ejusdem argumenti Firmici Materni (§. 416.) *libri Matheseos*. E poetis hic nominandus Manilius. Inter superantia Romanorum geographica scripta vetustissimum Pomponii Melæ, sæculi primi, de *Situ Orbis*. Sæculi quarti existimatur Vibii Sequestris *de Fluminibus, Fontibus, Lacubus*, etc. *quorum apud poetas mentio fit*, notitia. E scriptoribus alibi memoratis huc referendi Plinius major et Solinus. Cæterum hic adjicienda veniunt *Notitia Dignitatum Utriusque Imperii* (§. 230.), calendarii publici species; Sexti Rufi et P. Victoris topographiæ urbis Romæ; cosmographia Æthico temere adscripta, et Julii Honorii e cosmographia excerpta, item Ravennatis anonymi, qui sæculi VII. putatur, *geographiæ* libri quinque; *Itineraria* (cf. Cell. *Geogr. Ant.* l. I. c. I.), queis vel topographia Imperii Romani depicta, vel præcipuorum locorum per vias Imperii, et intervallorum indicatio continetur. Prioris generis *Tabula Peutingeriana*, Severo Imperatore (?), facta, posterioris *Antonini Augusti* vocatum *Itinerarium*, sed incerti serioris ævi auctoris. Denique hic addantur, quæ quo potissimum trahamus, non habemus, Cœlii Apicii *de arte coquinaria* libellus, et Rhemmii Palæmonis *de ponderibus et mensuris carmen*, utraque suspecti nominis.

1) Cf. Cic. *T. D.* 1, 2.

419. Ad historiam naturalem maxime pertinet primarii Romanorum ex eo genere scriptoris, C. Plinii majoris, sæculi primi, vastum atque encyclium, ex innumeris pæne auctoribus congestum opus. Plinii compendium exhibet Julii Solini *Polyhistor*, sive rerum memorabilium collectanea. Physices sunt L. A. Senecæ *Naturalium Quæstionum* libri VII. Rem rusticam inprimis amasse priscos Romanos, scriptis quoque multos illustrasse, supra dixi-

mus (§. 378.) Ex his superant Catoni, sexto urbis sæculo florenti, non satis certe adtributum, et Varronis, Ciceroni æqualis, *de Re Rustica* opusculum. Varrone posterior Columella, cujus librorum ultimus poema *de Cultu Hortorum*; Columella posterior Palladius Rutilius, cujus item ultimus liber *de Insitione* ligata oratione. E poetis ad agriculturam pertinent Virgilii *Georgica*.

420. Medendi artem Romæ Græci fere, et in his quoque servi maxime aut libertini, ab extrema libertate ingenui etiam exercebant, cum artis honore crescente medicorum numero, privilegiis etiam concessis, nec ipsis Romanis porro medicinæ studium dedignantibus. Inter superstites autem auctores præcipuus Cornelius Celsus, sub Augusto et Tiberio florens, e cujus encyclio opere servati *de Re Medica* libri VIII medicinam et chirurgiam complectentes. Celso æqualis Antonius Musa, Augusti libertus, cui fragmenta quædam falso tribuuntur. Paulo posterior Scribonius Largus, auctor opusculi *de Compositionibus Medicamentorum*. E compilantibus serioris ævi servatus Marcelli Empirici *de Medicamentis*, cui nonnulli carmen quoque de medicina (v. Burm. *Anthol.* v. 2. p. 389.) tribuere, et Vegetii Renati *de Re Veterinaria* liber. De poetis huc referendus Serenus Sammonicus.

421. In cæteris disciplinis Græcos imitantes magis et compilantes Romani, quam ab iis tradita aut augentes magnopere aut perficientes, in jurisprudentia nec imitati sunt, et longe præstitere. Jureconsulti autem, et antiquiore libertatis tempore, et inde ab extrema plurimi celebrati 1); in quibus Mucii Scævolæ plures, Trebatius Testa, et Servius Sulpicius, Ciceroni æquales, Alfenus Varus, Antistius Labeo, Nerva. A Tiberio inde distincti Sabiniani et Proculiani, illi auctore Atejo Capitone et Masurio Sabino, hi

Antistio Labeone et Sempronio Proculo 2). Posterioris Cæsarum ætatis Æmilius Macer, Callistratus, Marcianus, Hermogenianus, Cajus (Gajus), Paullus, Papinianus, Modestinus, Ulpianus, alii multi, quorum e scriptis congestæ Justiniani Pandectæ, paucæ præterea ad nos reliquiæ, in iis Caji, Paulli, Ulpiani, pervenerunt, nunc, repertis Caji *Institutionibus*, auctæ 3). De latinitate illorum jurisconsultorum, sæpe immerito contemta, rectius nostra ætate inter alios Hugo 4); critices, in historia et antiquitatibus, ratione severius de nonnullis judicat Dirksen 5). Præter jure consultorum scripta, argumento quædam ad jus referuntur, ut Valerii Probi *de interpretandis Romanorum Litteris*, Frontini *de agrorum qualitate*, *de controversiis*, *de coloniis* libelli. Alter jurisprudentiæ Romanæ fons legibus, in iisque XII Tab., senatusconsultis, edictis, quæ singula pauca, et Principum constitutionibus, quæ plurimæ supersunt (codicis Hermogeniani et Gregoriani fragmenta, codex Theodosianus, Justinianeus, Novellæ), continetur. Adjiciunt et alia, ut tabulas negotiorum solemnium, in rem suam trahentes juris auctores 6).

1) V. Pomp. *de Or. J.* §. 35. sqq. — 2) V. Hugo, *Lehrb. d. Gesch. d. r. R.* p. 615 et 638, ed. 8. Cf. Tac. *Ann.* 3, 75, Dirksen, *Versuche*, p. 228. Cf. Mackeldey §. 42-44, Macieiowski *Hist. Jur. Rom.* p. 201 et 211. — 3) V. Schultingii *Jurispr. Vet. Antejust.*, Heineccii, Bachii, Hugonis *Jur. Rom. historias.* — 4) P. 609. Cf. Macieiowski p. 141. — 5) *Versuche*, p. 203-33. — 6) V. Haub. *Institt. J. R. litter.* t. 1. pag. 270. 289.

LITTERÆ, SCRIPTURÆ RATIO.

422. Litterarum Latinarum, sive eædem cum Græcis, sive diversæ, quæ prima forma fuerit, sciri nequit; numerum constat minorem fuisse, adjectis, incertum, quo quæque tempore, litteris F, G, H, V, X, Y, Z: e quibus H signum aspirationis; G affine antiquiori C; X et Z (ξ, ζ),

ut Græcis, duplices consonantes (CS, DS); Y medium inter U et I; V et vocalium, ut volunt, I et O, et Græcorum digammatis vicem præstitit, cujus vim et mutatam figuram habet F. Quidam, R quoque et Q accessisse, docent, sive novo sono exprimendo, sive R ad S, Q ad C, duobus sonis olim una littera expressis 1). Orthographiam diu, nec parum variasse, et hinc intelligas, et numorum aliorumque monumentorum vel sæculi sexti inscriptiones cum in aliis id declarant, tum omissis litteris, quæ post iisdem in verbis adjectæ, aut additis, quæ post omissæ, quippe, ut conjicere licet, non pronuntiatæ. Ac vero proximum est, consonantes quasdam, in extrema voce, etsi nunquam omissas, tamen vulgo pronuntiari desiisse; quæ res non levem vim in constituenda syllabarum quantitate habuisse videtur.

Cæterum species litterarum, quatenus inscriptiones, et certius vetustissimi codices testantur, ea fere erat, quæ hodie in majoribus (litteræ unciales) servatur, dubito, per mediumne demum ævum, an multo ante in commodiores calami celeritati formas corrupta. Diversa est illa breviandi ratio, cui vel ante Ciceronis ætatem 2) signa, syllabis, aut sæpe recurrentibus verbis, aut phrasibus etiam indicandis, inventa esse constat; quo trahenda notæ, siglæ (§. 235.), alphabetum Tironianum, notæ Senecæ, notarii, ταχυγράφοι 3). Nec minus usitata vulgaris breviandi ratio, initia tantum aut præcipuas litteras exhibens (§. 425.)

1) De litteris a Claudio adjectis, nec post retentis, v. Tac. *Ann.* 11, 14, ibiq notam Lipsii. — 2) Cf. Cic. *ad Att.* 11, 9. Cf. Pignor. *de Serv.* p. 218, Gregorium *de scribendi genere διὰ σημείων* §. 3. sqq., in *Act. societ. lat. Jenens.* v. 2. p. 106. — 3) Cf. Sen. *Ep.* 90, *quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguæ manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Mart. 14, 208, *Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus.*

423. Materiem vero quod attinet, res ferebat, ut hodie, quædam in lapide, ære, aliisve metallis, aut in ligno (albo, tabulis) scribi. Privato magis usui antiquitus folia 1), et interior cortex (liber) arborum quarundam, post, præter alia, in quibus linum, unde libri lintei 2), papyrus 3) Ægyptius (βύβλος, papyrus, cyperus papyrus Linn.), charta Ægyptiaca, Niliaca 4), menbranæ (charta Pergamena, *parchemin*), et, enotando commodissimæ 5), tabulæ ligneæ cera obductæ, tabulæ, πίναξ, ceræ, pugillares 6). Posterioris multo usus charta bombycina; omnium novissima, qua hodie utimur, sæculo XIV (?) introducta 7).

Instrumentum scribentis, ut in duriore materia, sic in ceris, stylus (γλυφεῖον, γραφεῖον, graphium, Ovid. *Am.* 1, 11, 23.), altera parte acutus, litteris exarandis, sive incidendis, quæ propria vis verborum γράφειν et scribere, altera planus, delendo et lævigando; quo trahitur litura 8). Pingendis litteris penicillo, in membranis aliisque chartis vulgo calamo (δόναξ), Ægyptio maxime aut Gnidio 9), colore plerumque nigro, atramento librario 10), quo sepia quoque referenda 11), in titulis sæpe rubro, minio, rubrica 12), utebantur, qui medio ævo usitatissimus majoribus litteris, præsertim in capitum initio, pingendis, adhibitis aliis quoque et in iis auro et argento, sive ad litteras sive omnino ad paginarum ornatum. Rubri species encaustum, unde *inchiostro* et *encre* 13), documentis subscribendis ab Imperatoribus Orientis usurpatum. Vetustissima autem consuetudo chartas, firmitatis simul et nitoris gratia, pumice poliendi et cedro unguendi 14).

1) Cf. Virg. *Æn.* 3, 444. — 2) Liv. X, 43. — 3) Corticis sive libri

partes, schedæ, philyræ, glutino latiores in chartas conjungebantur; de quo, omninoque de papyri scribendo parandi arte, de varietate et dotibus v. Plin. 13, 12. Inter nobiliores quædam, vulgari hodieque adulatione, a Principum personis, ut Augusta, Liviana, nomen habebant. V. Plin. ib., qui de dotibus — *Præterea spectantur in chartis tenuitas, densitas, candor, lævor. — Primatum mutavit Claudius Cæsar-Nimia quippe Augustæ tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis; ad hoc transmittens litteras lituræ metum adferebat*, etc. — *Prælata omnibus Claudia: Augustæ in epistolis auctoritas: Liviana suam tenuit, cui nihil e prima erat, sed omnia e secunda.* Vilissima species emporetica, *quæ, inutilis*, ait Plinius, *scribendo, involucris chartarum segestriumque in mercibus usum præbet.* Inter recentiores cum aliis consulendæ Jos. Scaligeri *Animadvv. in Melch. Guilandini commentarium de papyro.* — 4) V. Theophr. *Hist. Plant.* 4, 9, Plin. 13, 11. — 5) Quint. 10, 3, — *scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi, nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quæ, ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguuntur calami, morantur manum et cogitationis impetum frangunt.* — 6) Cf. Plin. *Epist.* 1, 6. — 7) De materia scribendo, sæculo duodecimo usurpata, certe nota, memorabilis locus Petri Venerabilis *contra Judæos* (ap. Duchesne *Bibliotheca Clun.* p. 1069-70.), ubi — *cujusmodi librum — ex pellibus arietum, hircorum, vel vitulorum*, sive *ex biblis, vel juncis orientalium paludum, aut ex rasuris veterum pannorum*, etc. Quem locum adferens Heeren (*Gesch. d. Stud. d. class. Litter.*), idem, chartam bombycinam sæculo duodecimo per Occidentem Europæ diffusam adserit. — 8) Cf. Hor. *Sat.* 1, 10, 27, *A. P.* 293, Cic. *p. Arch.* 5, *Verr.* 2, 76. — 9) Cf. Plin. 16, 36. — 10) Cf. Vitruv. 7, 10, Plin. 27, 7, Ovid. *Am.* 1, 12. Cf. Stieglitz, *Archæol. Unterhalt.* p. 147. — 11) Pers. 3, 12,

Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.

— 12) Cf. Ovid. *Trist.* 1, 1, 7, Juven. 14, 192, Pers. 5, 90. — 13) Cf. *Cod. Just.* 1, 23, 6. — 14) Ovid. *Trist.* 1, 1,

Nec te purpureo velent vaccinia fuco.
Non est conveniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:
Candida nec nigra cornua fronte geras.
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes;
Hirsutus passis ut videare comis.

Cf. *Cat.* 1, 2, 22, 8, Tib. 3, 1, 10, Hor. *A. P.* 332, Pers. 1, 42, 3, 10..

424. Antiquissima librorum forma 1) volumen, singulis

chartis in unam conglutinatis, quo referendum protocollum 2), quæ cylindro ligneo, osseo, eburneo, extremis exstantibus, (quo trahuntur 3) cornua, umbilici, nigri, picti, ad umbilicum adducere 4), pervenire, geminæ frontes, etc.,) circumvoluta, tænia filove vinciebatur. Titulus interdum in fascia minoris formæ, volumini extra adhærenti, quo sunt qui referant pittacium 5). Neque tamen vel vetustiore tempore quadrata librorum forma prorsus inusitata, foliis loro aut filo ferreo conjunctis, quales δέλτοι, codices, codicilli, latercula (§. 237.), vocati. In his utrinque, unde Græcis ὀπισθόγραφα 6) dicuntur, in voluminibus fere in altera tantum pagina scribebant 7). Singularis species diptycha (δίπτυχοι) a geminis tabulis adpellata, quandoque pretiosa, ut eburnea, et insigniter decorata, qualia a magistratibus, munus ineuntibus, mos amicis donari 8). Hinc diptycha consularia, quæstoria, etc. (§. 189.) Scribæ aut describentes variis nominibus distincti, e quibus Græca καλλιγράφοι, ταχυγράφοι, χρυσογράφοι; Latina librarii, exceptores, notarii (v. §. 235.).

1) Cf. Ovid. l. c. Tib. 3, 1,

> *Lutea sed niveum involvat membrana libellum,*
> *Pumex et canas tondeat ante comas.*
> *Summaque prætexat tenuis fastigia chartæ,*
> *Indicet ut nomen littera facta tuum.*
> *Atque inter geminas pingantur cornua frontes.*

2) A κόλλα, glutine, nisi, cum J. Scal. (*animadv. ad Guil. comm.*, p. 50.), malis a κῶλον. Cf. interpretes, Cic. *ad Att.* 13, 25, ad *macrocola*, et Mart. *lectis vix tibi paginis duabus, spectas ἐσχατοκώλιον, Severe;* ubi varietas lectionis ἐσχατοκόλλιον. Idem 4, 91, 4, *summam schedam,* i. e. ultimam paginam, dixit. — 3) Cf. Ovid. et Tib. loc. citat. — 4) Hor. *Ep.* 14, 8. Cf. Mart. 4, 91, 2, *jam pervenimus usque ad umbilicos.* — 5) Cf. Hugo, *de prima scribendi origine*, p. 336. — 6) Cf. Plin. *Ep.* 3, 5, 17. — 7) Cf. Juven. 1, 6. — 8) Cf. Symm. *Ep.* 2, 80, 5, 54, *Cod. Theod.* 15, 9, 1 et 2.

INSCRIPTIONES.

425. Inscriptionum ex antiquitate Romana, quarum in ædificiis, sepulchris, aris, statuis, etc. solennis et frequens usus, hodieque immensa copia (lapides, saxa, marmora), et pars non exigua, in iisque maxime memorabiles, a multis auctoribus, inter quos Gruterus, Donius, Muratori, Marini, aut vulgatæ tantum, aut interpretatæ etiam inveniuntur; nec parva earum est litteraria, sive vetustioris linguæ sive styli (lapidaris), et multo major ad rempublicam, religionem, moresque illustranda utilitas. Ad interpretationem vero inscriptionum et criticum usum cum sermonis scripturæ cognitio requiritur. Hujus difficultas partim in litterarum figuris, partim in vocabulorum compendiis (§. 422.): quæ tenentes, in singulis litteris aut prænomina, quod vulgare, aut magistratuum honorumque, aut alias solennia vocabula formulasque intelligimus, aut omissas litteras supplemus, aut una figura confusas eruimus, aliasque ejusmodi lectionis difficultates profligamus; de quibus exstant plurium auctorum libelli. Nos, cætera mittentes, exempli causa voces quasdam et phrases vocabulorum initiis expressas subjicimus 1). In singulis vocabulis A. denotat *ante, anno, absolvo* (§. 277.), *Augustus*, A. A. *Augusti*, et inter prænomina *Aulus*, B. *bene, beatus*, *Balbus*, C. *civis, conjux, cohors, centurio, condemno* (§. 277.), *Cajus*, D. *decuria, domus, dedit, Decius*; in conjunctis A. P. *ædilitia potestas*, T. P. *tribunitia potestas*, A. S. S. *a sacris scriniis* (v. §. 235.), D. D. *dono dedit*, AR. DD. *aram dedicavit*, C. C. S. *curatum communi sumtu*, C. F. *Caji filius*, *carissima fœmina*, S. C. *senatusconsultum*, U. R. *uti rogas* (v. §. 165.), A. L. F. *animo (amico) lubens fecit*, AN. V. P. M. *annos vixit plus mi-*

nus, C. V. P. V. D. D. *communi voluntate publice votum dono dederunt* v. *dedicarunt*, D. S. P. F. C. *de sua pecunia faciendum curavit*, D. M. V. *Dis Manibus votum*, etc.

1) Jndicem horum brevissimum habes in Champollion — Figeac *Résumé d'Archéol.* v. 2. p. 143; pleniorem dat Nieupoortii de antiquitatibus rom. libri *appendix de notis Romanorum sive siglis maxime memorabilibus.* Cæterum ejusmodi scripturæ compendia cum notis sive siglis confundenda non sunt; quatenus siglæ non tam ad litteras modo, quam ad alia breviantium signa referendæ.

426. Inscriptionum aliæ scriptura sola aut vetustate, aliæ argumento, eoque nomine publicæ fere magis, quam privatæ, memorabiles, e quibus innumeræ supersunt sepulchrales. In vetustissimis ponuntur: quæ (a. *U. C.* 494.) in basi Columnæ Rostratæ, sub Tiberio renovatæ 1), a. 1565. detectæ, mutila superstes 2); senatusconsultum de Bacchanalibus (§. 328.) a. 566. in tabula ærea, detecta a. 1640. Hanc ætate anteit minus nota inscriptio in L. Scipionem a. 495. Multo posteriora Monumentum Ancyranum, Augusti res gestas complectens, repertum a. 1553., et fasti Capitolini, tabularum ærearum, olim in Capitolio suspensarum, fragmina (v. §. 334.) Cæterum, ad hoc inscriptionis genus p'ures trahuntur reliquiæ, quas servatas veterum mori debemus leges et senatusconsulta æreis tabulis incidendi. E legibus sic integræ aut fragminibus superant lex *de civitate Gallis danda*, Lugduni a. 1529., lex *Galliæ Cisalpinæ* (post. a. U. C. 664.), a. 1760., lex *miscella Heracleensis* (post. a. 664.) a. 1732., e senatusconsultis *de imperio Vespasiani* (§. 220.), suspectæ fidei, medio sæculo 14. repertum, duo *de ædificiis negotiationis causa non diruendis*; alia, ut obligatio prædiorum s. tabula Trajani alimentaria, de quibus v. Hauboldi *Institt.*

J. R. litter. tom. I. p. 245. sqq., Beck *Grundriss der* Archæol. p. 110. sqq.

1) Cf. Suet. *Galba* 23. — 2) Ejus a P. Ciacconio suppletæ (*Thes. Græv.* v. 4, p. 1807) hoc initium: C. BILIOS. M. F. COS. ADVORSOM. CARTACINIENSEIS. EN. SICELIAD. REM. CERENS. ECESTANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISUMAD OBSEDEONE. etc. In queis e servata inscriptionis parte nil nisi litteræ A N O in voce ECESTANOS. V. Folieta, *de linguæ latinæ usu et præstantia*, l. 2, p. 155, ed. Mosheim. E verbis autem, quæ integra supersunt, *castreis*, *exfociont*, *cepet*, *enque eodem*, *navebos marid consol primos*, *navales primos ornavet*, etc.

427. A ceteris discernendæ inscriptiones numorum, sive monetæ proprie (§. 386–7.), sive eorum, quos memoriales vocant (*médaille*, *médaillon*, missilia, maximi moduli numismata.), nec ipsos, ut videtur, usu publico omnes exclusos, cæterum majoris moduli et æreos plerosque. Monetam distinguunt litteræ S. C., senatusconsulto factam indicantes, in æreis vulgo, in argenteis et aureis rarius occurrentes 1).

Cæterum latissime patet numorum doctrina: nos sequentia notamus. In numis Romanis distinguunt, ad quos etiam trahuntur nullum familiæ nomen exhibentes 2), consulares sive familiarum, et numos Imperatorum; illorum a Regibus expulsis, horum a principibus extrema libertate viris, Pompejo M., J. Cæsare, Antonio, aliisque deducta series per Cæsares extenditur 3). In signis autem numorum (notæ pecuniariæ), discernuntur pretium indicantia: in asse I, in semisse S (semis), in triente et minoribus puncta (globuli) pro numero unciarum; in sertertio II S vel H S, in quinario V vel Q, in denario X. In Cæsarum numis vulgo annus tribunitiæ potestatis, qui et imperii, indicatur. In iisdem ex altera parte (pars adversa, aversa s. postica) Imperatoris effigies; in consularibus nobilium familiarum stirpis auctor, velut in numis

gentis Juliæ Venus, in Calpurniæ Numa. In antiquissimis in altera parte animalia etiam et geminus Janus, in altera rostra navis vel ratis occurrunt. In reliquis signis bigæ, quadrigæ, dea Roma, Augustæ, Victoria, triumphi, ædificia (Capitolium, Naumachiæ, Circus, etc.) aliaque monumenta, emblemata, numinum, virtutum, publicæ prosperitatis, ut Pacis, Abundantiæ, Salutis, effigies, etc. Utque signorum, sic notarum, inscriptionum, sive aliarum sive signa interpretantium infinita varietas. A signis adpellantur victoriati, bigati, quadrigati; alia est nominis ratio in serratis, ab orbe serrato, incrustatis, subæratis (pelliculatis), exterius argenteis, viliore intus metallo, in iis denique, quos ab addito alius metalli circulo *contorniatos* vocant. 4)

1) Cf. Champollion-Figeac, *Archéol.* v. 2, p. 276. — 2) V. Millin, *introd. à l'étude de l'Archéol.* p. 294. — 3) De quo Champollion : — *ces personnages, César excepté, n'ayant exercé aucune autorité légale, leurs médailles seraient aussi bien placées parmi celles des familles romaines.* — 4) V. Ernesti, *Archæol. litter.* p. 52. Aliter Stieglitz, *Archæol. Unterhalt.* p. 50.

CODICES MANUSCRIPTI.

428. Inscriptionibus exigua pars veterum litterarum continetur, codicibus manuscriptis auctorum opera, omnium antiquitatis monumentorum longe pretiosissima, ad nos pervenerunt; a quibus per Europam vulgatis nova litterarum ætas statuitur.

Codicum, ut Græcorum, sic Latinorum, quamvis parva veterum litterarum parte servata, ingens copia superat; manetque, post opera typis excusa, multis nominibus pretium atque utilitas; ac hodieque ignotas hucusque veterum scriptorum reliquias vulgari interdum e codicibus, rescriptis s. palimpsestis maxime, videmus; e medio ævo

autem multi, non scribendi quidem arte, sed aliis de causis luce digni, in bibliothecis delitescunt. De vetustate vero codicum Latinorum, quod et de Græcis, constare videtur, non modo nullum classici auctoris manu exaratum, sed ne e classica quidem ætate, nisi paucissimos fortasse, de quibus controversia, superesse. Inter cæteros pauci sextum sæculum attingunt. Antiquiores litteris majoribus et forma, qualem vetusta monumenta numique exhibent, dignoscuntur, incerto tamen argumento, quoniam non raro vetustiorem manum multo recentior imitans expressit. Minorem utique ætatem, præter breviorem et alias corruptam litterarum speciem (§. 422.), produnt orationis per puncta et commata distinctio, diphthongorum contractio, aut, quod, sicut in Græcis accentus, recentioris consuetudinis, punctum in littera I. Ex breviori autem, ut vocant, scriptura fluxerunt litteræ Gothicæ, Longobardicæ, Francicæ, et si quæ sunt præterea. Cæterum sæculis nono et decimo tersior etiam et elegantior scriptura; exin litteræ crassiores et compendia, serius usque multiplicata, accedentibus, queis augetur lectionis difficultas, litterarum nimia extensione, otiosis lineis, et liberioris calami lusu.

429. In antiquissimis codicibus Latinis, inter quos ipsorum forma litterarum typis vulgati, memorantur Virgilius Florentiæ (codex Mediceus); Virgilius Vaticanus, sæculi quinti judicatus; Terentius Vaticanus, litteris quadratis, picturis personarum ornatus; codex Florentinus Pandectarum.

Absoluta, ut ita loquamur, litteraria, ex artium pariter antiquitate quædam adferimus, ita, ut, quemadmodum nec in illa litterarum, sic neque in hac parte artium aut *theoriam*, ut vocant, aut historiam doctrinamve tractare voluisse videamur; utrumque enim, ut sui constent antiquitatum studio fines, ab illis segregandum existimamus.

ARTIUM APUD ROMANOS RATIO.

430. Disciplinis plerisque inferiores Græcis Romani (§. 417.), artium, quas arctiore vocis sensu vocamus, diutius etiam quam litterarum rudes inveniuntur 1). Neque tamen aut architecturæ, (in quibus Capitolium, aquæductus, etc.,) aut plastices opera vel sub Regibus primove libertatis tempore memoranda defuere, et egregios viros statuis honoratos accipimus; verum, ut posteriore, sic magis illa ætate ab exteris, Etruscis præsertim et Campanis, artifices petiverunt. Postquam autem, latius patente imperio, priscum morem tum quoque servantes, undique terrarum, sed a Græcis præcipue, (Syracusis, Corintho, a Mummio spoliata, Macedonia 2), etc.,) et Asia innumera artium monumenta, sive urbi, sive, quod serius usu venit, privatis ædificiis villisque decorandis, Romam transtulere 3), victoriæ spolia vulgo ostentaverunt magis miratique sunt, quam ipsi artes coluerunt, Græcis artificibus hanc laudem tum quoque relinquentes; quorum magna Romæ copia, quippe crescente usque artium sive amore sive jactantia, quæ sub Cæsaribus ad summum progressa luxuriæ, fora, templa, porticus, circos, theatra, arcus statuis, picturis, pulcherrimis ex omni genere operibus replevit; nec minus multiplicata architecturæ, et in his plurima immensæ molis, quam hodie reliquiæ testantur, miracula.

Inter artes autem, quarum ex Romana antiquitate monumenta superant, memorandæ nobis veniunt architectura, pictura, et plastice, latiore vocis apud recentiores notione, qua glypticen et huic conjunctam numismatices partem quoque complectitur. Diversi prorsus generis, hoc potissimum loco ponendæ, musica et mimica artes.

ut Græcis, duplices consonantes (CS, DS); Y medium inter U et I; V et vocalium, ut volunt, I et O, et Græcorum digammatis vicem præstitit, cujus vim et mutatam figuram habet F. Quidam, R quoque et Q accessisse, docent, sive novo sono exprimendo, sive R ad S, Q ad C, duobus sonis olim una littera expressis 1). Orthographiam diu, nec parum variasse, et hinc intelligas, et numorum aliorumque monumentorum vel sæculi sexti inscriptiones cum in aliis id declarant, tum omissis litteris, quæ post iisdem in verbis adjectæ, aut additis, quæ post omissæ, quippe, ut conjicere licet, non pronuntiatæ. Ac vero proximum est, consonantes quasdam, in extrema voce, etsi nunquam omissas, tamen vulgo pronuntiari desiisse; quæ res non levem vim in constituenda syllabarum quantitate habuisse videtur.

Cæterum species litterarum, quatenus inscriptiones, et certius vetustissimi codices testantur, ea fere erat, quæ hodie in majoribus (litteræ unciales) servatur, dubito, per mediumne demum ævum, an multo ante in commodiores calami celeritati formas corrupta. Diversa est illa breviandi ratio, cui vel ante Ciceronis ætatem 2) signa, syllabis, aut sæpe recurrentibus verbis, aut phrasibus etiam indicandis, inventa esse constat; quo trahenda notæ, siglæ (§. 235.), alphabetum Tironianum, notæ Senecæ, notarii, ταχυγράφοι 3). Nec minus usitata vulgaris breviandi ratio, initia tantum aut præcipuas litteras exhibens (§. 425.)

1) De litteris a Claudio adjectis, nec post retentis, v. Tac. *Ann.* 11, 14, ibiq notam Lipsii. — 2) Cf. Cic. *ad Att.* 11, 9. Cf. Pignor. *de Serv.* p. 218, Gregorium *de scribendi genere διὰ σημείων* §. 3. sqq., in *Act. societ. lat. Jenens.* v. 2. p. 106. — 3) Cf. Sen. *Ep.* 90, *quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguæ manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Mart. 14, 208, *Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus.*

MATERIES, INSTRUMENTA, LIBRI.

423. Materiem vero quod attinet, res ferebat, ut hodie, quædam in lapide, ære, aliisve metallis, aut in ligno (albo, tabulis) scribi. Privato magis usui antiquitus folia 1), et interior cortex (liber) arborum quarundam, post, præter alia, in quibus linum, unde libri lintei 2), papyrus 3) Ægyptius (βύβλος, papyrus, cyperus papyrus Linn.), charta Ægyptiaca, Niliaca 4), menbranæ (charta Pergamena, *parchemin*), et, enotando commodissimæ 5), tabulæ ligneæ cera obductæ, tabulæ, πίναξ, ceræ, pugillares 6). Posterioris multo usus charta bombycina; omnium novissima, qua hodie utimur, sæculo XIV (?) introducta 7).

Instrumentum scribentis, ut in duriore materia, sic in ceris, stylus (γλυφεῖον, γραφεῖον, graphium, Ovid. *Am.* 1, 11, 23.), altera parte acutus, litteris exarandis, sive incidendis, quæ propria vis verborum γράφειν et scribere, altera planus, delendo et lævigando; quo trahitur litura 8). Pingendis litteris penicillo, in membranis aliisque chartis vulgo calamo (δόναξ), Ægyptio maxime aut Gnidio 9), colore plerumque nigro, atramento librario 10), quo sepia quoque referenda 11), in titulis sæpe rubro, minio, rubrica 12), utebantur, qui medio ævo usitatissimus majoribus litteris, præsertim in capitum initio, pingendis, adhibitis aliis quoque et in iis auro et argento, sive ad litteras sive omnino ad paginarum ornatum. Rubri species encaustum, unde *inchiostro* et *encre* 13), documentis subscribendis ab Imperatoribus Orientis usurpatum. Vetustissima autem consuetudo chartas, firmitatis simul et nitoris gratia, pumice poliendi et cedro unguendi 14).

1) Cf. Virg. *Æn.* 3, 444. — 2) Liv. X, 43. — 3) Corticis sive libri

partes, schedæ, philyræ, glutino latiores in chartas conjungebantur; de quo, omninoque de papyri scribendo parandi arte, de varietate et dotibus v. Plin. 13, 12. Inter nobiliores quædam, vulgari hodieque adulatione, a Principum personis, ut Augusta, Liviana, nomen habebant. V. Plin. ib., qui de dotibus — *Præterea spectantur in chartis tenuitas, densitas, candor, lævor. — Primatum mutavit Claudius Cæsar-Nimia quippe Augustæ tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis; ad hoc transmittens litteras lituræ metum adferebat*, etc. — *Prælata omnibus Claudia: Augustæ in epistolis auctoritas: Liviana suam tenuit, cui nihil e prima erat, sed omnia e secunda.* Vilissima species emporetica, *quæ, inutilis*, ait Plinius, *scribendo, involucris chartarum segestriumque in mercibus usum præbet.* Inter recentiores cum aliis consulendæ Jos. Scaligeri *Animadvv. in Melch. Guilandini commentarium de papyro.* — 4) V. Theophr. *Hist. Plant.* 4, 9, Plin. 13, 11. — 5) Quint. 10, 3, — *scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi, nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quæ, ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguuntur calami, morantur manum et cogitationis impetum frangunt.* — 6) Cf. Plin. *Epist.* 1, 6. — 7) De materia scribendo, sæculo duodecimo usurpata, certe nota, memorabilis locus Petri Venerabilis *contra Judæos* (ap. Duchesne *Bibliotheca Clun.* p. 1069-70.), ubi — *cujusmodi librum — ex pellibus arietum, hircorum, vel vitulorum*, sive *ex biblis, vel juncis orientalium paludum, aut ex rasuris veterum pannorum*, etc. Quem locum adferens Heeren (*Gesch. d. Stud. d. class. Litter.*), idem, chartam bombycinam sæculo duodecimo per Occidentem Europæ diffusam adserit. — 8) Cf. Hor. *Sat.* 1, 10, 27, *A. P.* 293, Cic. *p. Arch.* 5, *Verr.* 2, 76. — 9) Cf. Plin. 16, 36. — 10) Cf. Vitruv. 7, 10, Plin. 27, 7, Ovid. *Am.* 1, 12. Cf. Stieglitz, *Archæol. Unterhalt.* p. 147. — 11) Pers. 3, 12,

Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.

— 12) Cf. Ovid. *Trist.* 1, 1, 7, Juven. 14, 192, Pers. 5, 90. — 13) Cf. *Cod. Just.* 1, 23, 6. — 14) Ovid. *Trist.* 1, 1,

Nec te purpureo velent vaccinia fuco.
Non est conveniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:
Candida nec nigra cornua fronte geras.
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes;
Hirsutus passis ut videare comis.

Cf. *Cat.* 1, 2, 22, 8, Tib. 3, 1, 10, Hor. *A. P.* 332, Pers. 1, 42, 3, 10..

424. Antiquissima librorum forma 1) volumen, singulis

chartis in unam conglutinatis, quo referendum protocollum 2), quæ cylindro ligneo, osseo, eburneo, extremis exstantibus, (quo trahuntur 3) cornua, umbilici, nigri, picti, ad umbilicum adducere 4), pervenire, geminæ frontes, etc.,) circumvoluta, tænia filove vinciebatur. Titulus interdum in fascia minoris formæ, volumini extra adhærenti, quo sunt qui referant pittacium 5). Neque tamen vel vetustiore tempore quadrata librorum forma prorsus inusitata, foliis loro aut filo ferreo conjunctis, quales δέλτοι, codices, codicilli, latercula (§. 237.), vocati. In his utrinque, unde Græcis ὀπισθόγραφα 6) dicuntur, in voluminibus fere in altera tantum pagina scribebant 7). Singularis species diptycha (δίπτυχος) a geminis tabulis adpellata, quandoque pretiosa, ut eburnea, et insigniter decorata, qualia a magistratibus, munus ineuntibus, mos amicis donari 8). Hinc diptycha consularia, quæstoria, etc. (§. 189.) Scribæ aut describentes variis nominibus distincti, e quibus Græca καλλιγράφοι, ταχυγράφοι, χρυσογράφοι; Latina librarii, exceptores, notarii (v. §. 235.).

1) Cf. Ovid. l. c. Tib. 3, 1,

> *Lutea sed niveum involvat membrana libellum,*
> *Pumex et canas tondeat ante comas.*
> *Summaque prætexat tenuis fastigia chartæ,*
> *Indicet ut nomen littera facta tuum.*
> *Atque inter geminas pingantur cornua frontes.*

2) A κόλλα, glutine, nisi, cum J. Scal. (*animadv. ad Guil. comm.*, p. 50.), malis a κῶλον. Cf. interpretes, Cic. *ad Att.* 13, 25, ad *macrocola*, et Mart. *lectis vix tibi paginis duabus, spectas ἐσχατοκώλιον, Severe;* ubi varietas lectionis ἐσχατοκόλλιον. Idem 4, 91, 4, *summam schedam*, i. e. ultimam paginam, dixit. — 3) Cf. Ovid. et Tib. loc. citat. — 4) Hor. *Ep.* 14, 8. Cf. Mart. 4, 91, 2, *jam pervenimus usque ad umbilicos.* — 5) Cf. Hugo, *de prima scribendi origine*, p. 356. — 6) Cf. Plin. *Ep.* 3, 5, 17. — 7) Cf. Juven. 1, 6. — 8) Cf. Symm. *Ep.* 2, 80, 5, 54. *Cod. Theod.* 15, 9, 1 et 2.

Tiberii Donati in Virgilium, Macrobii in Ciceronis *Somnium Scipionis* commentarii scholiave supersunt. In cæteris Grammaticis ex aurea ætate servata pars Varronis *de Lingua Latina* librorum. Paulo posteriores Varrone Rhemnius Fannius Palæmon, cujus sub nomine *Ars Grammatica*, etc., Valerius probus, cujus feruntur superstites *grammaticarum institutionum* libri II, et Verrius Flaccus, cujus *de Verborum Significatione* operis compendium exstat a Pompejo Festo sæculo quarto compositum. Ex ærea pariter ætate Nonii Marcelli *Doctrina de Proprietate Sermonum*, Diomedis *de Oratione, Orationis Partibus et Vario Poematum Genere* commentationes; Charisii *Institutiones Grammaticæ*, et Prisciani *Commentarii Grammatici*, prolixum de linguæ elementis opus.

Antiquariis potissimum adscribendi Aulus Gellius, sæculi secundi, cujus *Noctes Atticæ*, Censorinus, sæculi tertii, cujus *de Die Natali*, Macrobius, sæculi quinti, cujus, præter commentarium in *Somnium Scipionis*, *Saturnaliorum* libri supersunt, variæ eruditionis, et utilissima antiquitatis studiosis opera. His adjicimus Marciani Capellæ *de Septem Artibus Liberalibus* opus.

416. Indigenam et antiquissimam Italorum, atque adeo Romanorum, ut vocamus, mythologiam qui scriptis exposuerit, vix quisquam memoretur, utique nemo superstes; et necesse fuit, confusa pridem Græcorum cum Romanorum religione (§. 280.), horum mythicos omnia fere e Græcis fontibus haurire, certe a Græcis parum discrepare. Sed ex his quoque scriptoribus vetustiores periere. Inter superantes ætate primus Julius Hyginus, sub Augusto florens grammaticus, dubitantibus tatem criticis, an junioris potius Hygini illius nomen ferentes *Fabularum* libri et *Poeticon Astrono-*

micon. Multo posteriores Planciades Fulgentius, cujus *Mythologiarum* libri, et Luctatius sive Lactantius Placidus, cujus *Argumenta* Ovidii *Matamorphoseon* exstant, utrique sæculi sexti. Sæculi decimi tertii libellus Albrici philosophi *de Deorum Imaginibus*. E Christianis scriptoribus præterea huc referendæ Lactantii Firmiani *Divinæ Institutiones* et alia, Arnobii *adversus Gentes* libri VII, Firmici Materni *de Errore profanarum religionum*, et e sæculo tertio Minucii felicis dialogus *Octavius*.

DISCIPLINÆ.

417. Disciplinæ, quas proprie vocamus, si jurisprudentia excipiatur, minori ardore quam litteræ sive humaniora, cæterum, his labentibus, impensius, quam stante republica, cultæ a Romanis inveniuntur. Nos singulas cum scriptoribus hac notitia comprehendimus.

Philosophiæ, antea Romanis vix tentatæ 1), studium a Græcis philosophis vulgo repetitur, qui sexto sæculo, legati Romam missi, disciplinam suam ibi docuere. In his Carneades, Novæ Academiæ addictus rationi, eloquentiæ laudem doctrinæ conjungens, præcipue probatus; sed, adnitente Catone majore, tanquam moribus et reipublicæ perniciosi, in Græciam remissi sunt. Nec lætiorem sortem serius experti philosophi Græci, simul cum rhetoribus urbe pulsi, quamvis paulatim latius vigente philosophiæ apud principes quoque viros amore, inter quos Scipio Africanus minor 2), Lælius, Lucullus, alii memorantur; ita tamen ut Græca repeterent magis, quam nova proferrent, qui scriptis eam, sive durante libertate sive sub Cæsaribus, coluere. Ex his paucissimorum nobis opera servata, inter quos Lucretius poemate *de rerum natura* Epicuri rationem expressit, Cicero, veteri Academiæ maxime adhærens, varias

persecutus disciplinæ partes (*de Natura Deorum, de Finibus bonorum et malorum, de Divinatione, de Legibus, de Officiis*, etc.), simul primus linguam latinam philosophiæ tractandæ feliciter adtemperavit. E Cæsarum ætate superant L. A. Senecæ, stoici, libri *de Ira, de Clementia, de Providentia, de Beneficiis*, alii, e sæculo secundo L. Apuleji *de Mundo, de Deo Socratis, de Habitudine Doctrinarum et Nativitate Platonis*. De Christianis scriptoribus autem hic nominandi Arnobius, Lactantius Firmianus, his posterior Augustinus, et sæculum sextum attingens Boethius (§. 410.) Ex parte item huc referendus Martianus Capella.

1) Cf. Cic. *T. D.* 1, 3, *philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum latinarum*, etc. — 2) Cf. Vell. 1, 13.

418. Mathematicas disciplinas nec contemsere Romani, nec insignem utilitatem ignorare potuerunt 1); sed usum, veluti in re militari et architectura, potissimum secuti, scientiam a Græcis acceptam parum provexerunt, pauci geographiæ et astronomiæ studio dediti.

Inter superstites scriptores, quos mathematicis vulgo, sed latius, quam hodie, extensa vocis significatione adnumerant, ad architecturam maxime pertinet Vitruvii Pollionis, sub Augusto florentis, celeberrimum *de Architectura* opus, et Julii Frontini e sæculo primo *de Aquæductibus* libellus; ad rem militarem ejusdem auctoris *Strategemata*, et ex ærea ætate Vegetii Renati *Institutiones Rei Militaris*, nec non aliorum, in quibus Hygini, gromatici, *de Castrametatione* et Modesti *de Vocabulis rei militaris* libelli vel fragmenta; ad rem agrariam Siculi Flacci, Aggeni Urbici, et quæ aliorum exiguæ superant reliquiæ (auctores rei agrimensoriæ.) Inter astrologos Hyginus (§. 416.), et Ciceroni æqualis Nigidius Figulus, cujus fragmenta supe-

rant. Ejusdem argumenti Firmici Materni (§. 416.) *libri Matheseos.* E poetis hic nominandus Manilius. Inter superantia Romanorum geographica scripta vetustissimum Pomponii Melæ, sæculi primi, de *Situ Orbis.* Sæculi quarti existimatur Vibii Sequestris *de Fluminibus, Fontibus, Lacubus,* etc. *quorum apud poetas mentio fit,* notitia. E scriptoribus alibi memoratis huc referendi Plinius major et Solinus. Cæterum hic adjicienda veniunt *Notitia Dignitatum Utriusque Imperii* (§. 230.), calendarii publici species; Sexti Rufi et P. Victoris topographiæ urbis Romæ; cosmographia Æthico temere adscripta, et Julii Honorii e cosmographia excerpta, item Ravennatis anonymi, qui sæculi VII. putatur, *geographiæ* libri quinque; *Itineraria* (cf. Cell. *Geogr. Ant.* l. I. c. I.), queis vel topographia Imperii Romani depicta, vel præcipuorum locorum per vias Imperii, et intervallorum indicatio continetur. Prioris generis *Tabula Peutingeriana,* Severo Imperatore (?), facta, posterioris *Antonini Augusti* vocatum *Itinerarium,* sed incerti serioris ævi auctoris. Denique hic addantur, quæ quo potissimum trahamus, non habemus, Cœlii Apicii *de arte coquinaria* libellus, et Rhemmii Palæmonis *de ponderibus et mensuris carmen,* utraque suspecti nominis.

1) Cf. Cic. *T. D.* 1, 2.

419. Ad historiam naturalem maxime pertinet primarii Romanorum ex eo genere scriptoris, C. Plinii majoris, sæculi primi, vastum atque encyclium, ex innumeris pæne auctoribus congestum opus. Plinii compendium exhibet Julii Solini *Polyhistor,* sive rerum memorabilium collectanea. Physices sunt L. A. Senecæ *Naturalium Quæstionum* libri VII. Rem rusticam inprimis amasse priscos Romanos, scriptis quoque multos illustrasse, supra dixi-

mus (§. 378.) Ex his superant Catoni, sexto urbis sæculo florenti, non satis certe adtributum, et Varronis, Ciceroni æqualis, *de Re Rustica* opusculum. Varrone posterior Columella, cujus librorum ultimus poema *de Cultu Hortorum;* Columella posterior Palladius Rutilius, cujus item ultimus liber *de Insitione* ligata oratione. E poetis ad agriculturam pertinent Virgilii *Georgica.*

420. Medendi artem Romæ Græci fere, et in his quoque servi maxime aut libertini, ab extrema libertate ingenui etiam exercebant, cum artis honore crescente medicorum numero, privilegiis etiam concessis, nec ipsis Romanis porro medicinæ studium dedignantibus. Inter superstites autem auctores præcipuus Cornelius Celsus, sub Augusto et Tiberio florens, e cujus encyclio opere servati *de Re Medica* libri VIII medicinam et chirurgiam complectentes. Celso æqualis Antonius Musa, Augusti libertus, cui fragmenta quædam falso tribuuntur. Paulo posterior Scribonius Largus, auctor opusculi *de Compositionibus Medicamentorum.* E compilantibus serioris ævi servatus Marcelli Empirici *de Medicamentis*, cui nonnulli carmen quoque de medicina (v. Burm. *Anthol.* v. 2. p. 389.) tribuere, et Vegetii Renati *de Re Veterinaria* liber. De poetis huc referendus Serenus Sammonicus.

421. In cæteris disciplinis Græcos imitantes magis et compilantes Romani, quam ab iis tradita aut augentes magnopere aut perficientes, in jurisprudentia nec imitati sunt, et longe præstitere. Jureconsulti autem, et antiquiore libertatis tempore, et inde ab extrema plurimi celebrati 1); in quibus Mucii Scævolæ plures, Trebatius Testa, et Servius Sulpicius, Ciceroni æquales, Alfenus Varus, Antistius Labeo, Nerva. A Tiberio inde distincti Sabiniani et Proculiani, illi auctore Atejo Capitone et Masurio Sabino, hi

Antistio Labeone et Sempronio Proculo 2). Posterioris Cæsarum ætatis Æmilius Macer, Callistratus, Marcianus, Hermogenianus, Cajus (Gajus), Paullus, Papinianus, Modestinus, Ulpianus, alii multi, quorum e scriptis congestæ Justiniani Pandectæ, paucæ præterea ad nos reliquiæ, in iis Caji, Paulli, Ulpiani, pervenerunt, nunc, repertis Caji *Institutionibus*, auctæ 3). De latinitate illorum jurisconsultorum, sæpe immerito contemta, rectius nostra ætate inter alios Hugo 4); critices, in historia et antiquitatibus, ratione severius de nonnullis judicat Dirksen 5). Præter jure consultorum scripta, argumento quædam ad jus referuntur, ut Valerii Probi *de interpretandis Romanorum Litteris*, Frontini *de agrorum qualitate*, *de controversiis*, *de coloniis* libelli. Alter jurisprudentiæ Romanæ fons legibus, in iisque XII Tab., senatusconsultis, edictis, quæ singula pauca, et Principum constitutionibus, quæ plurimæ supersunt (codicis Hermogeniani et Gregoriani fragmenta, codex Theodosianus, Justinianeus, Novellæ), continetur. Adjiciunt et alia, ut tabulas negotiorum solemnium, in rem suam trahentes juris auctores 6).

1) V. Pomp. *de Or. J.* §. 35. sqq. — 2) V. Hugo, *Lehrb. d. Gesch. d. r. R.* p. 615 et 638, ed. 8. Cf. Tac. *Ann.* 3, 75, Dirksen, *Versuche*, p. 228. Cf. Mackeldey §. 42-44, Macieiowski *Hist. Jur. Rom.* p. 201 et 211. — 3) V. Schultingii *Jurispr. Vet. Antejust.*, Heineccii, Bachii, Hugonis *Jur. Rom. historias.* — 4) P. 609. Cf. Macieiowski p. 141. — 5) *Versuche*, p. 203-33. — 6) V. Haub. *Institt. J. R. litter.* t. 1. pag. 270. 289.

LITTERÆ, SCRIPTURÆ RATIO.

422. Litterarum Latinarum, sive eædem cum Græcis, sive diversæ, quæ prima forma fuerit, sciri nequit; numerum constat minorem fuisse, adjectis, incertum, quo quæque tempore, litteris F, G, H, V, X, Y, Z: e quibus H signum aspirationis; G affine antiquiori C; X et Z (ξ, ζ),

ut Græcis, duplices consonantes (CS, DS); Y medium inter U et I; V et vocalium, ut volunt, I et O, et Græcorum digammatis vicem præstitit, cujus vim et mutatam figuram habet F. Quidam, R quoque et Q accessisse, docent, sive novo sono exprimendo, sive R ad S, Q ad C, duobus sonis olim una littera expressis 1). Orthographiam diu, nec parum variasse, et hinc intelligas, et numorum aliorumque monumentorum vel sæculi sexti inscriptiones cum in aliis id declarant, tum omissis litteris, quæ post iisdem in verbis adjectæ, aut additis, quæ post omissæ, quippe, ut conjicere licet, non pronuntiatæ. Ac vero proximum est, consonantes quasdam, in extrema voce, etsi nunquam omissas, tamen vulgo pronuntiari desiisse; quæ res non levem vim in constituenda syllabarum quantitate habuisse videtur.

Cæterum species litterarum, quatenus inscriptiones, et certius vetustissimi codices testantur, ea fere erat, quæ hodie in majoribus (litteræ unciales) servatur, dubito, per mediumne demum ævum, an multo ante in commodiores calami celeritati formas corrupta. Diversa est illa breviandi ratio, cui vel ante Ciceronis ætatem 2) signa, syllabis, aut sæpe recurrentibus verbis, aut phrasibus etiam indicandis, inventa esse constat; quo trahenda notæ, siglæ (§. 235.), alphabetum Tironianum, notæ Senecæ, notarii, ταχυγράφοι 3). Nec minus usitata vulgaris breviandi ratio, initia tantum aut præcipuas litteras exhibens (§. 425.)

1) De litteris a Claudio adjectis, nec post retentis, v. Tac. *Ann.* 11, 14, ibiq notam Lipsii. — 2) Cf. Cic. *ad Att.* 11, 9. Cf. Pignor. *de Serv.* p. 218, Gregorium *de scribendi genere διὰ σημείων* §. 3. sqq., in *Act. societ. lat. Jenens.* v. 2. p. 106. — 3) Cf. Sen. *Ep.* 90, *quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguæ manus sequitur? Vilissimorum mancipiorum ista commenta sunt.* Mart. 14, 208, *Currant verba licet, manus est velocior illis: Nondum lingua suum, dextra peregit opus.*

MATERIES, INSTRUMENTA, LIBRI.

423. Materiem vero quod attinet, res ferebat, ut hodie, quædam in lapide, ære, aliisve metallis, aut in ligno (albo, tabulis) scribi. Privato magis usui antiquitus folia 1), et interior cortex (liber) arborum quarundam, post, præter alia, in quibus linum, unde libri lintei 2), papyrus 3) Ægyptius (βύβλος, papyrus, cyperus papyrus Linn.), charta Ægyptiaca, Niliaca 4), menbranæ (charta Pergamena, *parchemin*), et, enotando commodissimæ 5), tabulæ ligneæ cera obductæ, tabulæ, πίναξ, ceræ, pugillares 6). Posterioris multo usus charta bombycina; omnium novissima, qua hodie utimur, sæculo XIV (?) introducta 7).

Instrumentum scribentis, ut in duriore materia, sic in ceris, stylus (γλυφεῖον, γραφεῖον, graphium, Ovid. *Am.* 1, 11, 23.), altera parte acutus, litteris exarandis, sive incidendis, quæ propria vis verborum γράφειν et scribere, altera planus, delendo et lævigando; quo trahitur litura 8). Pingendis litteris penicillo, in membranis aliisque chartis vulgo calamo (δόναξ), Ægyptio maxime aut Gnidio 9), colore plerumque nigro, atramento librario 10), quo sepia quoque referenda 11), in titulis sæpe rubro, minio, rubrica 12), utebantur, qui medio ævo usitatissimus majoribus litteris, præsertim in capitum initio, pingendis, adhibitis aliis quoque et in iis auro et argento, sive ad litteras sive omnino ad paginarum ornatum. Rubri species encaustum, unde *inchiostro* et *encre* 13), documentis subscribendis ab Imperatoribus Orientis usurpatum. Vetustissima autem consuetudo chartas, firmitatis simul et nitoris gratia, pumice poliendi et cedro unguendi 14).

1) Cf. Virg. *Æn.* 3, 444. — 2) Liv. X, 43. — 3) Corticis sive libri

partes, schedæ, philyræ, glutino latiores in chartas conjungebantur; de quo, omninoque de papyri scribendo parandi arte, de varietate et dotibus v. Plin. 13, 12. Inter nobiliores quædam, vulgari hodieque adulatione, a Principum personis, ut Augusta, Liviana, nomen habebant. V. Plin. ib., qui de dotibus — *Præterea spectantur in chartis tenuitas, densitas, candor, lævor. — Primatum mutavit Claudius Cæsar-Nimia quippe Augustæ tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis; ad hoc transmittens litteras lituræ metum adferebat*, etc. — *Prælata omnibus Claudia: Augustæ in epistolis auctoritas: Liviana suam tenuit, cui nihil e prima erat, sed omnia e secunda.* Vilissima species emporetica, *quæ, inutilis*, ait Plinius, *scribendo, involucris chartarum segestriumque in mercibus usum præbet.* Inter recentiores cum aliis consulendæ Jos. Scaligeri *Animadvv. in Melch. Guilandini commentarium de papyro.* — 4) V. Theophr. *Hist. Plant.* 4, 9, Plin. 13, 11. — 5) Quint. 10, 3, — *scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi, nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quæ, ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguuntur calami, morantur manum et cogitationis impetum frangunt.* — 6) Cf. Plin. *Epist.* 1, 6. — 7) De materia scribendo, sæculo duodecimo usurpata, certe nota, memorabilis locus Petri Venerabilis *contra Judæos* (ap. Duchesne *Bibliotheca Clun.* p. 1069-70.), ubi — *cujusmodi librum — ex pellibus arietum, hircorum, vel vitulorum*, sive *ex biblis, vel juncis orientalium paludum, aut ex rasuris veterum pannorum*, etc. Quem locum adferens Heeren (*Gesch. d. Stud. d. class. Litter.*), idem, chartam bombycinam sæculo duodecimo per Occidentem Europæ diffusam adserit. — 8) Cf. Hor. *Sat.* 1, 10, 27, *A. P.* 293, Cic. *p. Arch.* 5, *Verr.* 2, 76. — 9) Cf. Plin. 16, 36. — 10) Cf. Vitruv. 7, 10, Plin. 27, 7, Ovid. *Am.* 1, 12. Cf. Stieglitz, *Archæol. Unterhalt.* p. 147. — 11) Pers. 3, 12,

Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha.

— 12) Cf. Ovid. *Trist.* 1, 1, 7, Juven. 14, 192, Pers. 5, 90. — 13) Cf. *Cod. Just.* 1, 23, 6. — 14) Ovid. *Trist.* 1, 1,

Nec te purpureo velent vaccinia fuco.
Non est conveniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur:
Candida nec nigra cornua fronte geras.
Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes;
Hirsutus passis ut videare comis.

Cf. *Cat.* 1, 2, 22, 8, Tib. 3, 1, 10, Hor. *A. P.* 332, Pers. 1, 42, 3, 10.

424. Antiquissima librorum forma 1) volumen, singulis

chartis in unam conglutinatis, quo referendum protocollum 2), quæ cylindro ligneo, osseo, eburneo, extremis exstantibus, (quo trahuntur 3) cornua, umbilici, nigri, picti, ad umbilicum adducere 4), pervenire, geminæ frontes, etc.,) circumvoluta, tænia filove vinciebatur. Titulus interdum in fascia minoris formæ, volumini extra adhærenti, quo sunt qui referant pittacium 5). Neque tamen vel vetustiore tempore quadrata librorum forma prorsus inusitata, foliis loro aut filo ferreo conjunctis, quales δέλτοι, codices, codicilli, latercula (§. 237.), vocati. In his utrinque, unde Græcis ὀπισθόγραφα 6) dicuntur, in voluminibus fere in altera tantum pagina scribebant 7). Singularis species diptycha (δίπτυχος) a geminis tabulis adpellata, quandoque pretiosa, ut eburnea, et insigniter decorata, qualia a magistratibus, munus ineuntibus, mos amicis donari 8). Hinc diptycha consularia, quæstoria, etc. (§. 189.) Scribæ aut describentes variis nominibus distincti, e quibus Græca καλλιγράφοι, ταχυγράφοι, χρυσογράφοι; Latina librarii, exceptores, notarii (v. §. 235.).

1) Cf. Ovid. l. c. Tib. 3, 1,

Lutea sed niveum involvat membrana libellum,
Pumex et canas tondeat ante comas.
Summaque prætexat tenuis fastigia chartæ,
Indicet ut nomen littera facta tuum.
Atque inter geminas pingantur cornua frontes.

2) A κόλλα, glutine, nisi, cum J. Scal. (*animadv. ad Guil. comm.*, p. 50.), malis a κῶλον. Cf. interpretes, Cic. *ad Att.* 13, 25, ad *macrocola*, et Mart. *lectis vix tibi paginis duabus, spectas* ἐσχατοκώλιον, *Severe;* ubi varietas lectionis ἐσχατοκόλλιον. Idem 4, 91, 4, *summam schedam,* i. e. ultimam paginam, dixit. — 3) Cf. Ovid. et Tib. loc. citat. — 4) Hor. *Ep.* 14, 8. Cf. Mart. 4, 91, 2, *jam pervenimus usque ad umbilicos.* — 5) Cf. Hugo, *de prima scribendi origine*, p. 356. — 6) Cf. Plin. *Ep.* 3, 5, 17. — 7) Cf. Juven. 1, 6. — 8) Cf. Symm. *Ep.* 2, 80, 5, 54; *Cod. Theod.* 15, 9, 1 et 2.

INSCRIPTIONES.

425. Inscriptionum ex antiquitate Romana, quarum in ædificiis, sepulchris, aris, statuis, etc. solennis et frequens usus, hodiéque immensa copia (lapides, saxa, marmora), et pars non exigua, in iisque maxime memorabiles, a multis auctoribus, inter quos Gruterus, Donius, Muratori, Marini, aut vulgatæ tantum, aut interpretatæ etiam inveniuntur; nec parva earum est litteraria, sive vetustioris linguæ sive styli (lapidaris), et multo major ad rempublicam, religionem, moresque illustranda utilitas. Ad interpretationem vero inscriptionum et criticum usum cum sermonis scripturæ cognitio requiritur. Hujus difficultas partim in litterarum figuris, partim in vocabulorum compendiis (§. 422.): quæ tenentes, in singulis litteris aut prænomina, quod vulgare, aut magistratuum honorumque, aut alias solennia vocabula formulasque intelligimus, aut omissas litteras supplemus, aut una figura confusas eruimus, aliasque ejusmodi lectionis difficultates profligamus; de quibus exstant plurium auctorum libelli. Nos, cætera mittentes, exempli causa voces quasdam et phrases vocabulorum initiis expressas subjicimus 1). In singulis vocabulis A. denotat *ante, anno, absolvo* (§. 277.), *Augustus*, A. A. *Augusti*, et inter prænomina *Aulus*, B. *bene*, *beatus*, *Balbus*, C. *civis, conjux, cohors, centurio, condemno* (§. 277.), *Cajus*, D. *decuria*, *domus*, *dedit*, *Decius*; in conjunctis A. P. *ædilitia potestas*, T. P. *tribunitia potestas*, A. S. S. *a sacris scriniis* (v. §. 235.), D. D. *dono dedit*, AR. DD. *aram dedicavit*, C. C. S. *curatum communi sumtu*, C. F. *Caji filius*, *carissima fœmina*, S. C. *senatusconsultum*, U. R. *uti rogas* (v. §. 165.), A. L. F. *animo* (*amico*) *lubens fecit*, AN. V. P. M. *annos vixit plus mi-*

nus, C. V. P. V. D. D. *communi voluntate publice votum dono dederunt* v. *dedicarunt*, D. S. P. F. C. *de sua pecunia faciendum curavit*, D. M. V. *Dis Manibus votum*, etc.

1) Indicem horum brevissimum habes in Champollion — Figeac *Résumé d'Archéol.* v. 2. p. 143; pleniorem dat Nieupoortii de antiquitatibus rom. libri *appendix de notis Romanorum sive siglis maxime memorabilibus*. Cæterum ejusmodi scripturæ compendia cum notis sive siglis confundenda non sunt; quatenus siglæ non tam ad litteras modo, quam ad alia breviantium signa referendæ.

426. Inscriptionum aliæ scriptura sola aut vetustate, aliæ argumento, eoque nomine publicæ fere magis, quam privatæ, memorabiles, e quibus innumeræ supersunt sepulchrales. In vetustissimis ponuntur: quæ (a. *U. C.* 494.) in basi Columnæ Rostratæ, sub Tiberio renovatæ 1), a. 1565. detectæ, mutila superstes 2); senatusconsultum de Bacchanalibus (§. 328.) a. 566. in tabula ærea, detecta a. 1640. Hanc ætate anteit minus nota inscriptio in L. Scipionem a. 495. Multo posteriora Monumentum Ancyranum, Augusti res gestas complectens, repertum a. 1553., et fasti Capitolini, tabularum ærearum, olim in Capitolio suspensarum, fragmina (v. §. 334.) Cæterum, ad hoc inscriptionis genus plures trahuntur reliquiæ, quas servatas veterum mori debemus leges et senatusconsulta æreis tabulis incidendi. E legibus sic integræ aut fragminibus superant lex *de civitate Gallis danda*, Lugduni a. 1529., lex *Galliæ Cisalpinæ* (post. a. U. C. 664.), a. 1760., lex *miscella Heracleensis* (post. a. 664.) a. 1732., e senatusconsultis *de imperio Vespasiani* (§. 220.), suspectæ fidei, medio sæculo 14. repertum, duo *de ædificiis negotiationis causa non diruendis*; alia, ut obligatio prædiorum s. tabula Trajani alimentaria, de quibus v. Hauboldi *Institt.*

J. R. litter. tom. I. p. 245. sqq., Beck *Grundriss der* Archæol. p. 110. sqq.

1) Cf. Suet. *Galba* 23. — 2) Ejus a P. Ciacconio suppletæ (*Thes. Græv.* v. 4, p. 1807) hoc initium : C. BILIOS. M. F. COS. ADVORSOM. CARTACINIENSEIS. EN. SICELIAD. REM. CERENS. ECESTANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISUMAD OBSEDEONE. etc. In queis e servata inscriptionis parte nil nisi litteræ A N O in voce ECESTANOS. V. Folieta, *de linguæ latinæ usu et præstantia*, l. 2, p. 155, ed. Mosheim. E verbis autem, quæ integra supersunt, *castreis*, *exfociont*, *cepet*, *enque eodem*, *navebos marid consol primos*, *navales primos ornavet*, etc.

427. A ceteris discernendæ inscriptiones numorum, sive monetæ proprie (§. 386–7.), sive eorum, quos memoriales vocant (*médaille, médaillon,* missilia, maximi moduli numismata.), nec ipsos, ut videtur, usu publico omnes exclusos, cæterum majoris moduli et æreos plerosque. Monetam distinguunt litteræ S. C., senatusconsulto factam indicantes, in æreis vulgo, in argenteis et aureis rarius occurrentes 1).

Cæterum latissime patet numorum doctrina: nos sequentia notamus. In numis Romanis distinguunt, ad quos etiam trahuntur nullum familiæ nomen exhibentes 2), consulares sive familiarum, et numos Imperatorum; illorum a Regibus expulsis, horum a principibus extrema libertate viris, Pompejo M., J. Cæsare, Antonio, aliisque deducta series per Cæsares extenditur 3). In signis autem numorum (notæ pecuniariæ), discernuntur pretium indicantia : in asse I, in semisse S (semis), in triente et minoribus puncta (globuli) pro numero unciarum; in sertertio II S vel H S, in quinario V vel Q, in denario X. In Cæsarum numis vulgo annus tribunitiæ potestatis, qui et imperii, indicatur. In iisdem ex altera parte (pars adversa, aversa s. postica) Imperatoris effigies; in consularibus nobilium familiarum stirpis auctor, velut in numis

gentis Juliæ Venus, in Calpurniæ Numa. In antiquissimis in altera parte animalia etiam et geminus Janus, in altera rostra navis vel ratis occurrunt. In reliquis signis bigæ, quadrigæ, dea Roma, Augustæ, Victoria, triumphi, ædificia (Capitolium, Naumachiæ, Circus, etc.) aliaque monumenta, emblemata, numinum, virtutum, publicæ prosperitatis, ut Pacis, Abundantiæ, Salutis, effigies, etc. Utque signorum, sic notarum, inscriptionum, sive aliarum sive signa interpretantium infinita varietas. A signis adpellantur victoriati, bigati, quadrigati; alia est nominis ratio in serratis, ab orbe serrato, incrustatis, subæratis (pelliculatis), exterius argenteis, viliore intus metallo, in iis denique, quos ab addito alius metalli circulo *contorniatos* vocant. 4)

1) Cf. Champollion-Figeac, *Archéol.* v. 2, p. 276. — 2) V. Millin, *introd. à l'étude de l'Archéol.* p. 294. — 3) De quo Champollion : — *ces personnages, César excepté, n'ayant exercé aucune autorité légale, leurs médailles seraient aussi bien placées parmi celles des familles romaines.* — 4) V. Ernesti, *Archæol. litter.* p. 52. Aliter Stieglitz, *Archæol. Unterhalt.* p. 50.

CODICES MANUSCRIPTI.

428. Inscriptionibus exigua pars veterum litterarum continetur, codicibus manuscriptis auctorum opera, omnium antiquitatis monumentorum longe pretiosissima, ad nos pervenerunt; a quibus per Europam vulgatis nova litterarum ætas statuitur.

Codicum, ut Græcorum, sic Latinorum, quamvis parva veterum litterarum parte servata, ingens copia superat; manetque, post opera typis excusa, multis nominibus pretium atque utilitas; ac hodieque ignotas hucusque veterum scriptorum reliquias vulgari interdum e codicibus, rescriptis s. palimpsestis maxime, videmus; e medio ævo

autem multi, non scribendi quidem arte, sed aliis de causis luce digni, in bibliothecis delitescunt. De vetustate vero codicum Latinorum, quod et de Græcis, constare videtur, non modo nullum classici auctoris manu exaratum, sed ne e classica quidem ætate, nisi paucissimos fortasse, de quibus controversia, superesse. Inter cæteros pauci sextum sæculum attingunt. Antiquiores litteris majoribus et forma, qualem vetusta monumenta numique exhibent, dignoscuntur, incerto tamen argumento, quoniam non raro vetustiorem manum multo recentior imitans expressit. Minorem utique ætatem, præter breviorem et alias corruptam litterarum speciem (§. 422.), produnt orationis per puncta et commata distinctio, diphthongorum contractio, aut, quod, sicut in Græcis accentus, recentioris consuetudinis, punctum in littera I. Ex breviori autem, ut vocant, scriptura fluxerunt litteræ Gothicæ, Longobardicæ, Francicæ, et si quæ sunt præterea. Cæterum sæculis nono et decimo tersior etiam et elegantior scriptura; exin litteræ crassiores et compendia, serius usque multiplicata, accedentibus, queis augetur lectionis difficultas, litterarum nimia extensione, otiosis lineis, et liberioris calami lusu.

429. In antiquissimis codicibus Latinis, inter quos ipsorum forma litterarum typis vulgati, memorantur Virgilius Florentiæ (codex Mediceus); Virgilius Vaticanus, sæculi quinti judicatus; Terentius Vaticanus, litteris quadratis, picturis personarum ornatus; codex Florentinus Pandectarum.

Absoluta, ut ita loquamur, litteraria, ex artium pariter antiquitate quædam adferimus, ita, ut, quemadmodum nec in illa litterarum, sic neque in hac parte artium aut *theoriam*, ut vocant, aut historiam doctrinamve tractare voluisse videamur; utrumque enim, ut sui constent antiquitatum studio fines, ab illis segregandum existimamus.

ARTIUM APUD ROMANOS RATIO.

430. Disciplinis plerisque inferiores Græcis Romani (§. 417.), artium, quas arctiore vocis sensu vocamus, diutius etiam quam litterarum rudes inveniuntur 1). Neque tamen aut architecturæ, (in quibus Capitolium, aquæductus, etc.,) aut plastices opera vel sub Regibus primove libertatis tempore memoranda defuere, et egregios viros statuis honoratos accipimus; verum, ut posteriore, sic magis illa ætate ab exteris, Etruscis præsertim et Campanis, artifices petiverunt. Postquam autem, latius patente imperio, priscum morem tum quoque servantes, undique terrarum, sed a Græcis præcipue, (Syracusis, Corintho, a Mummio spoliata, Macedonia 2), etc.,) et Asia innumera artium monumenta, sive urbi, sive, quod serius usu venit, privatis ædificiis villisque decorandis, Romam transtulere 3), victoriæ spolia vulgo ostentaverunt magis miratique sunt, quam ipsi artes coluerunt, Græcis artificibus hanc laudem tum quoque relinquentes; quorum magna Romæ copia, quippe crescente usque artium sive amore sive jactantia, quæ sub Cæsaribus ad summum progressa luxuriæ, fora, templa, porticus, circos, theatra, arcus statuis, picturis, pulcherrimis ex omni genere operibus replevit; nec minus multiplicata architecturæ, et in his plurima immensæ molis, quam hodie reliquiæ testantur, miracula.

Inter artes autem, quarum ex Romana antiquitate monumenta superant, memorandæ nobis veniunt architectura, pictura, et plastice, latiore vocis apud recentiores notione, qua glypticen et huic conjunctam numismatices partem quoque complectitur. Diversi prorsus generis, hoc potissimum loco ponendæ, musica et mimica artes.

1) Cf. Cic. *T. D.* 1, 2. — 2) Cf. Vell. 1, 11. — 3) Cf. Cic. *Verr.* 4, Juven. 8, 102,

— Cum Parrhasii tabulis signisque Myronis
Phidiacum vivebat ebur, nec non Polycleti
Multus ubique labor; raræ sint Mentore mensæ.
Inde Dolabella est, atque hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres, referebant navibus altis
Occulta spolia et plures de pace triumphos.

431. In plastica (πλάττω) sive fingendi arte, quod ad materiam, plasticen, sensu a veteribus magis usurpato, a sculptura, ab hac scalpturam, quod ad opus et formam, cælaturam et statuariam discernunt. Plastice argilla, creta, gypso, cera quoque et ære liquefacto fingens, in figlinam et statuariam dividitur; ad eamque pertinent plastæ, fictores, cerarii, statuarii; sculpturæ 1) durior materies, lignum, lapis, marmor, ebur; nonnulli tamen lignum proprie tribuunt, eoque trahunt sculptilia, qui, merito quæras, quodnam marmoris aut eboris fabro nomen quove jure vindicent 2). Scalptura ad incisa maxime cum aliis tum gemmis referri videtur 3). Cælatura autem sive toreutice 4) de incisis etiam figuris, sed frequentius et magis proprie de illo opere usurpatur, quod gallice vocamus *en relief* 5). Statuariam omnino ad statuas qualicunque materia referendam esse, vocabulum satis arguit, neque ad æreas aut solum aut præcipue, quod nonnullis placuit, quamvis ad fusas maxime, pertinere.

1) Ad hanc etymo quoque cognatam γλυφική, glyptice, a γλύφω, unde et γλυφεῖον; cognatum quoque γλάφω et scalpo, itemque γράφω et scribo. — 2) Cf. Heind. ad Hor. *Sat.* 2, 3, 22. — 3) Cf. Hor. *Od.* 3, 11, 51, Plin. 37, 1 et 10. — 4) A τόρος, τορεύω, cui radice et usu cognatum tero. Cf. *Evandri manibus tritum*, Hor. *Sat.* 1, 3, 91, ibique Heindorf. — 5) Cf. Schneid. *Lex.* in τορεύω.

432. De materia plastices 1), dubium non est, quin primo molliores adhibitæ, et sunt qui totius artis primordia

ab argilla ficta, quamvis non satis idonea ratione, repetiverint; perantiqua utique opera e terra cocta (*terre cuite*) plurima superant. Gypso primum in diætis et omnino parietibus (albarium, tectorium, marmoratum) decorandis præcipue utebantur. *Hominis imaginem gypso e facie ipsa* et *de signis effigiem* 2) primus expressisse fertur Lysistratus, Lysippi frater, idemque primus e cera, haud dubie mature a fictoribus usurpata, imagines fudisse 3); quales et Romæ nobilium fuisse constat (§. 132.) Inter metalla antiquissimus auri et argenti, sive in ductis sive in fusis operibus, et frequentissimus æris, (unde æs Deliacum, Corinthiacum; æra Myronis, etc.), serior ferri usus. In sculptura autem cum universa tum statuarum prima materies haud dubie lignum; quales Olympicis victoribus initio positas accipimus; et numina mos fuit ex arbore ipsis sacrata sculpere. Inter ligna usitatiora memorant ebenum, ficulnum, cupressinum, cedrinum, acernum, buxum. Posterior, vetustissimus tamen, lapidum et eboris usus 4), florente apud Græcos sculptura, in colossis etiam, ut a Phidia in Jove Olympio, adhibiti. E lapidibus nobiliores marmora 5), Parium, Pentelicum, Spartanum, Phrygium, Carystium, Coraliticum, Augustum, Tiberium, etc. 6), porphyrites, *alabastrites* 7), *granites*, (e quo obelisci excisi,) ab Ægyptiis, basaltes, ab iisdem et Græcis præcipue usurpatus. Lapidea quoque plerique existimant fuisse pretiosissima apud veteres vasa, quæ murrhina vel murrhea, et sæpe ipsius materiæ nomine murrhæ (myrrhæ) adpellantur 8). Denique et vitri (*pâte antique, verre antique*), præsertim in vasis cælatis, et antiquissimus usus.

1) Cf. Plin. 35, 12. — 2) Plin. 35, 12: *Crevitque res in tantum, ut nulla signa statuæve sine argilla fierent.* — 3) Cf. Plin. 35, 12. — 4) Cf. Juven. 8, 103, *Phidiacum vivebat ebur.* — 5) Quorum alia sculpturæ,

alia ædificiorum, ut porticuum et balneorum, splendori aptiora; quo trahenda Stat. *Sylv.* 1, 5, 34, *Non huc admissæ Thasos, aut undosa Carystos. Mœret onyx, longe queriturque exclusus ophites. Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis Purpura*, etc. Cf. ib. 1, 2, 148, 4, 2, 26. — 6) V. Excurs. 4. ad Ernestii *Archæol. litt.* edit. Martini. — 7) *Alabastron*. V. Schneid. *Lex.* *ἀλάβαστρον*, Plin. 37, 10. — 8) Cf. Prop. 4, 5, 26, *murrheaque in Parthis pocula cocta focis*, Plin. 33, præf., 37, 2, Juven. VI, 155, Mart. 10, 80, 1, Suet. *Aug.* 71. E murrha bibere, Mart. 4, 86, 1.

433. Inter statuas magnitudine insignes colossi vel statuæ colossales (colossus Solis Rhodius, Neronis; Jupiter Olympius, etc.), quales Romæ multi 1). Minutæ vulgo sigilla vocantur; iconicæ (imagines, simulacra), quas gallice dicimus *portraits*, cujus generis et dimidiatæ effigies (*προτομή*, *buste.*) Distinguuntur præterea pedestres, equestres (celeres), athleticæ, bigis quadrigisve insistentes, nudæ, palliatæ, togatæ, paludatæ, barbatæ, imberbes, litteratæ, addita inscriptione, etc. Coloratæ quoque haud raro et ligneæ et marmoreæ, sive integræ, sive partes, velut capilli, æreæ autem frequenter auratæ. Oculi interdum gemmei aut argentei inserti. Singularis species hermæ, in cubo vel pila quadrata caput solum, aut cum pectoris parte exhibentes, aut brachiis quoque, quod serius usu venisse volunt, adjectis, et ad crura elaborato corpore. Mos etiam binas aut ternas adeo facies, sive easdem sive diversas uno in trunco conjungere, cujus generis occurrunt Hermathenæ 2).

1) V. Pit. in *Col.* — 2) Cf. Cic. *ad Att.* 1, 4.

434. Exstantibus sive eminentibus figuris opera cælata Latinis dicuntur; cæterum, quæ hoc nomine memorata occurrunt, pleraque metallica inveniuntur, ac sunt, qui, repugnante tamen vocabuli etymo, metallica proprie sic adpellata velint, sive ducto sive formis infuso metallo elaborata, quæ quidem sola Græcis toreumata vocata esse, post

alios demonstravit 1) Heyne 2). Quod si autem cælata prorsus metallica tantum ejusmodi opera adpellata sint, quæramus sane, quo potissimum nomine reliqua, velut marmorea, vitrea 3), aut lignea etiam gypseave sint adpellanda; magna enim in illis materiæ varietas. Cæterum, duplex cælaturæ species, altera eminentioribus, supra planum convexumve, aut parte etiam sejunctis (περιφανῆ, ἔκτυπα; *haut relief, relief entier*), altera minus eminentibus figuris (ἀνάγλυφα πρόστυπα, *demi-rélief, bas-relief*. Usus utriusque generis multiplex, sed solennis in ædificiis, arcubus, sepulchris, lucernis, armis, vasis. Ad linguæ usum cælatum opus, æs, aurum, etc., cælatum in ære, in scypho, in clypeo; argento, etc., cælatum. Opera cælata et parva innumera, et grandiora etiam non pauca ex antiquitate supersunt, alia vetustate, alia arte magis aut argumento memoranda; in his quæ columnam Trajani ornant.

1) Cf. Cic. *Verr.* 2, 52, 4, 18. Possis tamen dubitare, an unquam metallum modo cælatum toreuma vocatum sit. Nam Plinii ætate toreutices vocabulum vix ullo materiæ discrimine, nec de exstantibus modo, sed de incisis etiam figuris usurpatum esse, multis locis intelligimus; e quibus ambiguum Mart. 4, 39, 4, et 10, 87, 16, *Phidiaci toreuma cæli*. Figlini operis apud eundem toreuma, 4, 46, 16, et 14, 102, *toreuma rotæ*. — 2) *Antiq. Ausfætze* p. 2. p. 127. V. Schneid. *Lex.* in τορεύω. — 3) Cf. Hor. *Sat.* 1, 3, 91, Mart. 12, 70, 9.

435. Exstantibus figuris opponuntur incisæ sive inscalptæ, cælatis, latiore vocabuli significatione, adnumerandæ. Harum et alias frequentem usum fuisse, res ipsa fert, sed præcipuus in vitro, metallo et gemmis. De quibus superest ut paucis defungamur; nam de numis supra, quantum proposito nostro satis, diximus. Gemmarum scalptarum alia species figuris, quo et scarabæi, ingenti numero superstites, trahendi 1), eminentibus (cælatæ, ectypæ, anaglyphicæ, *camée*), alia inscalptis (*gravé, taillé en*

creux). quas diaglyphicas (*διαγλυφα*, *ἐγγλυφα*) vocant antiquarii. Hujus generis vulgaris in annulis ad signandum usus 2); quo referenda *σφραγίς*, *δακτύλιος*, *δακτυλιογλύφοι*, gemma annularis, annulus impressorius, gemma uda 3), etc.; ectypæ ad ornandum aptiores, in vasis, unde vasa gemmata 4), nec minus in veste, et maxime mulierum, velut in cingulis, limbis, armillis, fibulis, frequentes. Græcorum artificum in gemmis scalpendis miram excellentiam vetustissimæ multæ testantur; nec in ulla artium parte major Romanorum, quam in dactyliothecis colligendis, curiositas, quæ Romæ plures memoratæ; in iis Mithridati a Pompejo M. erepta et in Capitolio Jovi dicata.

1) Millin, *introd. à l'étude de l'archéol.*, p. 152, *on peut regarder la partie supérieure des scarabées qui est en relief, comme de véritables camées.* Cf. Champollion, *Résumé d'Archéol*, v. 2. p. 11. — 2) E libris huc trahendis Gorlæi *dactyliotheca*, cujus omnes fere annulorum gemmæ incisæ. — 3) Ovid. *Am.* 2, 15, 16, *neve tenax ceram siccaque gemma trahat*, *humida formosæ tangam* (annulus) *prius ora puellæ.* Idem *Trist.* 5, 4, 5, *nec, qua signabar* (epistola), *ad os est ante, sed ad madidas gemma relata genas.* — 4) Gemma de vase quoque, ut *gemma bibere* (Virg. *Georg.* 2, 506.), *murrheus onyx*, Prop. 3, 8, 22.

436. Argumenti in utraque gemmarum specie infinita varietas, sed annularibus et multo majores et majori figurarum numero inveniuntur cælatæ, in quibus occurrunt a pisi ad palmæ magnitudinem 1). Nec in lapide legendo tam pretium quam alia spectabant, artem potius quam materiam æstimantes. Igitur duritie tractabiliores 2), et pellucidas (crystalla), in quibus opalus, chalcedonius, chrysolithus, smaragdus, beryllus, inprimisque onyches, sardas (carneolus), achatas et iaspidas amabant, cæterum, colorum quoque cum nitorem tum varietatem spectantes; qua quidem gemmas crustis compositas (onyches, sardonyches, etc.) scalpentes mirifice utebantur. Denique et

minutissimos lapillos interdum legebant, figurarum in angusto spatio multitudine incredibilem difficultatem exhibentes, accurate expressis, quæ vix intento oculo distincte adparεant; unde microscopis artifices carere prorsus non potuisse, fuere qui contenderent. Hæc de plastica, in qua antiquitas 3) inprimis mirata est Phidiam, Polycletum, Alcamenem, Agoracritum, Scopam, Praxitelem, Myronem, Lysippum, Mentorem: quorum ex parte nomina ad triplicem indolem, sive, ut dicere consuevimus, stylum referuntur, rudiorem primum et abnormem, dein, Phidiæ et Polycleti, grandem, sed priscæ etiam asperitati propiorem, postremo, Lysippi, venustum et mollem; de quo ad satietatem jam repetita artium magistri.

1) Cf. Millin, *introd. à l'étude de l'archéol.*, p. 201, ubi omnium maxima gemma sardonyx Tiberii, et p. 204, ubi picturis similes vocat. — 2) Adamanta an veteres scalpserint, dubitatum: negat Millin, p. 113, falsarios, addens, scalptos quosdam pro antiquis venditasse. — 3) V. Plin. 36, 5.

PICTURA 1).

437. In pingendi autem sive graphica 2) arte, a lineari, quo trahitur græcum μονόγραμμος 3), distinguitur coloribus et penicillo naturam imitans; illius initia ab umbra rei pingendæ graphide circumscripta 4) deducunt. Colores 5) primum singuli ad singulas figuras, μονοχρώματα 6), in quibus minium (cinnabaris, rubrica, μίλτος), paulatim plures, sed diu non nisi quatuor 7) iique simplices et severi adhibiti, niger, atramentum, ruber, sinopis Pontica, albus, melinum, gilvus, sil; serius lætiores; unde duplex veteris picturæ genus 8). Colorem aut aqua simpliciter subigebant, aut aliis liquoribus, velut aceto, admistis; recentior olei usus. Cera quoque pinxisse veteres constat, alias inurentes, unde encaustum, encausto pingere 9),

alias liquefacta, penicillo, ut in colore, utentes, quo vox κηρόχυτον; sed utriusque rei et discriminis obscura ratio 10). Alia encausti in ebore species, graphide ardente sulcis, colorem 11) recepturis, expressa figura, quo cestrum, cestro pingere, cestrota, κέστρωσις 12).

1) Sculpturam et picturam apud Græcos paulatim perfectas principesque artifices et inclyta opera, veterum notitias et judicium referens, paucis versibus in *Arte Græcorum*, argumenti etiam causa lectu dignissimis, inclusit A. G. Schlegel, quos, carmen integrum vertentes, sic Latinos fecimus:

Quum, pauco tabulas variante, colore nec Indo,
Nec paries claro murice dives erat;
Auroræ veluti lætum, Polygnote, severo
Spargebas, motus nec procul atque venus.
Nuda juvat Zeuxin lectis componere membris
Corpora, dia quidem, mens tamen usque silet.
Mollis in extremis, oculos fallentibus umbris
Parrhasii circum forma rotunda trahit.
Ingeniose, tegens, Timanthe, condita prodis!
Tristia, Aristides, motaque corda refers.
Sed nimium reverente manu perfecta veretur
Linquere Protogenes; hunc teretesque magis
Audacesque docet motus, cui gratia palmam
Mirandos inter detulit artifices.
O tua, ubi Macedo, qui fulmina vibrat, Apelle,
Aut tibi quæ pictam junxit imago toro?
Quæve mari subito elatam rorante capillo
Demersit teneram sæva procella deam?
Scilicet ars, oculos specie quæ mulcet inani,
Temporis illa ferat cuncta terentis onus!
Non solida quoque materie monumenta sororis
Rapta simul longa sunt simulacra die?
Phidiaco licet illa ferox rueritque tremenda
Vertice, pectoribus Gorgona, virgineam
Sphinga gerens galea, mortalis nata parentis
Busta subit Pallas non loca digna diis.
Tum pretiosa legens juvenili plastica flore
Poscebat: fastum vincere materiæ

Ausa, giganteas elephanto auroque figuras
Velabat: gemmæ, fulmina bina, micant
Fronte sub augusta, metuendæ lumina divæ;
Sed terrestre brevi fert decus exitium.
Multa quidem ambitiosa minus periere, vel ære
Fusa, vel e Pariis marmora viva jugis.
Non, tibi quæ normam doluit natura dedisse,
Corporis harmoniam nunc, Polyclete, doces.
Nec tua succenset Nemesis, Agoracrite, certans
Alcamenis palmam quod Cytherea tulit.
Nusquam Baccha Scopæ non Bacchi plena vagatur;
Nusquam spectantum corda Cupido petit
Pulchre subridens jaculo, quo læsus et ipse
Praxiteles Phrynæ finxit amore deum.
Ecqua gregemque ducemque moratur vacca Myronia,
Lysippive fremens surgit aenus equus?
Ecquis adhuc, mollis quam circum spirat acanthus,
Mentorea phiale Lesbia vina bibit?

2) γραφικὴ, a γράφω, unde et γραφὶς, graphis, idem de stylo et de arte delineantis (*dessin*). Plin. 35, 10, de Parrhasio, *alia multa graphidis vestigia exstant in tabulis ac membranis ejus.* — 3) Cf. Jun. *de Pict. vet.* 3, 2, 12. — 4) Cf. Plin. 35, 3. — 5) Cf. Stieglitz, *archæol. Unterhaltungen*, p. 130-165, *Malerfarben der Alten.* — 6) Cf. Plin. 35, 7, 35, 3, 8 et 9, ubi de Zeuxide, *pinxit et monochromata ex albo.* — 7) Plin. 35, 7, *quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecere, ex albis melino, ex silaceis Attico, ex rubris sinopide Pontica, ex nigris atramento, Apelles, Echion, Melanthus, Nicomachus, clarissimi pictores:* ubi Apellem et Nicomachum vetustioribus male commistum esse, monet Stieglitz. Cic., *Brut.* 18, *similis in pictura est ratio, in qua Zeuxin et Polygnotum et Timanthem, et eorum, qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas et lineamenta laudamus.* — 8) Cf. Cic. *de Orat.* 3, 25; *Orat.* 50. — 9) Cf. Plin. 35, 11, 36, 25. — 10) Rem illustrare conatus Fr. Aug. Walter, in *die wiederhergestellte Mahlerkunst der Alten* (Berlin, 1820), pag. 44. sqq.; qui *causin* et *encausin*, *inurere*, distinguens, inter alia, conflaturam (*Einschmelzung*) modo ceræ, non verum inurere (*Einbrennung*), quo deleri eam necesse sit, concedi, neque adeo aut in *caustica* aut in *encaustica*, quod proprie dicitur inurere, usurpatum esse. — 11) Quem tamen in cestrotis nullum occurrere, asserit Stieglitz. — 12) Cf. Plin. 11, 37, 35, 11.

438. Picturarum, si non, ut multis placuit 1), antiquis-

simus, certe frequens usus in parietum et camerarum tectorio, cera interdum contra solis humorisque vim obducto. Cujusmodi picturæ vulgares in templis, monumentis, in privatorum quoque diætis, quales Herculanenses. Frequentes item picturæ in vasis figlinis (*vases peints*), Græcis, Etruscis, quod superantes testantur; rariores in vitro, in marmore, et, sub Nerone memoratæ, in linteo 2); denique vulgares, unde tabularum et tabellarum nomen traxere, in tabulis picturæ, quas maxime dolendum est nullas ad nos pervenisse. Diversæ prorsus, neque huc trahendæ (§. 382.) textiles 3), diversæ etiam musivo opere, ut pavimenta, compositæ (§. 462.)

1) De quo Stieglitz, p. 157, picturas in templis et porticibus, teste Bœttigero, non in pariete, sed in tabulis ligneis fuisse (cf. Plin. 35, 10), veramque his partam pictorum gloriam; parietes posterius pictos, quum publica imitari privati in diætis ornandis cœpissent, etc. — 2) Cf. Plin. 35, 7. — 3) Cf. Lucr. 2, 35, Cic. *Verr.* 4, 1.

439. Cæterum, picturæ multis nominibus distinguuntur, velut catagrapha (*en profil*), chorographica, et, a sordidis vilibusve rebus, rhyparographa 1). Diversa distinctio a charactere sive *stylo*, ut vocare consuevimus, pendens, qua Asiaticum ab Helladico genere (schola), posterius vero insuper Ionico, Sicyonio et Attico discernunt. Ad rudia artis primordia pertinent, quæ diximus, monochromata; quod genus post a summis quoque pictoribus excultum 2). Perfectior ars apud Græcos a Polygnoto repetitur, quem secuti Apollodorus, Zeuxis, Parrhasius, Timanthes, Aristides, Protogenes, et summum attingens Apelles. Romæ antiquiorem picturam, sive ab Etruscis sive e Magna Græcia inductam, non contemnenda opera testabantur 3). Græcas tabulas, ut vulgo narrant, Corintho primus attulit Mummius; post, ut cætera artis monumenta, innumeras Græciæ

Asiæque victores. Artem sua ætate morientem adpellat Plinius.

1) A ῥυπαρός, sordidus. Plin. 35, 10, *tonstrinas sutrinasque pinxit et asellos et obsonia, ac similia, ob hoc cognominatus rhyparographos.* — 2) Cf. Plin. 35, 9. — 3) Cf. Plin. 35, 4.

ARCHITECTURA.

440. Tardius, quam pictura, Romæ degeneravit architectura, eadem, ut sculptura, a Græcis perfecta. Horum atque Ægyptiorum vetustissima artificiosæ structuræ initia memorant, diverso genere exculta. Ægyptiam simplicem et mole stupendam Oriens magis imitatus; Græca, pulchritudinem et gratiam simplicitati jungens, Romæ, sed postremo demum libertatis tempore, primum in publicis, mox in privatis etiam ædificiis usurpata, quæ constat apud Græcos, florente jam architectura, diu simplicissima mansisse, postea quoque interno magis quam externo ornatu conspicua. Romæ autem congestis mundi opibus, mira fuit privatorum, ut in cæteris, ita in ædificando luxuria.

441. Singula ædificia quod attinet, circos, theatra, amphitheatra, templa, thermas et domos privatorum aliis locis attingimus. In principum autem domibus Homero jam memorata atria et porticus, quæ publicis etiam ædificiis, partim usui partim magnificentiæ causa, addita. Porticuum multiplex distinctio, velut duplices, triplices, milliariæ, basilicæ, regiæ, marmoreæ. Gravissima autem pars veteris architecturæ triplici columnarum ordine, Dorico, Ionico et Corinthio, continetur. Columnæ partes basis (spira) cum stylobate, in basi scapus, in scapo capitulum, in capitulo abacus. Columnis sustinetur trabeatio, trifariam divisa (epistylium, Zophorus, corona.), intermedium binis spatium intercolumnium. Ordinum antiquissimus idemque simpli-

cior Doricus; Ionicus graciliori columna, voluto capitulo; postremus tempore Corinthius, capitulo altiore, foliis, acanthi imprimis, in calathi speciem ornato 1). In antiquis columnarum ordinibus etiam Tuscanicus, Dorico proximus; recentior Italicus, ex Ionico et Corinthio mixtus. A columnis differunt parastatæ (parastatica, *pilier, pilastre*), inter quas antæ quoque discernuntur 2). Ab utrisque diversæ columnarum vice fungentes figuræ humanæ, e quibus viriles Telamones et Atlantes, fœminæ, ut mulieres stolatæ, proprie caryatides vocatæ 3).

1) Discrimen ordinum in Schlegelis *Arte Græcorum* sic expressimus:
Simplice Dora gravis, mollis stat Iona voluto,
Fert Ephyres cinctum fronde columna caput.
2) Vitruv.: *Trabes supra columnas et parastaticas et antas ponuntur.* — 3) A Cariis, oppido Laconiæ, cujus virgines caryatides adpellatæ. Cf. Vitruv. 1, 1.

MUSICA ET MIMICA.

442. Musicæ vocabuli latius patet in Græcorum sermone, quam in recentioribus, notio. Nam et concentum sive harmoniam significat, quo sensu veteribus probata Pythagoræorum musices in divinam et mundanam sive terrestrem distinctio, et non ad artem modo, instrumentis, ut vocamus, musicis utentem, sed omnino ad motus sonosque ad numerum sive rhythmicam legem compositos, ideoque ad poesin, saltationem et mimicam refertur; unde musica orchestria, hypocrita, rhythmica, etc. De musica autem, quo nunc sensu dicitur, nos, artis et cæteram et technicam rationem, ut extra fines muneris nostri posita, mittentes, hæc tantum notamus. Singularem in Græcis musices amorem, et solennem in religiosis cæremoniis, in conviviis, in scena usum, miram item et vix credibilem in animis permovendis vim scriptores testantur. Sed qualis, et quo potissimum

discrimine a recentiorum musica diversa fuerit, difficillima, certe contrariis sententiis hodieque acriter agitata quæstio, aliis veterem, aliis recentiorem longe præferentibus. Simpliciorem tamen fuisse veterem, inter omnes convenire videtur. Romæ autem musices, quin necesse sit ab Evandro, Arcade, in Latium introductam, Dionysio Hal. (I, 33.) credere, antiquissimo tempore in bello et in sacris usus (§. 144 et 329.) certis argumentis confirmatur, sive e magna Græcia eam, sive ex Etruria potius repetimus. Seriore ævo cum litteris artibusque et musica Græcorum, a tenuissimis illa initiis paulatim magnopere exculta, inter Romanos vulgata est. Ipsi musicam nec contemsere, nec perinde atque Græci amavere, nec vero ab iis acceptam rationem multum perfecisse reperiuntur.

443. Apud Græcos autem simplicissimam olim fuisse, systemata ab iis usurpata arguunt. Ex his antiquissimum tetrachordo continetur; heptachordi Terpandrum, octachordi Pythagoram auctorem ferunt. Posterius multo obtinuit, quod perfectum et maximum vocant, duodeviginti sonis compositum. Modi (νόμοι, ἁρμονίαι) antiquitus tres; summus Lydius, medius Phrygius, infimus Doricus; post, auctiore systemate, plures accesserunt 1). Organa sive instrumenta musica apud Græcos multa, partim ab ipsis inventa, partim ab exteris accepta, memorantur. Hæc ad tria genera referunt antiquarii, quatenus alia inflantur, alia chordis constant, alia ab utrisque differunt: cujus generis, (a τύπτω, *pellere, tundere,*) tympanum, unde tympanizo, tympanista, tympanotriba, crotalum, unde crotalistria, cymbala, unde cymblista, cymbalis, cymbalistria; quæ omnia 2) solennia in Cybeles sacris (§. 328.) Nec alio trahenda Ægyptiorum Isiaci cultus (§. 306.) sistra (crepitaculum), lamina oblongam in figuram curvata, trajectis per medium

virgulis, constantia 3). Ad sonum sistra crepitantia 4), tinnula, garrula, multisona, ad motum sistra quatere 5), concutere. Diversus tintinnabulorum usus.

1) Cf. Plin. *H. N.* 7, 56. — 2) Lucret. 2, 618, *tympana tenta tonant palmis, et cymbala circum concava, raucisonoque minantur cornua cantu, et phrygio stimulat numero cava tibia mentes.* — 3) V. Apul. *Metam.* l. 9. Cf. Virg. *Æn.* 8, 696, Prop. 3, 11 v. 9, 43, Tib. 1, 3, 23. — 4) Prop. l. c. *Romanamque tubam crepitanti pellere sistro.* — 5) Mart. 14, 54, *hæc quatiat tenera garrula sistra manu.*

444. Chordas habent lyra, ad quam πήχεις, cornua, transtillum, pons 1), eadem chelys, et Latino vocabulo testudo dicta 2), cithara (φόρμιγξ), a lyra, non satis perspectum, quomodo, et an forma tantum discrepans, barbitos cum utrisque sæpe confusa, cæterum multis chordis. Rarius occurrunt trigonum, et, triangula pariter forma, sicque *harpiæ* comparata, psalterium et sambuca, quo referuntur psallere, psaltes, psaltria, psalmus, sambucistria, sambucina; raro et nablium 3). Chordæ, nervi, fides, fila, unde fidibus canere, fidicen, fides Latinæ, Æoliæ, etc., digitis aut plectro sive pectine, aut utroque simul movebantur, unde pellere, pulsare, ciere, sollicitare nervos, stamina, fila, etc. In Organis flatu sonantibus numerant, quæ hydraulica (ὕδραυλις, *Wasserorgel*), tanquam aqua, in tubis aere impulsa, canentia, adpellantur; quorum variæ species et obscura descriptio 4). E cæteris nota tibia (αὐλός), fistula, tuba, buccina, cornua, lituus. Tibiæ (§. 329 et 354.) solennis imprimis et plurimus apud Græcos Romanosque usus 5), ab eoque, nec minus a forma 6) aliisque causis multiplex distinctio: tibia ossea, buxus, etc.; recta, longa, curva, cava; Phrygia sive Idea 7), Dorica, Lydia; tibiæ ludicræ, sacrificæ, præcentoriæ, nuptiales, vascæ, dextræ, sinistræ. E sermone insuper huc trahenda: tibia canere,

unde tibicen (αὐλητής), cantare, tibiam inflare, digitis pulsare, etc. Inter fistulas notissima pastoritia, quæ Græcis syrinx, eademque δόναξ et Latinis calamus, arundo, avena vocatur, pluribus e calamis, in latum, minori a primo ad extremum longitudine, conjunctis, velut apud Virgilium *disparibus septem compacta cicutis* 8).

1) Cf. Cic. N. D. 2, 59. — 2) Cf. Hymn. Hom. *in Merc.*, Hor. *Od.* 1, 10, 6, 3, 11, 5. — 3) Cf. Ovid. *Am.* 3, 3, 27. — 4) Cf. Petron. 36, Suet. *Claud.* 21, *Nero*, 41 et 54, Simpl. comm. ad Arist. *Phys.* 4, 8, Schneid. *Ecl. Phys.* p. 280. — 5) Ovid. *Fast.* 6, 659, *Cantabat fanis, cantabat tibia ludis, cantabat mœstis tibia funeribus.* Quint. 1, 8, *sed veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit.* Cf. Flor. 2, 2. — 6) Cf. Hor. *A. P.* 201, Ovid. *Fast.* 6, 697, Quint. 1, 11, 17. — 7) Cf. Lucret. 2, 620. — 8) Cf. Virg. *Ecl.* 2, 36, 3, 25, Tib. 2, 5, 32, — *calamus cera jungitur usque minor*, Lucret., 4, 590 — *quum Pan — unco sæpe labro calamos percurrit hiantes*, Ovid. *Met.* 13, 784.

445. Tubæ, quæ Græcis σάλπιγξ 1), ut hodie, vulgaris usus in proclamando, indicendo, signis dandis (σημαίνειν), ideoque præsertim in bello (§. 368.), unde belli, pugnæ, ut in *ante tubas*, et heroicæ etiam poesis, sicut avena humilioris, significationem habet. Ad linguæ usum tuba canere, tubicen, tuba signum dare, committere; tubæ clangor, cantus, raucitas, fractus sonus, tuba floralis, funerea 2). Cornuum pariter in bello 3) præcipuus usus: ad alios pertinet cornu pastorum 4); in sacris Cybeles 5); in funere 6). Buccina (bucina, βυκάνη), cujus in castris usum attigimus §. 368, dubium, directane etiam, an, quod citius crederem, semper incurva fuerit 7). Lituus, bello tantum, ut videtur, usurpatus, usu a tuba et buccina distinguitur; incurvum fuisse nomen, a similitudine cum Augurum lituo (§. 319.) datum, declarat.

1) Tuba directa. V. Ovid. *Met.* I, 98. — 2) Cf. Horat. *Sat.* 1, 6, 42, Prop. 2, 10, 20, *nec tuba sit fati vana querela mei.* — 3) Cf. Cic. *p.*

Syll. 5, Hor. *Od.* 2, 1, 17, Virg. *Æn.* 7, 615, Tac. *Ann.* 1, 68, Stat. *Theb.* 8, 342. — 4) Cf. Virg. 7, 513. — 5) Cf. Lucret. 2, 619. — 6) Cf. Hor. l. c. — 7) Cf. Varro *de R. R.* 2, 4, 3, 13, Prop. IV, 10, 29, *pastoris buccina lenti*, 4, 1, 13, *buccina cogebat priscos ad verba Quirites*, Ovid. *Met.* 1, 335.

446. Musices partem diximus mimicam, vulgo musica temperatam, in scena solennem (§. 354.); eadem aut agentis, mimi, voce conjuncta, aut muta, aut ad alterius recitationem composito gestu; quo trahenda pantomimus, *βαλλισμός*. Inter actores celebrati Roscius, Bathyllus, Pylades. Mimices pars veterum artificiosa saltatio, in theatro pariter, nec minus in conviviis usitata (§. 470.) Hujus alia species bellica sive armata (*ἔνοπλος*), qualis frequenter memorata pyrrhicha 1); alia, quo referendi videntur planipedes 2) et (§.354.) comœdia planipedia 3), proprie mimica, naturæ humanæ imitatrix; cujus partem faciunt chironomiam 4). Cæterum multiplex apud Græcos saltationis et nominibus et generibus distinctio.

1) Cf. Plin. 7, 56, Suet. *Cæs.* 39, *Nero* 12. Pyrrhicharii, Ulpian. *Pandd.* 48, 19, 8. — 2) Cf. Juven. 8, 191. — 3) Cf. Lyd. 1, 40, qui planipedariam vocat. — 4) Cf. Juven. 5, 121, Quint. 1, 11, Sidon. Apoll. *Ep.* 4, 7.

SECTIO II. CAPUT II.

MORES ET DOMESTICÆ VITÆ CONSUETUDO.

447. In populorum aut civitatum more alia ab institutis publicis, alia magis a privato arbitrio pendent: illa in Romanorum antiquitatibus priore operis nostri sectione continentur, hæc, arctiore vocabulorum significatione, consuetudo, mores, usus vocata; quæ nos, deinceps cursim expositori, ad vestes, domos, victus et vitæ quotidianæ rationem, lusus, connubia et divortia, liberorum institutionem, funera, nomina et gentes, servorum familias et munera referimus.

VESTES.

448. Vestes in casta et sobria Roma paucæ, ut victus moresque, simplices, materia, colore, ornatu; et miti sub cœlo minor frigoris arcendi cura. Igitur antiquitus duæ eæque laneæ, utriusque sexus memorantur, tunica et toga; post viris propriæ, ita tamen, ut, labente jam morum severitate, e mulierum habitu multa ad virilem traherentur. Lineæ vestes, antiquissimæ apud Ægyptios Asiæque populos, atque hinc mature a Græcis mutuatæ, Romæ ab extrema demum libertate frequentes, antea sacerdotibus fere relictæ videntur 1). Lini nobilioris, quamvis de omni quoque usurpatum, carbasus 2), unde carbaseus, carbasineus, carbasina, carbasina vela 3), carbasa navium; nobilioris etiam byssus, βύσσος, et sindon, σινδὼν, σινδόνη; sed eas

a bombycinis sive xylinis 4) ne veteres quidem, opinor, semper satis distinguunt. Cæterum ex utroque genere aliæ viliores, aliæ tenuitate, colore 5), textura pretiosissimæ, Romæ autem sub Cæsaribus vulgari apud divites usu 6). Nec vero rara tum texta a voce *ser*, *σηρ*, gentis (Seres) et bombycis (*ver à soie*) nomine, serica 7), a bombyce autem bombycina adpellata, ad quorum speciem metaxæ quoque vocabulum trahitur. Serica et cum byssinis xylinisque confusa, et ab nonnullis a bombycinis distincta inveniuntur 8), quæ vox, ut bombyx, ad gossypion quoque refertur 9).

1) Cf. Plin. 19, 1. — 2) Cf. Plin. ib., Prop. 4, 11, 54. — 3) Tib. 3, 2, 21. — 4) E gossypio, *coton*, cujus arbor xylon, unde xylinum, *de coton*, eademque ἐριόξυλον vocatur. — 5) De vestium coloribus insignis locus Ovid. *de A. A.* 3, 169. sqq. — 6) Cf. Mart. 2, 16, 3, 4, 19, 12. — 7) Hinc et holoserica, ut stola, Varro ap. Non. 14, 6, vestis, Vop. *Aurel.* 45, *Tac.* 10, Symm. *Ep.* 4, 8. Cf. Lampr. *Heliog.* 26. — 8) Ulp. *Pandd.* 39, 4, 16, §. 7, *Cod. Just.* 11, 7, 10. — 9) Cf. Prop. 4, 8, 23, 1, 14, 22, *variis serica textilibus*, Mart. 9, 38, 3, 11, 28, 11, Hor. *Epod.* 8, 15. — 10) Plin. 19, 1, *similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur.*

449. Toga (tegumentum, a *tegere*), a Græcis τήβεννος adpellata, pannus amplus, ut plurimi, quadrata, ut multi voluere, vel prorsus vel ex parte rotunda, ut nobis vero propius, inter quadratam et rotundam variante forma 1), ab humero sinistro corpori circumjecta, libero brachio dextro, altera quoque parte sinistrum humerum simulque brachium, vel integrum vel superius tegebat. Sic maxime statuendum e statuis togatis judicanti 2). Sed non levior de induendi ratione quam de forma 3) togæ controversia fuit; quo libentius utramque et tempore et gerentium arbitrio variasse existimes. Fuere, qui cum Oct. Ferrario 4) contra Alb. Rubenii sententiam 5), ab imo ad pectus clausam,

consutam scilicet, sicque indusiis nostris non absimilem fuisse contenderent; manuleas, manicas, tamen, dubito, an quisquam præter Crinitum 6) dederit. Cincta etiam, necne fuerit, multis quæsitum. Qui clausam prorsus volunt, eos crederes non reputasse, publice, non domi toga usos Romanos, neque magis, quam variæ sunt hodie palliorum formæ, operariam hanc vestem, sed decoris potius fuisse, quominus exiguum ejus rure usum miremur 7).

1) Quint. 11, 3. : *Ipsam togam rotundam esse, et apte cæsam velim*, etc. — 2) Cf. *Thes. Græv.* v. 6. p. 578. 620. 1019. Cf. Quint. 11, 3, Tertull. *de Pallio* c. 5. — 3) Utrique conveniunt verba injicere, amicire, amictus, περιβάλλειν, περιβόλαιον. — 4) *Thes. Græv.* v. 6. p. 620. 690. sqq. 1050. — 5) Ib. p. 1019. sqq. — 6) V. ib. p. 1015. — 7) Cf. Juven. 3, 171.

450. Laneam vulgo fuisse togam, constat; cæterum, tenuitate, colore et ornamentis, pro personarum ætate, gradu, conditione, varia, velut: toga crassa 1), pinguis 2), alba (albatus), candida (cretata, §. 184.), pulla (pullatus), atra, sordida, squalida (§. 277.), virilis (pura, libera), prætexta, unde prætextatus 3), impuberum et magistratuum majorum, picta, palmata, §. 378. 4). Ad habitum pertinent: restricta, fusa 5), laxa, demissa; sinus, umbo 6), cinctus Gabinus 7). A toga Romani togati, gens togata 8), unde fabula togata (§. 354.), togatarius, Gallia togata, etc. ut Græci a pallio palliati vocantur 9). Eadem urbanæ, ut sagum militaris, vitæ et administrationis indicium (§. 368.); hinc togatus de magistratu urbano, de judice, patrono, etc. 10); diverso sensu togati clientes, togatuli, et similia.

1) Hor. *Sat.* 1, 3, 15. — 2) Cf. Suet. *Aug.* 82. — 3) Cf. Juven. 2, extr. — 4) Cf. Mart. 7, 1, 12. — 5) Cf. Juven. 10, 38, Cic. *Cat.* 2, 10, — *manicatis et talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* — 6) Cf. Pers. 5, 33. — 7) Cf. Virg. *Æn.* 7, 612. Cf. cinctutus, cinctuti, exerti

Cethegi, Hor. *A. P.* 50, *cinctutis non exaudita Cethegis*, Luc. 2, 543, 6, 794, Lyd. 1, 22. — 8) Virg. *Æn.* 1, 282. Cf. Hor. *Od.* 3, 5, 10, *togæ oblitus*. Suet. *Aug.* 40, *Ac, visa quondam pro concione pullatorum* (?) *turba, indignabundus et clamitans: En, ait, Romanos rerum dominos gentemque togatam, negotium Ædilibus dedit, ne quem posthac paterentur in Foro Circove, nisi positis lacernis, togatum consistere.* — 9) Cf. Cic. *Phil.* 5, 5, Suet. *Cæs.* 48. — 10) Cf. Cic. *Cat.* 3, 10, *de Off.* 1, 23.

451. Inter cæteras Romanorum vestes frequentius memoratæ læna (χλαῖνα), pænula (Φαινόλης), lacerna, lacernula, unde lacernatus 1), sagum, paludamentum, trabea. Ex his trabeam ut Regibus, Equitibus et Auguribus insignem memoravimus. Militaria sagum, et proprium ducibus paludamentum (§. 368. Cf. chlamys.) Lænam frigori, lacernam et pænulam pluviæ etiam arcendæ aptiores fuisse, quam togam, invenimus 2), ob eamque rem has a viatoribus et militibus, omnes hieme præcipue usurpatas 3). Romæ autem illarum vestium usus, ut mollior, sic antiquitus rarior, ab extremis reipublicæ temporibus frequentior esse cœpit, contemta paulatim toga, donec sub Cæsaribus pauperioribus fere relinqueretur, tametsi tum quoque, opinor, consueta honestaque et magistratuum, et causidicorum, munere fungentium, vestis manens 4). Cæterum, difficillima penulæ, lacernæ et lænæ sive inter ipsas, sive a toga distinctio. Lacernæ cucullum tribuunt 5). Lænam similem lacernæ, sed simplicem et duplicem, illam æstati, hanc hiemi, pænulam 6) longiorem, et, ut nonnulli togam, ab imo ad pectus consutam faciunt; unde togam quandoque ab antiquariis cum pænula confusam conjiceres.

1) Cf. Juven. 1, 62. — 2) Cf. Cic. *p. Mil.* 20, Quint. 6, 3, 64 et 66, Juven. 5, 79. — 3) Cf. Cic. Phil. 2, 30, Ovid. *Fast.* 2, 746, Prop. 4, 3, 18. — 4) Cf. Juven. 2, 65. — 5) Cf. Mart. 1, 09, 10, Juven. 6, 118, Hor. *Sat.* 2, 7, 55. — 6) Cf. Pignor. *de servis* p. 263.

452. Memoratis commune, non nudo corpori injici; interior autem vestis Romanis tunica, χιτών, unde tunicula, tunicatus, alba plerumque, viris, diu etiam, opinor, fœminis, lanea, quam cingulo adstrictam, quo refertur succinctus 1), discinctus 2), ultra genua demissam gerebant 3). Eadem pauperum fere sola vestis; ditiores sine toga prodire non solebant, nec decorum habebatur; unde tunicatus popellus 4). Serior, utpote mollior, subuculæ (indusium) sub tunica usus 5). Tunica et forma et ornatu varia, velut manicata, talaris, pura; insignes laticlavia senatorum 6), angusticlavia Equitum (§. 137.), picta et palmata triumphantium. De clavo, in aliis quoque textis occurrente, ut mappa laticlavia 7), et sunt et manebunt discrepantes antiquariorum sententiæ 8); a clavi tamen figura quin dictus, non est, cur dubitemus 9); in pectore gestum, arguit locus Horatii *Sat.* I, 6, 28 10); purpureum fuisse, multa sunt testimonia 11). Tempus inducti ad ordines distinguendos clavi incertum (§. 137.) Ad rem locus Livii IX, 7 12). Sub Cæsaribus clavi honor Tribunis quoque militum 13), et senatorum filiis, et latus Equitibus, ut videtur, illustrioribus concessus 14). Vestis clavata Græcis *πλατύσημος, πλατυπόρφυρος, στενόσημος, μεσοπόρφυρος*, etc.

1) Hor. *Sat.* 2, 6, 112. — 2) Ib. 2, 1, 73. — 3) Cf. ib. 1, 2, 25. — 4) Hor. *Ep.* 1, 7, 65. — 5) Cf. ib. 1, 1, 95, Suet. *Aug.* 82. Varro, ap. Nonium, *Postquam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam et indusium.* — 6) Cf. Lydus. 1, 17. — 7) Petron. 32. Cf. Mart. 4, 46, 17. — 8) Cf. Ruben. *de Re Vest.* l. 1. c. 1., *Thes. Græv.* v. 6. p. 934., et Ferrar. *Anal. de Re Vest.* c. 1., ib. p. 1046. — 9) Cf. trabea, trabeatus, §. 185. — 10) — *ut quisque insanus medium impediit crus Pellibus, et latum demisit pectore clavum.* — 11) Cf. Plin. 33, 1, Ovid. *Trist.* 4, 10, 29, Juven. 1, 107. — 12) — *lati clavi, annuli aurei positi*, etc., qui locus ad a. 433. — 13) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 25. — 14) Cf. Ovid. *Trist.* 4, 10, 29 et 35.

453. Ingenui ad virilem ætatem prætextam gerebant

Puerile quoque decus in pectore de collo pendens bulla 1). Quam, virilem togam sumentes, diis domesticis consecrabant 2). Nobilioribus aut ditibus pretiosa, sæpe aurea 3); pauperes et loro contenti 4). Femorum et crurum tegumenta, feminalia, tibialia, Romanis, nisi valetudinis causa, non usitata 5); sub Cæsaribus tamen, barbarorum more, braccis, unde braccatus, Gallia braccata, etc. 6) sed sero 7), nec frequentes, opinor, usi.

1) Plin. 33, 1. Liv. 26, 36, Flor. 2, 6, Macrob. 1, 6. Cf. Juven. 13, 33, *senior bulla dignissimæ*. — 2) Cf. Prop. 4, 1, 131, Pers. 5, 31. — 3) Prop. l. c. *Mox ubi bulla rudi demissa est aurea collo*, *Matris et ante deos libera sumta toga*. Cf. Lyd. 2, 3. — 4) Cf. Juven. 5, 165. — 5) Cf. Hor. *Sat.* 1, 2, 25, Suet. *Aug.* 82, Quint. 11, 3. — 6) Cf. Suet. *Cæs.* 80, Ovid. *Trist.* 5, 10, 34, Prop. 4, 11, 43, Tac. *Hist.* 2, 20. — 7) Cf. Lampr. *Al. Sev.* 40.

454. Capitis tegumenta, quorum rarior Romanis nec perpetuus usus, præter cucullum, vesti adhærentem (§. 452), et mitram (§. 456.), memorantur pileus, galerus, apex, petasus. Ex his petasus (a πετάω, extendo), unde petasatus 1), ora largiore, pluviæ, soli arcendo, ideoque viatoribus aptior 2). Pileus 3), unde pileatus, galerus 4), unde galeritus 5), et apex gallice rectius vocentur *bonnets*. Galerum sacerdotibus tribuimus (§. 318.), sed alii etiam gerebant 6). Apex, altior et acutus, sacerdotum (§. 318.), etiam Regum 7); raro vulgari usu 8). Inter calceamenta, (quo trahenda, calceare, calceolus, calceolarius,) sandalia 9), soleæ 10) (ὑπόδημα), et a Gallis mutuatæ gallicæ, sc. soleæ 11). Magis proprie calcei vocantur mullus, campagus 12), et altiores perones 13), unde peronatus. Græcis usitatæ crepidæ, socci et cothurni 14), hi tragicis, illi comicis auctoribus solennes (§. 355.) In reliquis distinguunt ligneos pauperum, sculponeas agrestium 15), caligas militares, et nigros senatorum lunula ornatos

(§. 176.) Cæterum, viris interdum rubros, vulgo nigros, matronis albos maxime fuisse, antiquariis facile credamus. Ornatus sub Cæsaribus inprimis magna luxuria, aurum, gemmæ, etc. 16). A Forma vocantur calcei repandi 17), a corii mollioris genere alutæ 18). Calceos, ut res suadet, loris maxime ligabant, quo pertinent corrigia, ligula, sæpe, ut in statuis cernitur, suram quoque retis instar vincientibus 19). Cæterum, aut nudo pedi induebant, aut fascia, peduli, fascia peduli 20), involuto, qua molliores crura etiam tegebant, unde fascia cruralis, periscelis, etc. (§. 453.)

1) Cf. Cic. *ad Div.* 15, 17, Suet. *Aug.* 82. — 2) Cf. Plaut. *Amphitr.* 1, 1, 287. — 3) A *pilus*, *πίλος*, unde *πιλοφορεῖν*, pileum gerere; nec diversæ radicis videntur villus et pellis. — 4) A *galea*, utpote de pelle aut pilis, derivant. — 5) Cf. Prop. 4, 1, 29, *galeritus Lucmo*. A similitudine alauda galerita avis, Plin. 11, 37. — 6) Cf. Virg. *Mor.* 121, Suet. *Nero*, 26, Juven. 6, 120, 8, 208. — 7) Cf. Hor. *Od.* 1, 34, 14, 3, 21, 22. — 8) Cf. Cic. de *Legg.* 1, 1, Liv. 1, 34. — 9) Serva a sandaliis. Inscript. — 10) Cf. Gell. 13, 21, Prop. 2, 29, 40. — 11) Cf. Cic. *Phil.* 2, 30, Gell. 12, 21. — 12) Cf. Lydus 1, 17. — 13) Cf. Lydus 1, 12. — 14) Cf. Virg. *Æn.* 1, 337, Juven. 6, 505. — 15) Cf. Cato *de R. R.* 59. — 16) Cf. Plaut. *Bacch.* 2, 3, 97, Plin. 37, 2. — 17) Cf. Cic. *de N. D.* 1, 29. — 18) Cf. Lydus 1, 32. Juven. 7, 192, Ovid. *A. A.* 3, 271, Mart. 2, 29, 8. — 19) Cf. Lyd. 1, 17, Virg. *Æn.* 1, 337. — 20) Ulp. *Pandd.* 34, 2, 25, Lampr. *Al. Sev.* 40, Quint. XI, 3. Fasciæ cretatæ, Cic. *ad. Att.* 2, 3.

455. Capillos et barbam olim promissa gerebant Romani 1), unde barbatus, intonsus, pro prisco, simplice, etc. Primos tonsores Romam venisse a. 454., refert Plinius 2). Sero igitur, Græcorum exemplo, mentum tondere cœperunt, ab iisdem capillos scite secare, componere, crispare, unguere discentes, quo referuntur radere novacula, tondere forpice, calamistro inurere, etc. 3), uncti, delibuti, madidi, odorati, myrrhei crines; nardus, nardi onyx, etc. 4).

Barbam, ut apud Græcos, inprimis philosophi sub Cæsaribus quoque non resecabant 5).

1) Cf. Hor. *Od.* 2, 15, 11. — 2) 7, 59. — 3) Cf. Colum. præf. Insignis locus est Senecæ *de Brev. Vitæ.* 12. — 4) Cf. Hor. *Od.* 1, 5, 2, 2, 3, 13, 2, 11, 14, 5, 29, 4, 4, 12, 16, Ovid. *A. A.* 2, 734. — 5) Cf. Horat. *Sat.* 1, 3, 133, 2, 3, 16, *A. P.* 297.

456. Tunicam et togam olim utriusque sexus fuisse diximus; in reliquis mulierum vestibus 1) insignis stola, unde stolatus, longa 2), manuleata, vulgo eximie ornata, et stolæ injecta palla 3), laxa, sinuosa 4), eadem diis interdum, citharœdis quoque et tragœdis aliisque tributa 5). Toga prodire fœminis indecorum, unde togata, meretrix 6). Ad muliebrem ornatum, mundum, de quo ante alios legenda Bœttigeri *Sabina*, præterea referuntur reticulum 7), *filet*, vitta 8), unde vittatus, mitra, unde mitratus, mitella, Asiæ populis solennis, apud Romanos in viris turpissima 9), strophium, vel fascia, pectus tegens 10), monilia, inaures, utraque ex auro, gemmis, bacca, unde baccatum, margarita, etc. 11), armillæ, annuli, fibulæ, alia sexcenta. Monilia (torques, catena, catella,) et fibulas viri quoque, et, sub Cæsaribus certe inaures etiam 12), annulos vero 13) olim vel soli vel maxime gerebant. In libera civitate aureis distinctos Equites diximus (§. 137.), quibus et senatores usi; plebs argenteo, initio, ut videtur, ferreo contenta, servis quoque permisso. Sub Cæsaribus aurei jus levibus causis facile impetratum 14), postremo omnibus civibus, libertinis etiam concessum 15).

1) V. Varro *de L. L.* 4, 32. — 2) Cf. Hor. *Sat.* 1, 2, 99, Ovid. *Fast.* 6, 654. — 3) Crederes, nomen manere in *faille*, mulierum in Belgio veste. — 4) Cf. Ovid. 3, 13, 26, Hor. *Sat.* 1, 2, 98. — 5) Cf. Ovid. *Fast.* 2, 107, Tib. 1, 8, 46. — 6) Cf. Hor. *Sat.* 1, 2, 63 et 82, Mart. 2, 39. 2. — 7) Cf. Varr. *de L. L.* 4, 32, Juven. 2, 96, Petron. 67. — 8) Sacerdotum, victimarum, virginum, præsertim nuptarum, matronarum.

Cf. Prop. 4, 3, 16, 4, 11, 33, Ovid. *A. A.* 3, 483. — 9) Cf. Cic. *de H. R.* 21, *p. Rab. Posth.* 10, Lucr. 4, 1123, Virg. *Æn.* 4, 216. — 10) Turpilius ap. Non., — *inter tuniculam ac strophium quam collocaram* (epistola). Cat. 63, 65, *non tereti strophio lactantes vincta papillas.* Ovid. *A. A.* 3, 274, *inflatum circa fascia pectus eat.* — 11) Cf. Sen. *de Ben.* 7, 9, Hor. *Ep.* 8, 14, *Sat.* 2, 3, 239, Cic. *Verr.* 4, 18, Bœtt. *Sab.* p. 2. p. 131. — 12) Cf. Lampr. *Al. Sev.* 41. — 13) Cf. Liv. 9, 7. — 14) Cf. Plin. 33, 2, Herod. 3, 8, Pitiscus in *annulus.* — 15) Cf. Just. *Nov.* 78.

457. Annulorum ex usu varietas nominibus, ut hodie, distincta, unde pronubus, signatorius, etc.; insignis eorundem et numero, et pretio cum gemmarum tum artis (§. 435.) luxuria, et viris etiam alios hieme, alios, leviores, æstate fuisse, quo trahuntur annuli semestres 1), inter turpia morum Romanorum memoratur. Mundi autem muliebris haud parva pars fucus, sive faciei pingendæ 2), sive capillis inficiendis, quibus decorandis insignem et multiplicem curam 3) adhibebant (§. 495.), capillamentis (*perruque*) tamen minus frequenter utentes. Inter voces ad comarum ornatum trahendas galericulus 4), caliendrum 5), tutulus 6), suggestus comæ 7), turritus vertex, etc. 8). Color maxime placebat fulvus, quales tum Germanorum capilli 9).

1) Cf. Juven. 7, 89, *semestri vatum digitos circumligat auro.* Idem 1, 26 — *quum verna Canopi ventilet æstivum digitis sudantibus aurum, nec sufferre queat majoris pondera gemmæ.* — 2) Eximius de re loc. Ovid. *A. A.* 3, 199. — 3) Insignis de re Ovid. eleg., *Am.* 1, 14. Cf. id. *A. A.*, 3, 163, Juven. 6, 495, Prop. 2, 14, 25, Seren. Samm. *de medic. cap.* IV. — 4) Suet. *Otho*, 12, Mart. 14, 50. — 5) Horat. *Sat.* 1, 8, 48. — 6) Cf. Varro de *L. L.* 6, p. 73, Fest. in *tutulum*, Tertull. *de Pall.* 4. A tutulo ornatrix, *inscrip.* — 7) Stat. *Sylv.* 1, 2, 114. — 8) Juven. 6, 495, — *altera lævum*

Extendit, pectitque comas et volvit in orbem.
Est in consilio matrona, admotaque lanis,
Emerita quæ cessat acu: sententia prima
Hujus erit; post hanc ætate atque arte minores

Consebunt; tanquam famæ discrimen agatur
Aut animæ : tanti est quærendi cura decoris;
Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

9) Prop. 2, 14, 25, *Nunc etiam infectos demens imitare Britannos, ludis et externo tincta nitore caput. — Turpis Romano Belgicus ore color.*

DE DOMIBUS.

458. Privatorum Romæ domos constat ad bellum Punicum secundum exiles fere et ornatu simplices et parum commodas fuisse. Sed exinde, et præsertim a Syllæ ævo ingens principum virorum et in urbanis domiciliis et major in villis luxuria 1), tum magno diætarum numero, in quibus singulis tempestatibus, quandoque diei partibus loco et structura consecratæ, accedentibus balneis, xystis, gymnasiis, vivariis, tum vero splendidissimo ornatu, picturis, statuis, stragulis, tapetibus, argento, auro, exquisita omnis generis supellectile. Ipsa Roma, a Gallis olim incendio deleta, tumque privatis ædificiis, ut cuique commodissimum, reparata 2), post incendium Neronis haud exigua parte magnificentius exstructa, paulatim pulcherrima orbis terrarum urbs evasit 3).

1) Vell. 2, 1 — *publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est.* — 2) Cf. Liv. 5, 55, 6, 4. Tac. *Ann.* 15, 38 — *enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit.* — 3) Cf. Tac. *Ann.* 15, 38 et 43, Suet. *Nero*, 16.

459. Humiles olim domus Romanorum, una, ut plurimum, contignatione, sub Cæsaribus altissimæ 1). Ædium partes vestibulum, spatium inter domum et plateam, apertum, aut muro vel porticu etiam circumdatum 2); atrium, in ædibus, a platea per primariam portam (janua, fores, valvæ) ingredienti patens (cf. Vitruv. VI, 8.), ex quo in diætas utrinque aditus, quandoque vestibulum 3) adpellatum, promiscuo, ut crederes, vocabulorum usu 4), a

clientibus inprimis frequentatum; compluvium (impluvium, cavædium, cavum ædium, testudo. Cf. Varro *de L. L.* IV. p. 38, Vitruv. VI, 4.), aula interior, per quam in triclinium adversum ex atrio via; idem porticibus conjunctisque ædificiis cinctum, quo trahuntur tablinum, diætæ, dormitoria (cubicula), balnea, cellæ, etc. In medio autem spatio penates 5). Hæc partium distinctio. De reliquis sequentia.

1) Cf. Hein. *Synt.* 2, 3, 7, Heubach *Comment. de Politia Rom.* §. 17 et 45, Tac. l. c., Juven. 3, 7. — 2) Cf. Plaut. *Most.* 3, 2, 130, Gell. XVI, 5, Juven. 1, 95. sqq., 7, 126. — 3) Cf. Juven. l. c., Liv. 5, 41. — 4) Qui vestibulum in ædibus, eos, consentaneum est, atrium interius ponere, et cum cavædio, aula interiore, confundere. Sunt etiam, quibus cavædium atrii pars, quibus intermedium proprie liberumque spatium, qui, in ampliore jam, quam vetustiori tempore, domo, a cavædio distinguant peristylon, etc. Stieglitz (*Archæol. Unterhaltungen*) ad dextram et sinistram atrii, cujus partem facit cavædium, alas, inter alas tablinum ponit, idque olim archivum videri fuisse, post cœnationi dicatum. Idem, atrio serius peristylon accessisse, apertum, latius, quam profundum, porticu circumdatum, circum porticum varias diætas et cœnationes (*Säle.*) Sed illud, ne in diversa confusi trahamur, tenendum, Romanorum non magis, ut equidem existimo, quam recentioris ævi domos, posse ad certa partium nomina referri, quin vaga plerumque de harum partium situ nexuque notio relinquatur. — 5) Cf. Virg. *Æn.* 2, 512. sqq.

460. Lucem dantes murorum aperturæ sive fenestræ (*θύρα*) valvis ligneis, retibus, velis, aliis tegebantur. Ad linguæ usum fenestræ bifores 1), junctæ 2), reticulatæ 3). Sub Cæsaribus demum introducta specularia, e lapide speculari fenestræ 4); vitreas vero Herculani nuper repertas accepimus. Memorantur etiam e charta, cornu, aliis. Ad fores pertinent limen, postes, cardines, superior portam suspendens (?), alter limini insertus; hinc cardinem vertere, movere 5), cardo stridens, etc. Claudebantur pessulo (*πάσσαλος*, *verrou*), adhærenti, et sera, alias, ut videtur, item adhærenti 6), nec a pessulo aut parum diversa, alias separata.

Utrisque commune putamus claustri vocabulum; in utrisque clave 7), sed in sera, incertum, an semper, in pessulo autem, ut sane crederes, rarius utebantur. Clavi claustri quoque significatio est. Ad linguæ usum occludere, pessulo, pessulum obdere, injicere, firmare; subdita clavi reducere, Apulejus in *Metam.*; seram addere, ponere, demere, poste excutere, etc.; sera sua sponte delapsa, Petronius, 16.; claustra revellere, laxare, rumpere; armariis claustra et claves cedunt, Ulpianus.

1) Ovid. *de P.* 3, 3, 5. — 2) Horat. *Od.* 1, 25. — 3) Varro *de R. R.* 3, 7. — 4) Cf. Plin. 35, 22 et 23, Sen. *de Prov.* 4, — *quem specularia semper ab adflatu vindicarunt.* Cf. id. *Ep.* 90. — 5) Cf. Horat. *Od.* 1, 25, 5. — 6) Cf. Ovid. *Am.* 1, 6, 24, *excute poste seram.* — 7) Cf. Tib. 1, 2, 18, *seu reserat fixo dente puella fores.* De clavibus cf. Pignor. *de servis* p. 214.

461. Fumo excipiendo nec Græcis nec Romanis, quibus hodie utimur, camini 1); sed per tecti aperturam, aut per fores modo fenestrasque exibat; unde fumosa atria, et, in iis collocatæ, fumosæ imagines (§. 132.), fumo undique ex diætis atrium replente. Cæterum contra fumi incommodum, levius consuetudine et mitiori cælo, et ligna legentes 2), et alia remedia quærebant; ac seriore ætate diætis calefaciendis magnam curam Romani adhibuere, ipso situ et structura frigoris vim minuentes 3). Caminus omnino locus igni alendo, velut in fabrorum officina, ideoque et universe fornacis significationem habet vacabulum, et earum, quæ in diætis positæ. His calefaciendis ut plurimum carbonibus utebantur, in lebete ardentes, aut in pavimento, aut in camino sive foco 4) ponentes. Sumtuosior, sub Cæsaribus demum (?) et primum in balneis introducta, per hypocausta 5) calefactio, calore per tubas e camera, semper flagrante igne, in diætas diffuso 6), apertis, quamdiu videretur, tubarum operculis.

1) Cf. Vitr. 7, 3 et 4. — 2) Cf. Hor. *Od.* 3, 7, 13, *Sat.* 1, 5, 80, — *lacrymoso non sine fumo, udos cum foliis ramos urente camino*, Virg. *Æn.* 7, 13. — 3) Cf. Juven. 7, 182. — 4) Cf. Hor. *Od.* 1, 9, 5, *Sat.* 1, 5, 80.— 5) Cf. Cic. *ad Q. Fr.*, 3, 1, *vaporarium, ex quo ignis erumpit.* — 6) Stat. *Sylv.* 1, 5, 58, — *ubi languidus ignis inerrat ædibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem.* Sen. *Prov.* 4, — *cujus cœnationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit.*

462. Tectorum forma nec in cunctis eadem, et simul cum ædibus mutata. Cæterum acuta et plana pariter usitata. Fastigia (ἀετός) a templis ad privatas domos translata 1). Planities tecti interdum horti speciem referebat, plantis arboribusque aut impositis, aut aggesta in terra crescentibus 2). In diætarum tegumentis (tectorium) notissimum quod laquear, unde laqueatus, et lacunar, utrumque, ut vulgo putant, a similitudine adpellabant, tanquam lacubus et laqueis, depressis et eminentibus partibus, compositum 3). Eadem in divitum domiciliis exquisito ornatu sumtuosissima, ob eamque rem inter luxus exempla a scriptoribus memorata 4). Par in pavimentis decorandis studium 5), et ipsa generum distinctio arguit, in quibus insigne a tessella sive tessera tessellatum 6), a testa testaceum 7), musivo opere, lithostrota 8), qualia mirabili arte integra aut partes servantur.

1) Cf. Cic. *Phil.* 2, 43, Suet. *Cæs.* 81, Flor. 4, 2, extr. — 2) Cf. Tib. 3, 3, 15, *nemora in domibus sacros imitantia lucos.* — 3) Cf. Vitruv. 6, 2. ext., Hor. *Od.* 2, 16, 11, Cic. Tusc. 5, 21. — 4) Cf. Plin. 33, 3, Hor. *Od.* 2, 18, 1, Lucan. 10, 112, Sen. *Ep.* 90, Suet. *Nero.* 31. — 5) Cf. Hor. *Od.* 2, 14, 27. — 6) Cf. Sen. *N. Q.* 6, 31. — 7) Cf. Suet. *Cæs.* 47. — 8) Cf. Varr. *R. R.* 3, 1, *cum enim villam haberes — pavimentis nobilibus lithostrotis spectandam.* Plin. 6, 25, *pavimenta originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithostrota expulere eam.* Cf. Capit. *Gord.* 32. Cf. Champollion, *Résumé d'Archéol.* v. 1. p. 206.

VICTUS ET VITÆ QUOTIDIANÆ RATIO.

463. Priscorum Romanorum (§. 397.) singularis fuit

ut omnino morum simplicitas, ita in victu frugalitas 1), quæ ad Lacedæmoniorum proxime accedere videatur, diu e farre et olusculis pulte (πόλτος) contenta 2), unde pulticula, pultarius, etc., dein panem adjiciens, raro carnem, et maxime a victima superantem; neque frugalitas illa in plebe tantum, sed in principibus viris laudata 3), cæterum in paupertate minus miranda. Corrupto vetusto more, mensæ quoque delicias summo studio sectari cœperunt 4), in ea quoque re plurima e Græcorum, multa etiam ex Asiatica consuetudine mutuati. Nos in fœcundo hocce argumento, cui duodetriginta paginas dedit Creuzer §. 268-288, sequentia notamus.

1) Cf. Beaufort. v. 2. p. 426. sqq. — 2) Cf. Plin. 18, 8, Val. *Max.* 2, 5, 5, Ovid. *Fast.* 6, 170, Juven. 11, 77, 14, 171, Mart. 5, 79, 9. — 3) Cf. Hor. *Od.* 1, 12, 40. sqq. — 4) Cf. Plaut. *Pseud.* 2, 2, Meierotto *Sitt. u. Lebensart der Rœm.* p. 2. p. 111, Gell. 2, 24.

464. Cœna 1), quam præcedunt jentare, jentaculum, prandere 2), prandium, merendare, merenda 3), æstate circa horam (§. 358.) nonam 4), paulo serius hieme, tribus, ut ajunt, mensis, quo trahenda τράπεζα, missus, *mets, service* 5), ut plurimum, constans, gustatione, capite cœnæ, et mensa secunda. Gustatio, gustus, promulsis 6), δείπνου προοίμιον, in qua occurrunt ovum; unde *ab ovo usque ad mala* 7), mulsum, e vino, aqua et melle mixtum 8), lactuca, garum, muria 9), alia 10) excitandæ appetentiæ. Alia est vocabuli notio, qua gallice dicimus *collation, goûter*, gustare 11). Caput cœnæ 12), arguente nomine, aut præcipuus missus, aut primarium in illo ferculum. Mensa vel cibi secundi (*dessert*) bellariis constant 13). In conviviis sive epulis, unde epulari, cœnam excipiebat comissatio (κῶμος) in multam noctem 14). Comissationem convivarum aliquis (sorte, tali jactu) regebat; unde rex, regnum,

imperium convivale 15). Alio sensu rex clientum et parasitorum 16). Ad convivatorem trahendum *præbere aquam* 17), ad convivas, ab aliis adductos, nec invitatos, vox umbra 18).

1) Etymon quidam suspicantur κοινός, ad cibum familiæ communem referentes. In derivatis cœnatio, cœnaculum, cœnatorius. — 2) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 127. — 3) Quæ quomodo, sive alias sive tempore, differant, doctioribus ita, ut nil ambigui supersit, illustrandum permittimus. Festus *prandium* facit *ex græco*, addens; *nam meridianum cibum cœnam vocabant;* ubi lacunam inter alias conjecturas implet πρωὶ, pro quo Dores πρὰν. Ibidem legimus *prandicula antiqui dicebant, quæ nunc jentacula.* Cum quibus conjunge, quæ idem Festus, *cœna apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium, vesperna, quod nunc cœnam appellamus*, et quæ e Festo Paulus, *scensas Sabini cœnas dicebant, quæ autem nunc prandia sunt, cœnas habebant, et pro cœnis vespernas adpellabant.* Sic olim cœna et vesperna, et cœnam antecedens prandiculum, quod a cœna non minus, quam postea jentaculum a prandio, discernerem; deinde, quum in vespernæ locum cœna, in cœnæ locum prandium successit. De merenda *Isid. Orig.* 20, 2, (aliter idem 20, 3,) — *quasi post meridiem edenda et proxima cœnæ;* de eadem Paulus ex Festo, merendam antiquos dixisse prandium, *quod scilicet media die caperetur.* Sed vocem postremo, ut hodieque apud Italos, ad seram potius diem pertinuisse, argumento est locus Calpurnii, *Ecl.* 5, 60, *ubi declivi jam nona tepescere sole incipiet, seræque videbitur hora merendæ*, ubi nota Barthii probat Jos. Scaligerum, cui merenda cibus, qui mercede operantibus ante missionem vespertinam datur. — 4) Cf. Juven. 1, 49, Mart. 11, 53. — 5 Cf. ferculum, Juven. 1, 94, Suet. *Aug.* 74, Hor. *Sat.* 2, 6, 104. — 6) Cf. Cic. *ad Div.* 9, 16, *neque est, quod in promulside spei ponas aliquid; quam totam sustulisti.* — 7) Cf. Hor. *Sat.* 1, 3, 6. — 8) Cf. Hor. *Sat.* 2, 4, 26, Cic. *Tusc.* 3, 19, Plin. 22, 24. — 9) Cf. Hor. *Sat.* 2, 4, 64. — 10) Cf. Mart. 11, 32 et 53, *prima tibi dabitur ventri lactuca movendo utilis, et porris fila resecta suis*, etc. — 11) Cf. Plin. *Ep.* 3, 5, 6, 16, Suet. *Aug.* 76. — 12) Cf. Cic. *Tusc.* 5, 34, Mart. 10, 31, *mullus — cœnæ pompa caputque fuit.* — 13) Cf. Gell. 13, 11. — 14) Cf. Cic. *Cat.* 2, 5, *p. Cæl.* 15, Suet. *Vit.* 13, *Tit.* 7, Pers. 5, 41. Cf. convivium tempestivum, Cic. *p. Mur.* 6, *Cat. m.* 14. — 15) Cf. Hor. *Od.* 1, 4, 18, 2, 7, 25. — 16) Cf. Terent. *Phorm.* 2, 2, 24, Mart. 2, 18, Juven. 1, 135, 5, 14. — 17) Hor. *Sat.* 1, 4, 88. — 18) Cf. Hor. *Sat.* 2, 4, 22, *quas Mæcenas adduxerat umbras.* V. Plut. l. 7. *Symp.*, prob. 6., Stuck. *Antiqq. Convival.* 2, 6. p. 240.

465. Cibos pauperum, quales contingerent, fuisse, non opus est monere; divites quid quoque sæculo plus minusve, quid pauci, quid plurimi amarint, item, quid in capite cœnæ summum, quid infimum fuerit, quove loco singula fercula posita, antiquariis relinquimus, olim, quot cuique convivæ nuces adpositæ, suspicaturis. Gulæ Romanorum luxuriam, quidquid recentiores eximium invenere, ferculorum copia 1), raritate et pretio 2), condimento, ministrantium (§. 495.) numero 3), comissantium etiam turpitudine æquasse, aut superasse, Horatio (*Sat.* 2, 4 et 8.), Seneca, Petronio, Juvenale, Martiale, Suetonio, aliisque testibus contendere possis. Turpitudinis insigne mos ventrem vomitu repetendis epulis evacuare 4).

1) Cf. Juven. 1, 94, Macrob. 2, 9. — 2) Cf. Juven. 11, 138. sqq., Mart. 10, 31, Manil. 5, 370. Plin. 9, 17. — 3) Sen. *Ep.* 95, *O dii boni, quantum hominum unus venter exercet!* — 4) Cf. Sen. *de Cons.* 9, Suet. *Vitell.* 13.

466. De rebus delicatis, mirum, si gustu judicioque inter veteres et recentiores non conveniret, et vero antiquarii docent, apros, quorum inprimis frequens mentio 1), et capos 2) illis et turdos 3), phasianos 4) item et ostrea jucunda 5), et leporis armos, et anseris jecur 6) in deliciis fuisse. Sunt tamen et veteribus eximie prædicata, quæ nunc, sive perdita saginandi aut condiendi arte, sive quacunque de causa, vel negliguntur vel fastidiosa etiam censentur. In his, doctiores videant, an potissimum ponendæ lusciniæ 7), pavones 8), grues 9). E piscibus 10), non dubito, quin huc non unus trahendus; in primis laudantur rhombus 11), muræna 12), mullus 13), scarus, et ad tibiæ sonum cœnationi illatus acipenser 14). Inter testacea mensæ quæsita ostrea, echini, murices, pectines 15). De cochleis, mensæ altis, vide Varr. *de R. R.* 3, 14, Plin. 9, 56. E quadru-

pedum genere, ut res suadet, multa; sed vix impensius quid mirati Romani sumine 16) et vulva suis 17).

1) Cf. Hor. *Sat.* 2, 3, 234, 8, 6, Juven. 1, 140, — *quanta est gula, quæ sibi totos ponit apros, animal propter convivia natum!* — 2) Cf. Ovid. *Fast.* 6, 178. — 3) Hor. *Ep.* 1, 15, 40, *quum sit obeso nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.* — 4) Cf. Mart. 13, 72. — 5) Cf. Hor. 2, 4, 30, Juven. 4, 140. — 6) Cf. Hor. *Sat.* 2, 4, 44, 8, 88 et 89. — 7) Cf. Hor. *Sat.* 2, 3, 245. — 8 Cf. Varro *de R. R.* 3, 6, Plin. 10, 20, *Ovid. Fast.* 6, 177. — 9) Ib. 176, et Hor. *Sat.* 2, 8, 87. — 10) Cf. Meierotto, *über Sitten u. Lebensart d. Rœmer*, p. 2. p. 120. sqq., Mart. 13, 79, loc. Ennii ap. Apul. *de Mag.* p. 43. sqq.— 11) Cf. Hor. *Sat.* 1, 2, 116, Juven. *Sat.* 4. — 12) Hor. *Sat.* 2, 8, 42, *effertur squillas inter murœna natantes*, — 13) Juven. 4, 15, *mullum sex millibus emit*, etc. Sen. *N. Q.* 3, 17. sq.— 14) Cf. Macrob. *Sat.* 3, 16, Plin. 9, 17, Athen. 7, 12, Lyd. *de Magistrr.* 3, 63. Mart. 13, 91, *ad Palatinas acipensem mittite mensas: Ambrosias ornent munera rara dapes.* — 15) Cf. Hor. *Sat.* 2, 4, 34, Lyd. 3, 62. — 16) Cf. Pers. 1, 53, Mart. 13, 44. — 17) Cf. Hor. *Ep.* 1, 15, 41, Mart. 13, 56.

467. Panis plura genera fuisse, et bonitate diversa 1), si non memorentur, tamen crederemus. Verba ad rem panis cibarius, secundus 2), candidus, vetus, nauticus, hordeaceus, siligineus 3). Vinum 4), sive vernacula, Massicum, Falernum, Cæcubum, Calenum, Horatio celebrata, Setinum 5), sive, quæ Romæ plurimum bibebant, Græca, Chium 6), Lesbium 7), vulgo miscebant, cæteris quoque ad Græcorum morem compositis, ut solennes de potando phrases, ipsaque vasorum nomina docent: crater, cyathus, poculum, scyphus; ad cyathum stare, cyathos, pocula miscere 8), craterem, vina coronare 9), etc. Ad vini condendi, servandi, emendandi rationem pertinent vocabula cupa, dolium, vinum doliare, diffusum 10), cadus, testa, amphora, seria, lagena; cella vinaria 11), apotheca 12); vinum pendens 13), horreum 14). Aqua et natura et arte frigida, gelida 15), et sæpe calida, calda, 16) utebantur; quo trahuntur thermæ 17), thermopolia 18).

1) Juven. 5, 74, *vis tu consuetis, audax conviva, canistris impleri, panisque tui novisse colorem?* — 2) Hor. *Ep.* 2, 1, 123. — 3) Juven. 5, 70. — 4) Cf. Meier. p. 2. p. 123. — 5) Stat. *Sylv.* 2, 6, 90, Juven. 10, 27, Mart. 6, 86. — 6) Hor. *Sat.* 1, 10, 24, *Od.* 3, 19, 5. — 7) Prop. 1, 14, init.—8) Cf. Hor. *Od.* 1, 20, 7, 3, 19. — 9) Virg. *Georg.* 2, 528, *Æn.* 1, 724. Cf. Stat. Sylv. 3, 1, 76, *redimitaque vina abripiunt famuli.* — 10) Hor. *Ep.* 1, 5, 4, *vina bibes iterum Tauro diffusa.* Cf. Heind. ad Hor. *Sat.* 2, 2, 58. — 11) Plin. 14, 21. — 12) Colum. 1, 6. Cf. Heind. ad Hor. *Sat.* 2, 5, 7. — 13) Cf. Hor. *Od.* 3, 21, 7, 4, 12, 18. — 14) Hor. 3, 28, 7.— 15) Cf. Mart. 14, 116, *Spoletina bibis, vel Marsis condita cellis: quo tibi decoctæ nobile frigus aquæ?* Cf. Juven. 5, 50. Insignis de aqua et glacie loc. Sen. *N. Q.* 4, 13. — 16) Juven. 5, 63. — 17) Juven. 8, 168. — 18) De veterum ex hordeo, tritico, aliisque acidis potu (cervisia, cerevisia) confer. Plin. 14, 22, 22, 25, Tac. *Germ.* 23. V. Voss. ad Virg. *Georg.* 3, 380.

468. Ut vestium aliarumque rerum, quo trahenda lex Oppia, a. 577. abrogata 1), de veste, auro, aliis e mulierum cultu, sic mensæ luxum coercebant (§. 400.) leges sumtuariarum nomine notæ 2), cum aliæ, tum, de quibus dubitatum, censoriæ 3). In illis memorantur Orchia, numerum convivarum, Fannia a. 593. 4), sumptus in epulas festis quibusdam diebus circumscribens, quam cum accessione repetiverunt Didia, et Licinia a. 657., infirmasque mox secuta Cornelia Syllæ Dictatoris, neque ideo minus gliscente luxu, a Tiberio 5) desperatis jam vitiis adnumerato.

Festivarum epularum occasiones et discrimina enumerat Creuzer §. 269. Ad rem voces cœnæ, dapes, epulæ sacrificales, Pontificum, Augurales, Saliares, natalitia, silicernium, etc. Privatis in divitum domibus adornata cœnatio 6) — quo cœnaculum quoque referendum 7), post superiora ædium, ideoque pauperum 8) — circum mensas, quadratas plerumque, opinor, quo trahenda orbes, monopodia 9), citrea mensa 10), lectus 11), positis ad terna latera lectis, pulvinaribus (§. 337.), e quibus ad lævam summus, ad

dextram imus, in medio medius 12), consularis ab honore dictus 13). Hinc triclinii (κλίνη) nomen a Græcis mutuatum, de cœnatione simul et mensa lectisque usurpatum 14): triclinia argentea, testudinea, strata; tricliniarchus, tricliniarius.

1) V. Liv. 34, 1, sqq. — 2) Cf. Macrob. 2, 13, Gell. 2, 24. V. Meier. p. 2, p. 115. sqq. — 3) Cf. Creuz. §. 283. — 4) Cf. Plin. 10, 50. — 5) Tac. *Ann.* 3, 52. sqq. — 6) Cf. Juven. 7, 183, Mart. 2, 59, ubi de Mica, quæ Mica Aurea ap. P. Vict. et Sext. Ruf., parva, unde nomen, fortasse Domitiani, cœna. — 7) Varro *de L. L.* 4, pag. 39, *ubi cœnabant*, *cœnaculum* vocabant, etc. — 8) Cf. Hor. *Ep.* 1, 1, 91, Juven. 10, 18. — 9) Cf. Heind. ad Hor. *Sat.* 1, 3, 13. Cf. Mart. 1, 137. — 10) Cic. *Verr.* 4, 7. — 11) Pers. 1, 53. — 12) Cf. Hor. *Sat.* 1, 4, 86, *Ep.* 1, 18, 10. — 13) V. Salmas. ad Solin. p. 886, Heind. ad Hor, *Sat.* 2, 4, 20. — 14) Cf. Cic. *ad Att.* 13, 52, *Verr.* 3, 25, Varro *de R. R.* 3, 13.

469. Tricliniorum magnificentiæ ornatus respondebat mensæ supellex, vel, si quis mavult, arma convivalia 1), in iisque vasorum, inter quæ gemmea, vitrea, crystallina, myrrhina, §. 432, Corinthia, et aliorum et potatoriorum splendor, ingensque a materie, ab arte, vel ab utraque pretium; de quo vix credibilia veteres narrant. Turpissimus propter mensam scaphiorum (matella, lasanum) usus, quo pertinet digitis concrepare, etc. 2). In reliquo ornatu mappæ 3), gausape 4). Occurrunt et cochlearia, sed parvo, opinor, etiam in conviviis usu 5), quo trahitur ligula 6). Convivarum in adparatu vestis cœnatoria 7), cœnatoria, sc. vestimenta 8), synthesis 9). Soleas extra triclinium relictas esse, colligunt e Plaut. *Truc.* II, 4, 16, Hor. *Sat.* II, 8, 77, Mart. II, 50, 3. Potantibus solenne caput unguentis, odoribus, (§. 455.) perfundere, fronde floribusque coronare 10). Ad mensam vulgo, quamvis dubium, an vetustissimo tempore 11), jacuisse, ut Græcos 12), sic Romanos, notum. Ad rem verba accubare, accumbere,

decumbere, discumbere, etc. 13). Fœminæ tamen, jacentibus viris 14), sedebant (cf. §. 331.)

1) V. Creuz. §. 277. — 2) Cf. Petron. c. 27, Mart. 14, 119, Juven. 3, 108, Clem. Alex. *Pædag.* 2, 7. V. Bœttig. *Sabina* p. 1. p. 40 et 44. — 3) Mart. 7, 19, 12, 29. — 4) Cf. Ovid. *A. A.* 2, 300. Hor. *Sat.* 2, 8, 11. ibiq. Heindorf. — 5) Cf. Ovid. *A. A.* 3, 755, Mart. 14, 121. — 6) Ib. 120. Cf. Bœttig. p. 106. — 7) Capitol. *Maxim. jun.* 4. — 8) Mart. 10, 87, 12, Petr. c. 21, et, Pompon., *Pandd.* 34, 2, 33, *muliebribus cœnatoriis* uti. — 9) Mart. 5, 80, 2, *undecies una surrexti*, *Zoile*, *cœna*, *et mutata tibi est synthesis undecies.* Cf. idem 14, 1, 1, Suet. *Nero.* 51. — 10) Cf. Lucret. 3, 926, 5, 1398, Hor. *Od.* 2, 7, 23. — 11) Cf. Serv. ad. *Æn.* 7, 176. — 12) Creuz., *Symbol.* v. 1. p. 175, antiquissimos Græcos in epulis sacrificiorum sedisse, sermone etiam moderatos; deos enim præsentes duxisse. Cf. Ovid. Fast. 6, 305. Fuse, ut pleraque, rem illustrat Stuck. *antiqq. convival.* 2, 34. — 13) Cf. Hor. *Od.* 1, 27, 8, Juven. 2, 120, Lucæ 7, 37. — 14) Teste Varrone, Isid. l. 20. *Etym.* V. Stuck. 2, 34, p. 409.

470. Inter cœnæ et epularum oblectamenta lusus, musica, saltatio. Lusus et omnino in conviviis inter vina frequens, et, quos amatorios vocare possis, Græcis præcipue solennes, juvenum lusus, quales cottabus, κότταβος, κοτταβίζειν (v. Schneid. lex.), in quo, vino e scypho in aliud vas guttatim cadente, e sono de amato conjiciebant 1), pomorum uda semina, digitis, ut cameram feriant, pressa 2), et talorum e jactu deos amicasque invocantium propitii aut aversantis animi auguria 3). Alia lusus ratio in *regna vini sortiri talis*, in *quem Venus arbitrum dicet bidendi*, et similibus (§. 464.) Musica nunquam non mensæ socia; nec necesse est ejus Romæ in conviviis usum a Græcis repetere, apud quos vix separari a comissationis hilaritate poterat, in symposiis, qualia e multis pauca superant (Xenophontis, Platonis, Plutarchi), primas partes tenens. Sed Græci utique moris in convivali musica celebrata ad tibiam mimica plerumque saltatio, eademque fere

saltatricis pellucida veste, interdum nudo corpore, et magis lascivis motibus obscœna 4). Decentior cœnæ oblectatio Græco vocabulo acroama vocata, quo alias recitationem sive lectionem, quod munus anagnostæ (§. 494.), alias cantum aut instrumenti sonum, omnino aures mulcentia intelligunt 5). Hæc de victu.

1) V. Creuzero, §. 287., laudata, Groddeck. *antiquar. Versuche*, erste Samml. p. 163. sqq., Jacobs, in Wieland. *Attisch Museum* III. p. 473. Plaut. *Trin.* 4, 3, 4, et, qui an huc trahendi, alii dirimant, Hor. *Od.* 2, 14, 26, Juven. 3, 108. — 2) Cf. Hor. *Sat.* 2, 3, 272. Rem interpretantur Pollux, 9, 128. — 3) Cf. Plaut. *Capt.* 1, 1, 4, *Asin.* 5, 2, 54, aliisque locis. — 4) Cf. Macrob. *Sat.* 2, 1, Quint. 2, 2, Hor. *Od.* 3, 6, 21, Amm. Marc. 14, 6, Olympiod., p. 148, qui Constantium laudat in conviviis comem ὡς καὶ ἐρίζειν τοῖς μίμοις πολλάκις, παίζουσι πρὸ τῆς τραπέζης. Juven. 11, 162, *forsitan exspectes, ut Gaditana canoro incipiat prurire choro, plausuque probatæ ad terram tremulo descendant clune puellæ.* V. Pignor *de Serv.* p. 180. — 5) Cf. Cic. *p. Arch.* 9, Nep. *Att.* 14.

471. Cætera vero quod attinet in quotidiana, ut vocant, vitæ consuetudine, de pauperioribus, et abjecta civium eademque numerosissima parte, quam turbæ forensis nomine adpellant (§. 143 et 400.), satis est hic animadvertere, patronorum, candidatorum et maxime ærarii muneribus (§. 395.) sustentatos 1), salutando atque aliis clientum officiis, in vestibulis, atriis, in Foro, in Campo (§. 141.), in theatro quoque otium trivisse 2). Ad dites et potentes referenda hæc. Prima pars diei amicorum et maxime clientum salutationibus 3), officiosæ, ut ait Horatius 4), sedulitati, dicata. Ab hora tertia, in foro 5), in judiciis, in concione, in senatu publicis rebus intererant. Tum a prandio ad cœnam ut plurimum ambulacra et inprimis gymnasia publica visentes 6), cum aliis exercitiis, quæ gymnastica vocamus, tum pila oblectabantur, cujus lusus amantissimi Romani.

59

1) V. Meier. p. 1. p. 11. sqq. — 2) Cf. Meier. p. 53. sqq. — 3) V. §. 141. loc. Mart. — 4) *Ep.*1, 7, 8. — 5) Unde ad linguæ usum, in forum venire, Cic. *ad Div.* 13, 10, forum attingere, ib. 5, 8, et 15, 16, *p. Mur.* 9, de foro decedere, Nep. *Att.* 10, studia fori, Tac. *Agr.* 9, ferrea jura insanumque forum, Virg. *Georg.* 2, 502, alia. — 6) Cf. Tac *Ann.* 14, 47.

472. Ante cœnam mos lavari. Balnea (thermæ) et privata frequentia, et Cæsarum ætate publica, in iisque vastissima et splendidissima, nec quidquam in Romæ operibus magis mirandum 1). Quædam, velut thermæ Diocletiani, quarum ruinæ supersunt, spatio et ædificiorum multitudine parva oppida æquabant. Exterior circuitus quadratus fere et porticibus, xystis, inter eminentiora ædificia constans; relicto intervallo aperto, alter circuitus, in cujus medio enormis thermarum moles. Partes multiplici usu et hinc nominibus distinctæ. In his sub dio xysti (§. 49.), in ædificiis frigidaria, tepidaria, caldaria (§. 461.), sphæristeria (§. 474.), elæothesia, alia. Ad balnei usum pertinent guttus, strigilis; unctores, etc. Lavaturi et lavati vario corporis exercitio oblectabantur, quibus thermarum, quas diximus, partes egregie accommodatæ.

1) De prisca balneorum simplicitate, deque luxu posterioris ævi insignis locus Sen. *Ep.* 86.

473. Paucis exposuimus quædam e privata Romanorum vita, singula multis antiquariorum voluminibus pertractata, nec profecto cognitione indigna, modo ne futilibus potissimum inhæreamus, neve, quæ quomodo se habeant, rei natura, ne dubitemus, vetat, in his illustrandis, fines modumque obliti, ad fastidium laboremus. Postremo autem paucissimis vixque attigimus eam ipsam partem, qua, haud scio, an nulla sit aut materie amplior, aut studio jucundior. Quantas enim, quamque varias res hic inserendi locus esset semel positos operis nostri fines transgredienti, præ-

sertim, si cum variis vitæ studiis supellex etiam et instrumenta conjungantur; velut, si de Romanorum gestatione et lecticis 1), quo trahenda lecticarii, hexaphoros 2), de itineribus, curribus, vehiculis, ad quæ rheda, essedum 3), tensa 4), pilentum 5), de jumentis, sella, sagmate, si de rusticatione, prædiis et villis, si de piscinis 6), piscatu, retibus et hamis, de aucupio, amite et glutine, de venatione, catulis, plagis et venabulis, si de deversoriis, tabernis, ganeis et popinis, de lenis, lenonibus et meretricibus, si de cantu et cantilenis, si de hospitiis et tesseris hospitalibus, si de pistrinis, omnino de molis, de panificio, si de lucernis et candelabris, si de matronarum cum aliis, tum mundi deliciis, àliisque sexcentis explicandi munus susciperemus? Verum ex his quædam alibi attigisse contenti, cætera mittentes, de lusibus tantum hic pauca subjicimus.

1) Cf. Juven. 4, 21, 1, 32 et 158, 3, 240, 6, 477, Mart. 11, 99, 11. — 2) Mart. 2, 81, Catull. 10, 14. sqq. — 3) Cf. Cic. *Att.* 6, 1, *Phil.* 2, 24, Prop. 2, 23, 43, 2, 1, 86, *esseda cælatis siste Britanna jugis.* — 4) Cf. Fest. in *tensam*, Cic. *Verr.* 1, 59, 3, 3, Liv. 5, 41, 9, 40, Suet. *Aug.* 43, *Vesp.* 5. — 5) Cf. Liv. 5, 25, Hor. *Ep.* 2, 1, 192, Virg. *Æn.* 8, 666. — 6) V. Varro *de R. R.* 3, 17.

LUSUS.

474. Lusus Romanorum quod attinet, convivalem supra attigimus; e cæteris hic memorandi pilæ, et, quo thermæ inprimis infames, aleæ lusus 1). Pilæ 2), quo pertinent *σφαῖρα*, *σφαιριστική*, species distinguuntur trigonalis, sive a forma, sive a ludentium in triangulum statu; follis, pila inflata et grandior (*ballon*); paganica, quæ rusticorum fuerat, plumis distenta, folle minus laxa 3); harpastum, pilæ minutæ species, a Græcis desumta, ab eo adpellatum, quod terra repercussum plures simul præripere, (*ἁρπάζειν*)

conabantur 4). Ad ludendi differentiam verba datatim 5), raptim 6), expulsim 7).

1) Cf. Juven. 1, 88. — 2) Cf. Mart. 4, 19, 7, 31, Sen. *de Ben.* 2, 17. 3) Mart. 14, 45. — 4) Cf. Mart. 4, 19, 6 et 7, 66, *Harpasto quoque subligata ludit.* — 5) Plaut. *Curc.* 2, 3, 17, et in fragm. Enn., *quasi in choro pila ludens datatim dat se, et communem facit,* etc.— 6) Novius ap. Non., *in molis ludunt raptim pila, datatim morso.* — 7) Varro ap. Non. V. interpretes ad l. Plauti.

475. Alea, ut verbo inest casus et periculi significatio, quantum video, lusus quilibet a casu aut prorsus aut potissimum pendens (*jeu de hasard*), sed solenne inprimis de tesserarum et talorum lusu 1). Tesseræ 2), cubica, ut vocant, forma, quales hodie usurpamus, punctis in senis lateribus notatæ. Talis osseis, qui Græcis ἀστράγαλοι, unde ἀστραγαλίζειν 3), ut etiamnunc pueri, sic apud Græcos et Romanos ludebant. Ad osseorum similitudinem facti eburnei, argentei, aurei 4). Tali quatuor latera plana, duo convexa, Schneid. Lexicon sex lateribus incurvum facit: figuram exhibent *Pict. Herculan.* 1. tab. 1. In planis quatuordecim puncta, scilicet unum sive unio, et in opposito latere sex sive senio; in reliquis ternio et quaternio. In duobus laterum rarissime stabat, quod talus rectus dicebatur. Talis vulgo quatuor, tesseris tribus ludebant; utrosque jaciebant; quo trahendum ludere talis, tesseris, jacere, mittere, jactus; fritillus sive turricula; forus, alveus, tabula lusoria, aleatoria 5). Jactus in tesseris faustissimus seniones, pessimus uniones 6), in talis optimus in singulis diversum numerum 7), ideoque 1, 3, 4, 6, pessimus in singulis eundem exhibens; in utrisque optimus Venus et basilicus, pessimus canes dicebatur 8). Quatuor talis jactus video tribui 28, tesseris tribus 62; ipse, quin meo quid calculo tribuam, in illis 35, in his 56 reperio. Tesseris etiam utebantur in lusu duodecim scriptorum, ex jactu lapillos sive calculos

ponentes 9). Ad rem tesseræ, *pions*, calculum ducere, reducere; ludere latrunculis; latruncularia. Hunc autem lusum non absimilem fuisse volunt ei, quem Galli vocant *trictrac;* minus placet, imo culculi e jactu positi repugnant ejusdem cum *schachico* comparationi. Ad duodecim scripta, quamvis ab Ovidiano manifesto diversum, trahitur lusus Agathiæ epigrammatis, quem illustrare conatus De Pauw 10); contra jactus non memorat *carmen ad Calpurnium Pisonem* in eo, cui cum *schachico* insuper communis pugnæ imago 11), nec tamen illa Ovidii 12) *latronum prœliis* adsimilanda. Divinationis alea est in lusu *par impar* 13), et in micandi (micare, m. digitis) consuetudine 14), in venditione etiam usurpata 15), altero digitos unum pluresve, pugno soluto, protendente, altero simul, quot protendat, divinante.

1) De utrisque et varios ad lusus usu cf. Ovid. *A. A.* 3, 353. — 2) A *τέσσαρες*, quatuor? Inter derivata, varia hæc quoque significatione, tesserula, Gell. 18, 13, tessella (§. 462.), tesserarius, ut miles, §. 370, ars tesseraria, Amm. Marc. 14, 6. — 3) Cf. Plin. 33, 8. — 4) Cf. Mart. 14, 14, Suet. *Tib.* 14. — 5) Cf. Suet. *Aug.* 71, Mart. 14, 17. — 6) Cf. Suet. *Aug.* 71. — 7) Mart. 14, 14, *Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem, Munera me dices magna dedisse tibi.* — 8) Ad optimum et pessimum Prop. 4, 9, 17, *Me quoque per talos Venerem quærente secundos, Semper damnosi subsiluere canes*, ad canes Ovid. *Trist.* 2, 473, — *quo possis plurima jactu fingere, damnasos effugiasque canes.* Suet. *Aug.* 71, ex epistola Augusti, *talis enim jactatis, ut quisque canem aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerat.* — 9) Cf. Cic. *de Orat.* 1, 50, Quint. 11, 2, Ovid. *A. A.* 364. — 10) In *diatribe de veterum alea ad epigramma Agathiæ Scholastici*, Traj. ad Rhen., 1726. — 11) In qua adumbranda sibi placet auctor; cujus septemdecim versus insignioribus de veterum in tabula cum calculis lusu adnumerandi, qui hic, nigris et albis distincti, *vitrei milites* varium, solo ludentum ingenio et arte, prœlium committunt. — 12) *A. A.* 3, 357. — 13) Cf. Hor. *Sat.* 2, 3, 248, Suet. *Aug.* 71. — 14) Cf. Cic. *de N. D.* 2, 41, *de Off.* 3, 23, et 3, 19, *dignus, quicum in tenebris mices*, Petron. 44, Suet. *Aug.* 13, *patrem et filium*

pro vita rogantes, sortiri vel micare (al. dimicare) jussisse, ut alterutri concederetur. 15) Cf. Grut. *Inscriptt.* p. 647. nº 6.

CONNUBIA, DIVORTIA.

476. E vitæ domesticæ institutis, cujus insignis diu, legibus etiam cum de patria et mariti potestate, tum aliis, custodita severitas, hic conjungimus connubia et liberorum institutionem.

Justum matrimonium, cui opponitur contubernium, de more nonnisi inter cives Romanos, et antiquitus ne inter patricios quidem et plebejos, ac, secundum quosdam, ne inter diversas quidem gentes permissum diximus (§. 82.) Ad ejusmodi matrimonium necessaria solennis sponsio sive fides — ad quam arrhæ (arrhabo, ἀῤῥαβὼν, pignus) sponsaliæ 1) quoque, et annulus pronubus 2) trahenda — inter sponsum et sponsam consensu, in quorum erant potestate, coramque propinquis, data. Ad usum linguæ spondeo, σπένδω, sponsus, sponsare, sponsu adligare, sponsalia, efficere, contrahere, parare, præbere, sponsaliorum dies, cœna, etc.

1) Cf. Plaut. *Mil. Gl.* 4, 1, 11, Paul. in *Pandd.* 33, 2 38, *C. J.* 5, 1, 5, et 5, 2, 1. — 2) Juven. 6, 25, *Conventum tamen et pactum et sponsalia nostra Tempestate paras, jamque a tonsore magistro Pecteris, et digito pignus fortasse dedisti.*

477. Connubii tria genera distinguunt, ut ritu, sic, initio certe, juris quoque ratione diversa, confarreationem, usum et coemtionem 1). Ex his sanctissimum, confarreatio, coram decem testibus, Pontifice Maximo et Flamine Diali (§. 324.) sacrificante fiebat. Jungendi (quasi *confarreandi*) libum e farre, sale et aqua (far, ζέα, panis, libum farreum) gustabant (?); reliquum cum ove diis immolabatur 2). Nova nupta — ut hic universe adferantur, unde quid ad usum et coemtionem (§. 480.) trahendum sit, aut non, aliis scrupulose

docendum permittimus — a velo, flammeo 3), dicta, quo nuptiarum die caput obnubebat, unde nubere, nuptiæ, captis ante auspiciis, diisque conjugalibus, inprimis Junone, mactata bidente invocatis 4), sub noctem de more in ædes mariti 5), unde deductio, ducere v. uxorem ducere, Juno domiduca, etc., hac fere cæremonia ducebatur 6).

1) V. Caj. 1, 110. — 2) Cf. Dionys 2, 25, Tac. *Ann.* 4, 16, Serv. ad *Georg.* 1, 31, Boeth. *Top.* Cic. 3, Ulp. *Fragmm.* 9, Caj. 1, 110. Plin. 18, 3, *quin et in sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant.* — 3) Cf. Luc. 2, 361, *lutea demissos velarunt flammea vultus*, Juven. 6, 225, *flammea conterit.* V. not. §. 482. — 4) Cf. Serv. ad *Æn.* 4, 59. — 5) Cf. *Cat.* 62, 119. sqq., 58, *Hespere, qui cœlo fertur crudelior ignis? Qui gnatam possis complexu avellere matris*, etc. Cf. Pomp. in *Pandd.* 23, 2, 5. — 6) Cf. Lucan. 2, 354, sqq.

478. A sponso e matris, aut, si non superesset, e propinquæ gremio in speciem subrepta, fusum manu tenens, nec sua egrediens, nec mariti domum ingrediens, limen tangebat. Ducebant bini juvenes (παράνυμφοι), tertio aut pluribus cum face præcedentibus, quo trahenda fax, pinus, tæda nuptialis 1), quartus cum vario ornatu sive mundo muliebri sequebatur. Nescio, an ab hoc diversus, quem memorant camillum (§. 329.), contecto in vase, cumero, utensilia et puero futuro crepundia ferentem 2). Sponsa postes ædium mariti laneis vittis ornabat, adipe etiam lupino aut suillo ungens 3), pedeque in pelle ovina in ipso introitu posito, sponsum vocabat. Is aderat, claves sponsæ ferens, quas ipsa servo tradebat. De Caja v. §. 480. Tum aquam et ignem, ajunt, tangebat 4). Domum etiam floreis sertis ornari mos 5). Sponsæ autem ornatus memorant comam hasta 6) cœlibari comtam 7), incerta ritus origine et causa 8), tunicam puram (rectam, Plin. VIII, 48.),

vittam puram 9), zonam, unde notissimum zonam solvere 10), flammeum (§. 477.), virginalis ornatus prætextam, quam Fortunæ Virginali 11), bullam, quam cum crepundiis Veneri 12) aut lari familiari dicabat, et vittam virginalem. Deductionem excipiebat cœna nuptialis, sparsis inter convivas nucibus 13); qua peracta conjuges in conclave, thalamum (unde epithalamium, carmen nuptiale), cujus lectum, genialem, toga sternebant nuptæ 14), ducebantur, juvenibus atque puellis ante fores hymenæum cantantibus, immistis vulgo, in maritum aut sponsam quoque, licentibus 15) verbis, et repetitis solennibns illis: Hymen, o Hymenæe! Io, Hymenæe 16)! Hymenæo quodammodo respondet Talassio (Talassius, Talassus), inter nuptialia verba celebratum 17), unde Talassio servire, Cat. LVII, 134, Talassionem dicere, Mart. I, 36, 6, etc. De voce diverse veteres, alii ad famam de Talassio quodam referentes 18), cui de raptis Sabinis una specie insignis contigerit, alii, a τάλαρον, quasillo lanæ servandæ, lanificii signum cum Varrone, ap. Festum, facientes. Sequenti nuptias die nupta deos sacrificio, maritus denuo cœna exceptos familiares, quo trahitur vox repotia, muneribus abeuntes donabat.

1) Cf. Creuz. §. 69. — 2) Cf· Varro *de L. L.* 6, p. 72. Fest. in *cumeram* et *cumerum*, Plaut. *Cistell.* 3, 1, 5, *Rud.* 4, 4, 37. — 3) Plin. 28, 9: — *ne quid mali medicamenti* inferretur. — 4) Lipsius ad Tac. *Ann.* 4, 16, e Servio — *quid enim est aliud dextræ, quam in manum convenire; quæ conventio eo ritu perficitur, ut aqua et igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur: quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus Flaminem et Flaminicam jure pontificio in matrimonium necesse est convenire.* Cf. Ovid. *Fast.* 4, 792, *A. A.* 2, 598, *quos faciunt justos ignis et unda viros*, Varr. *L. L.* 4, p. 18.—5) V. §. 482. loc. Juven. Luc. 2, 354, *festa coronato non pendent limine serta.* — 6) Scilicet parva, quam δυράτιον Plutarchus, recurvam Ovidius vocat. Eadem cur cœlibaris, sive a *cœlebs* sive alio quodam etymo, dicatur, frustra

quæsivi. — 7) V. Fest. in *celibari*, Plut. *Q. R.* 87, Arnob., l. 2., *Numquid — nubentium crinem cœlibari hasta mulcetis?* Ovid. *Fast.* 2, 559, *nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri, comat virgineas hasta recurva comas.* — 8) Ipsi veteres in diversissima abeunt. Festus in aliis, *quæ in corpore gladiatoris stetisset abjecti occisique, ut, quemadmodum illa conjuncta fuerit cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro sit.* — *vel, quod fortes viros genituras ominetur.* Plutarchus in aliis, num signum sit, interrogat, primas vi et cum bello esse ductas, an, ut pleraque nuptiarum ad Junonem, cui sacra habetur hasta, referendum? — 9) Cf. Prop. 4, 3, 15. Idem 4, 11, 33, *mox ubi jam facibus cessit prætexta maritis, vinxit et acceptas* (alii *aspersas*) *altera vitta comas.* — 10) Cat. 57, 52, *tibi virgines zonula soluunt sinus.* — 11) Arnob., l. c. *numquid — puellarum togulas fortunam defertis ad virginalem?* — 12) Cf. Pers. 1, 70, *Veneri donatæ a virgine puppæ.* — 13) Cf. Cat. 57, 128. sqq., Virg. *Ecl.* 8, 30. — 14) Arnob. l. c. — *toga sternitis lectulos?* Cf. Lucan. 2, 357 — *stat torus, et picto vestes discriminat auro.* — 15) Cf. *Fescennina locutio.* Cat., 57, 127. — 16) V. Catull. LVII. LVIII. — 17) Cf. Liv. 1, 9, Dionys. 2, 31, Plut. *Rom.* 14, *Q. R.* 31, Serv. ad *Æn.* 1, 651, Fest. in Talassionem. — 18) V. Liv. 1, 9.

479. Confarreatio, qua Flaminem et Flaminicam (§. 324) *in nuptias convenire*, moris fuisse, testatur Servius (§. 478.), olim frequentior, sub Cæsaribus jam rarissima 1), quædam conjugibus et liberis privilegia dabat, in alio matrimonii genere non concessa, quæ nemo facile cuncta repererit. Flaminem dialem e liberis confarreatorum lectum esse, apud Tacitum videmus 2); eosdem patrimos et matrimos proprie dictos nonnulli putare videntur, alii patrimum simpliciter faciunt, cui pater, matrimum, cui mater, patrimum et matrimum, cui uterque superant 3). Contra triplici matrimonio, si non initio, posterius utique communia potius crederem, quæ inter uxoris jura ponuntur, matrem familias (cf. domina, hera, matrona) vocari, in viri potestatem, *in manum convenire* 4), in viri bona aut integra intestati et sine liberis morientis, aut in æquam cum liberis partem succedere, in viri bonorum, sacrorum quoque communio-

nem (§. 78 et 79.) venire; et quæ sunt alia legitimi matrimonii legibus definita. Marito, ut in liberos, sic in conjugem magna potestas: gravius peccantem ipse judex aut pœna adficiebat, aut puniendam propinquis permittebat 5).

1) Cf. Tac. *Ann.* 4, 16. — 2) Cf. Caj. 1, 112, ad eumque loc. Dirksen. *Versuche zur Kritik* — p. 115. — 3) Cf. Fest. in *patrimes* et *flaminia*, Cic. *de H. R.* 11, Tac. *Ann.* 4, 53, Zos. 2, 5 et 6. — 4) Cf. Caj. 1,109. Cic. *Top.* 3, *si ita Fabiæ pecunia legata est a viro, si ei viro mater familias esset: si ea in manum non convenerat, nihil debetur. Genus enim est uxor: ejus duæ formæ, una matrumfamilias, earum, quæ in manum convenerunt, altera earum, quæ tantummodo uxores habentur: qua in parte cum fuerit Fabia, legatum ei non videtur.* Cf. Cic. *p. Flacco* 34. — 5) Cf. Dionys. 2, 25, ad eumque locum Dirksen. *Versuche* p. 296, Plin. 14, 13, Suet. *Tib.* 35, Tac. *Ann.* 13, 32.

480. Usu mulier, ut res per certum temporis spatium possessa (§ 100.) dominium, legitima possidentis uxor fiebat, sicque e patris in viri potestatem tradebatur, si, consentiente patre aut tutore 1), annum integrum cum eo consuevisset, neque tres noctes abfuisset 2). Quæ abfuisset, usurpata, non usu capta dicebatur; ea nec in viri potestatem veniebat, nec pleno adeo connubii jure fruebatur, matrona etiam, si Gellio credimus 3), non mater familias adpellata, nempe uxor tantummodo habita 4).

Coemtionis, quam per mancipationem (§. 97.), neque matrimonii tantum, sed aliis quoque de causis a muliere factam testatur Cajus 5), hunc ritum memorant. Sponsus sponsam, velletne sibi mater familias, hæc vicissim sponsum, velletne sibi pater familias esse, rogabat. Respondenti, se velle, de tribus assibus, quos ad eam rem habebat, unum sponso dabat, unde coemtio; alterum in calceo ferebat, post in foco laribus collocatura; tertium in marsupio servans, in proximo compito promebat. Sic

in viri potestatem veniebat 6). Placet tamen nonnullis, coemtionem, apud alias quoque gentes inventam, initio non singulare connubii genus, sed confarreationis ritui conjunctam, postea, cæteris neglectis, solam superasse 7). Ad coemtionem, e Ciceronis loco 8) colligeres, tractum esse sponsum Cajum, sponsam Cajam adpellatam; quod alii universe ad nuptiarum ritum 9) referunt 10).

1) Cf. Cic. *p. Flacco* 34.—2) C. Caj. 1, 111.—3) 18, 6.—4) Cf. §. 479. Cic. *Top.* 3. —5) 1, 113. sq.—6) Cf. Varro ap. Non. c. 12, n. 50, Boeth. in *Top.* Cic. 4, Serv. ad *Æn.* 4, 103, Cic. *p. Flacco* 34, *p. Mur.* 12, *de Orat.* 1, 56. —7) Cf. Creuz. §. 65.—8) Cic. *p. Mur.* 12, — *putarunt omnes mulieres, quæ coemtionem facerent, Cajas vocari.* — 9) Quint. 2, 7, — *quia, tam Cajas esse vocitatas, quam Cajos, etiam ex nuptialibus sacris adparet.*—10) Novam scilicet nuptam ante januam sponsi, quænam esset? interrogatam, se Cajam esse respondisse (Cf. Jul. Paridi adscriptam *epit. de. prænom.*), vel, ut Plutarchus ait, *ubi tu Cajus, ego Caja*, jussam esse dicere; originem autem rei a laude Cajæ Cæciliæ Tanaquil, Tarquinii P. uxoris, deduci; quam et cætera egregiam, et lanificam, quæ tunc inter primarias mulierum dotes, optimam fuisse, vetusta fama. V. Plin. 8, 48, Fest. in *Gaia*, Plut. *Q. R.* 30. Cf. Creuz. §. 69.

481. Concubinatus (§. 82.), nec ante, quantum reperio, severe coercitus, legibus Julia et Papia Poppæa, quin legitimo matrimonio juris effectibus æquaretur, nec sine exceptione permissus, vitato jam tum a plurimis connubio, ut oneroso liberioris vitæ amantibus 1). Exin honestior concubinæ (amica, sodaliciaria, convictrix, etc.) nomen, olim cum pellice (pellicatus) confusæ. Concubinas autem habere concessum, quas leges civiles uxores esse non sinebant, ut judicio publico damnatam, quæstuariam, provincialem, omnino, in quam stuprum committi non censebatur (v. Hein. *Synt. App.* 39. 40.) Cæterum nec uxorem habenti ulla, nec cœlibi plures concessæ, nec vero sanguinis propinquitate aut adfinitate matrimonio exclusæ.

1) Cf. Plin. *Ep.* 4, 15.

482. Divortium et antiquiores, et lex XII Tabb. concedebat, sed viro tantum, non uxore flagitante, nec sine gravi causa. Temere repudiantem lex Romuli bonorum amissione multabat, partem uxori tribuens, alteram Cereri consecrans 1). Inter justas causas memorant, si adultera uxor, si venefica, si liberos alienos pro suis supposuisset, aut suos peremisset, si proprias viro claves sibi faciendas curasset, si vinum eo invito bibisset 2). Sed illis temporibus, singulari morum castitate, rarissima aut nulla divortia 3); eadem in corrupta civitate frequentia, sæpe levissimam, interdum, quod de Æmilio Paulo referunt, nullam causam adferente viro. Quidam ætate provectiores repudiabant; quidam adeo moribus infames eo animo ducebant, ut, adulteras mox pellentes, dote potirentur, quam, nulla legitima repudii causa, lex reddere juberet. Nec minus mulieres maritos, quantum intelligo, aut impune aut levi incommodo deserebant 4). Fœda licentia legibus quandoque, sed frustra coercita. Cæremoniæ etiam divortii, quo referenda repudiare, repudium renuntiare, mittere, remittere, dicere, antiquiore tempore pro connubii genere diversæ, quo trahuntur diffarreatio et remancipare 5), pauciores servatæ; in quibus tabulæ nuptiales coram septem testibus fractæ 6), claves uxori ademtæ 7), et formulæ: res tuas tibi habeto, tuas res tibi agito, exi, exi ocius, vade foras, et similia 8), unde et ejicere foras, exigere foras 9). Absens epistola divortium uxori nuntiabat, quo pertinet renuntiatio, nuntium remittere uxori 10). Omittimus alia.

1) V. Plut. in *Rom.* 22, ad eumque locum Dirksen *Versuche*, p. 298. — 2) Cf. Plut. in *Rom.*, Gell. 10, 23, Plin. 14, 12.—3) Cf. Gell. 4, 13., Valer. M. 2. 1, 4, Dionys. 2, 25. — 4) Cf. Cic. *ad Div.* 8, 7, Sen. *de Ben.* 3, 16, Mart. 6, 7, Juven. 6, 224.

Imperat ergo viro; sed mox hæc regna relinquit,
Permutatque domos, et flammea conterit, inde
Avolat, et spreti repetit vestigia lecti.
Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus, et adhuc virides in limine ramos.
Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos.

5) Cf. Fest. in *remancipatam.* — 6) Cf. Tac. *Ann.* 11, 30, Juven. 9, 75. — 7) Cf. Cic. Phil. 2, 28. — 8) Cf. Mart. 11, 105, Juven. 6, 144, *tres rugæ subeant, — collige sarcinulas, dicet libertus, et exi.* Idem, v. 170, lepide ad divortii formulas alludens, *tolle tuum, precor, Hannibalem victumque Syphacem in castris, et cum tota Carthagine migra.* — 9) Cf. Ter. *Hec.* 2, 1, 45. — 10) Cf. Cic. *de Orat.* 1, 40.

LIBERORUM INSTITUTIO.

483. Puerum tollendi ritum, bullam, togam prætextam et virilem s. liberam (§. 450) alibi attigimus. Virilis Liberalibus maxime sumta (§. 337.), domestica, in Principum liberis interdum publica etiam solennitate 1). Eadem vitæ publicæ quasi primordium 2); quo referenda tiro 3), tirocinium 4), *forum attingere, in forum venire* (§. 471.) Festus quoque dies positæ primum barbæ 5), quam, ut crinem 6) etiam, mos numini cuidam dicare, et infantium, in puero nonus, in puella octavus, lustricus et nominalis, dies, nominalia 7), quo trahenda (§. 313.) et dea Nundina 8).

De patria potestate, emancipatione et adoptione, de tutela item, quantum satis visum, aliis locis exposuimus. De liberorum vero institutione, ratio fert, aliam prisco tempore, aliam posterius fuisse. Nam rudibus adhuc litteris artibusque Romanorum ingeniis (§. 396. sqq.), ignotis divitiarum illecebris, durior fuit puerorum disciplina; et cum in aliis severior, tum ad bellicam in teneris animis fortitudinem excitandam alendamque inprimis accommodata, ideoque potissimum in corpore exercendo et roborando posita.

1) Cf. Suet. *Cal.* 10, *Tib.* 54.—2) *Entrée dans le monde.*—3) Cf. Ovid. *Fast.* 3, 787. Plin. 8, 48.—4) Suet. *Aug.* 26, *Tib.* 54, *Cal.* 10. — 5) Cf. Juven. 3, 186, Suet. *Cal.* 10, *Nero* 12, *inter buthysiæ adparatum barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem et pretiosissimis margaritis adornatam Jovi Capitolino consecravit.* — 6) Cf. Cat. 62, de coma Berenices, Juven. 3, 186, Stat, *Sylv.* 3, 4. — 7) Tertull. *de Idol.* 16. — 8) V. Macrob. *Saturn.* 1, 16.

484. Mutato prisco more (§. 401.), cum molliore vitæ cultu major ingenii excolendi cura, Græcorum exemplo Græcisque magistris, ut in adultis, sic in pueris cœpit. Exin igitur prima nobilium puerorum institutio Græco plerumque pædagogo permissa, quo doctore et moderatore alumnus patria et Græca lingua, litterisque et eloquentiæ præceptis imbuebatur: hæc primaria institutionis pars, nobis supra (§. 407.), quantum satis putavimus, memorata. Longe dispar apud vetustiores ratio, quum, nullis e Græco more gymnasiis, nullis omnino litterarum publicis scholis, sub privatis ludimagistris et domestico pædagogo major castitatis quam grammatices cura, et publice pariter, consuetudine atque institutis, non litteris artibusque ingenia, sed ad belli usum corpora variis crebrisque exercitiis formabantur, quibus ne tum quidem ædificia defuere, sed areæ maxime, et campi, inter quos hoc quoque nomine insignis Martius (§. 48 et 161.), consecrata. Quam puerorum institutionem seriore ævo neglectam scriptores passim queruntur 1).

1) Cf. Hor. *Od.* 3, 2 et 6, 24, 30. sqq.

FUNERA.

485. Morientibus aderant propinqui, amici, novissima amoris indicia, osculantes 1), extremum spiritum ore excepturi, oculos claudentes 2), annulum quoque digito detrahentes, quem redditum cremando conjiciunt c Pro-

pertio 3), conclamantes 4), unde conclamatus, corpora conclamata 5), conclamatum est 6), have, vale 7). Ut in his, ita funerum quoque eundem fere ritum quam apud Græcos reperimus; de quo hæc ad principes viros maxime spectantia. Corpus ablutum ungi insuper moris erat. Uncturæ, in XII Tabb. jam memoratæ 8), curam habentes pollinctores, si Servio (ad *Æn.* IX, 487.) credimus, tanquam *os polline* abluentes 9), vocabantur. Universus exsequiarum adparatus ad libitinarios 10), a Libitina, quæ et Venus Libitina 11), dictos pertinebat. Corpus, funus, unctum, et toga 12), cæterum pro mortui conditione vestitum 13), capite, quod certo in claris viris usitatum videmus, coronato 14), additis et claritudinis indiciis, velut palma victori, nec non ori, in naulum, inserto numo 15), in lecto ferali compositum, floribus etiam injectis 16), per plures dies fletu et lamentatione rite colebant, cum acerrimi doloris gestu quoque sive veri sive ficti significatione. Ante domum mortui ramus cupressi 17) aut pinus figebatur. Hinc cupressus invisæ 18), ferales 19), funerea frons. Funus expositum excipiebat elatio, efferre, ἐκφέρεσθαι 20). Ad rem præterea funus ducere, Juven. I, 146, facere, Cic. *de Legg.* II, 24., et latius patens *justa facere*, Cic. ib. 22.; exsequiæ, etc.

1) Cf. Cic. *Verr.* 5, 45, Quint. 9, c. extr., Virg. *Æn.* 4, 684. — 2) Ovid. *Trist.* 3, 3, 43, *Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo Labentes oculos condet amica manus?* — 3) 4, 7, 9. — 4) Liv. 4, 40. — 5) Lucan. 2, 22, Ovid. l. c. et v. 50, Lucr. 3. 468, *Unde neque exaudit voces, neque noscere vultus Illorum potis est, ad vitam qui revocantes Circumstant, lacrymis rorantes ora genasque.* — 6) Ter. *Eun.* 2, 3, 57. — 7) Catull. 101. extr. Cf. Virg. *Æn.* 11, 97. — 8) V. Cic. *de Legg.* 2, 24. — 9) Cf. Ulp. l. 5. §. 8, *de instit. act.* — 10) Cf. Suet. *Nero* 39. — 11) Cf. Hor. *Od.* 3, 30, 6, *Sat.* 2, 6, 19, *Libitinæ quæstus acerbæ*, Liv. 40, 19. — 12) Cf. Liv. 34, 7, Juven. 3, 171, *pars magna Italiæ*

est, si verum admittimus, in qua nemo togam sumit, nisi mortuus. — 13) Cf. Virg. *Æn.* 6, 221, Serv. ad *Æn.* 3, 67. — 14) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 24. — 15) Juven. 3, 265, — *jam sedet in ripa, — nec habet, quem porrigat, ore trientem.* — 16) Cf. Dionys. 11, 39. — 17) Plin. 16, 33, *Cupressus-diti sacra et ideo funebri signo ad domos posita.* Causam adfert Festus in *cupressi*: quia hujus generis arbor excisa non renascitur. Cf. Serv. ad *Æn.* 3, 64, Sen. *ad Marc.* 15. — 18) Hor. *Od.* 2, 14, 22. — 19) Virg. *Æn.* 6, 216. — 20) Cf. Don. ad Ter. *Andr.* 1, 1, 90.

486. Pompæ funebris, moderante designatore 1), v. domino funeris 2), agmen ducentes faciunt (apud sitos canentes) siticines, quasi funebres tubicines 3), et præficas, nænias, laudes defuncti ad tibiam canentes 4). Sequebantur, in quo fuere qui jus imaginum (§. 132.) positum vellent, quas (§. 432.) cereas diximus nobilitatis imagines, in atrio poni solitas 5), cumque his turba larvata, histriones, majores defuncti et ipsum ad vivum expresso ore gestuque exhibentes 6). Personas excipiebant a defuncto manumissi liberti 7); hos corpus in lectica, toro, feretro 8), aperto portantes stipantesque propinqui, amici, funebri veste, secundum nonnullos imagines potius sequentes. Memorantur et alia funeris decora, coronæ, tabulæ victarum urbium, etc.

1) Hor. *Ep.* 1, 1, 5, — *Dum ficus prima calorque Designatorem decorat lictoribus atris.* — 2) Cf. Cic. ad *Att.* 4, 2, *de Legg.* 2, 24. — 3) Cf. Gell. 20, 2, Hor. *Sat.* 1, 6, 43. Sen. *de morte Claudii : Et erat omnium formosissimum* (funus), *et impensa cura plenum, ut scires deum efferri; tibicinum, cornicinum omnisque generis æneatorum* (*al. senatorum*) *tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset.* Ad tubæ in funere usum Prop. 2, 10, 19 (§ 445.), Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 143. — 4) Cf. Fest. in *nænia*, Cic. *de Legg.* 2, 24, Hor. *A. P.* 431, *Od.* 2, 20, 21, Ovid. *Fast.* 6, 668, *ducit supremos nænia nulla toros.* Quint. 8, 2, *ut carmen funebre proprie nænia.* Inde nænia de cantu (Cf. Hor. *Od.* 2, 1, 38, *Ceæ retractes munera næniæ*), omnino de re vel exitu lugubri; denique de cantilena quacunque, et, ut Gallorum *chanson*, de nugis. Cf. Hor. *Od.* 3, 28, 16, *Ep.* 1, 1, 62. Ad funebres querelas, sive mavis ejulatus, lessum (Cf. Cic. *de Legg.* 2, 23.) quoque referunt veteres; unde lessum habere, facere

Cf. Plaut. *Truc.* 4, 2, 18. — 5) Cf. Juven. 8 init., Prop. 2, 10, 19, Tac. *Ann.* 3, 76.—6) Cf. Plin. 35, 12, Polyb. 6, 53, Dionys., 7, 72, Suet. *Tib.* 57, et *Vesp.* 19, — *in funere Favo* (?) *archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi*, etc.—7) Cf. Liv. 38, 55. — 8) Cf. Prop. 2, 10, 29.

487. Pompa per Forum, ubi mos mortuum pro Rostris laudari 1), tendebat; funus vulgo extra mœnia in via publica 2) condebatur. Olim domi aut suis in fundis in urbe sepultos esse Romanos, veteres testantur 3), et arguit lex XII. Tabb.(p.254.): *hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito* 4), ne hæc quidem sine exceptione clarorum virorum in gratiam servata, quos constat sæpe in urbe, interdum in Campo Martio conditos esse 5). De pauperum ultra Esquilinum *puticulis* confer Festum in *puticulos* 6). Corpus humare 7) olim usitatius fuisse videtur, quam cremati cineres condere; quod tamen antiquitus jam obtinuisse, manifestum e verbis XII Tabb. *neve urito* 8). Sed nec humandi mos seriore ævo prorsus cessavit, in infantibus, ante genitum dentem 9), vel, ut aliis dicere placuit, ante quadraginta dies extinctis 10), in gente etiam Cornelia retentus 11). De homine fulmine icto vide §. 321. Rogus sive pyra, pro defuncti ordine fortunisque exstructus, odoribus conspersus, a proximis averso vultu incendebatur 12). In flammam pretiosa, inprimis arma, vestem, alia vel defuncti vel amicorum etiam conjicere solebant 13). Combusto inter fletum planctusque funere 14), ignique extincto (vino), collecta ossa propinqui, amici, cum cineris particula, adjectis et odoribus aliisque 15), urna condita in sepulchro reponebant 16). Sermonis usu notanda urnæ cinerariæ, ossariæ 17), ossilegium 18). Non cremanda corpora loculis, capulo, feretro, sarcophago 19), inclusa inferebantur.

1) Cf. Dionys. 4, 40, 11, 39, Plut. *Public.* 9.—2) Cf. Juven. 1, extr. *quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina*, Nepos in *Att.* c. extr. —

3) Cf. Isid. *Origg.* 15, 11, Liv. 6, 36. — 4) V. Cic. *de Legg.* 2, 23. — 5) Cf. Cic. ib., Suet. *Cæs.* 84. — 6) Hor. *Sat.* 1, 8, 10, Suet. *Aug.* 72. — 7) Cic. ib. — 8) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 22 et 23, Creuz. §. 303. — 9) V. Plin. 7, 16. — 10) Quo trahitur suggrundarium, sc. sepulchrum, a suggrunda v. suggrundio, tecto prominente. V. Fulgent. *expos. serm. antiq.* §. 7, Creuz. §. 302. — 11) Cf. Cic. *de Legg.* 2, 22. — 12) Cf. Virg. *Æn.* 6, 223.—13) Cf. Tac. *Ann.* 3, 2, Suet. *Cæs.* 84. — 14) Cf. Tib. 1, 1, 75 (61), *flebis et arsuro positum me, Delia, lecto*, Prop. 1, 17, 23, *illa meum extremo clamasset pulvere nomen, ut mihi non ullo pondere terra foret;* ubi postrema consuetum illud, inque lapidibus frequens, *sit tibi terra levis!* — 15) Cf. Tib. 1, 3, 5, 3, 2, 23, Prop. 1, 17, 12, Hor. *Od.* 2, 6, 22. — 16) Cf. Hom. *Iliad.* extr., Ovid. *Trist.* 3, 3, 65. Commentarii vicem præstet Tib. 3, 2, 9:

Ergo ego quum tenuem fuero mutatus in umbram,
Candidaque ossa super nigra favilla teget,
Ante meum veniat longos incomta capillos,
Et fleat ante meum mæsta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore.
Mæreat hæc genero, mæreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animamque precatæ,
Perfusæque pias ante liquore manus,
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niveo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic, quas mittit dives Panchaia merces,
Eoique Arabes, dives et Assyria,
Et nostri memores lacrimæ fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret litera caussam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic situs est; dolor huic et cura Neæræ,
Conjugis ereptæ, causa perire fuit.

E Propertio hic addendum 1, 17, 11. sqq., et insignis locus 2, 10, 16. sqq. — 17) Cf. Ulp. *Pandd.* 37, 12, 2. — 18) Cic. *de Legg.* 2, 24. — 19) Cf. Plin. 2, 96, 36, 17.

488. In funeris ritu insuper distinguunt suffitionem, qua redeuntes lustrabantur, aqua lustrali adspersi, simul

ignem supergredientes (Fest. in *aqua.*) Dimittendi formula *ilicet* 1). Conditum funus silicernium 2), epulæ 3), et ludi, maxime gladiatorii (§. 350.), excipiebant, sæpe ad bustum, aut ardente etiam rogo, celebrati 4). Nono die sacrificium, novendiale, inferiæ 5).

De tempore funeris, veteres tradunt, condendi octavum diem fuisse 6), iidem, funus olim nocte, vespere, ductum; unde et *funeris* a *funalibus*, nec non *vespillonis* a *vespera*, tanquam *vesperonis*, nomen derivant 7); post pauperes modo 8) et impuberes 9) nocte, eosque cum facibus aut, ut quidam volunt, cum cereis, nullo præterea comitatu, elatos.

1) Cf. Serv. ad *Æn.* 6, 215, Don. ad Ter. *Phorm.* 1, 431, *Heaut.* 5, 2, 21. — 2) De etymo diverse veteres, quidam, a *silens* et *cerno*, quasi *silentes* sive umbras *cernens*, quidam, a *silex* et *cœna*, *silicenium*, quasi dapes in silice positas, fingentes; quod probans Jos. Scal., silicernium pro *silicesnium*, a *cesna*, cœna, dictum putat. V. Dacier. ad Fest.—3) Cf. Suet. *Cæs.* 26, Serv. ad *Æn.* 5, 91, Fest. in *silicernium.*— 4) Cf. Creuz. §. 306. — 5) Cf. Tac. *Ann.* 6, 5, Hor. *Epod.* 17, 48. — 6) Cf. Serv. ad *Æn.* 5, 64, Tac. *Ann.* 13, 17. — 7) V. Serv. ad *Æn.* 11, 143. Cf. Don. ad Ter. *Andr.* 1, 1, 51, Fest. in *vespæ.*, Prop. 4, 11, 46, *inter utramque facem.* — 8) Cf. Dionys. 4, 40, Suet. *Dom.* 17. — 9) Serv. l. c.

489. Sepulchri nomina, species, et partes memorantur bustum, tumulus, conditorium, monumentum, cœmeterium 1), κοιμητήριον, quiescendo, cinerarium 2), hypogæon (crypta, *catacombes*), columbarium, a similitudine, ut Liviæ Augustæ libertis et servis, a Gorio illustratum 3), cenotaphium, κενοτάφιον, *vacuum sepulchrum*, mausoleum; sepulchra singularia, familiaria, gentilitia, etc. Inter res in sepulchris conditas et vulgo repertas numi, urnæ, vascula (ampulla, phiale, *fiole*), lacrymis 4), odoribus servandis, lucernæ sepulchrales, etc. 5). Lapidum (saxum, cippus, columna sepulchralis) in tumulis non minus ac hodie vulgaris

usus, et superstites innumeri, ex iisque collectæ inscriptiones (epitaphium) testantur, nomina, honores, amorem, pietatem, quæ alia sepulchris inscribere mos est, memorantes 6). Sepulchra in rebus religiosis et juris pontificii esse, diximus §. 94 et 95.

1) Tertull. *de Anima* c. 51. — 2) In inscriptionibus ap. Grut., ut, p. 850, n. 10, 418, n. 11. — 3) V. Champollion *Résumé d'Archéol.* v. 1. p. 108. — 4) De quo nunc sunt qui, dubitent, Cf. Tib. 3, 2, 25. — 5) V. Guther., *de jure Man.* l. 2. c. 32. *Thes. Græv.* v. 12.—6) Cf. Tib. 1, 3, 54, 3, 2, 27, Prop. 2, 1, 82, — *breve in exiguo marmore nomen ero*, 7, 83, Ovid. *Trist.* 3, 3, 71.

490. Inter funera distinguunt publica (luctus publicus), indictiva et censoria 1), quibus opponuntur tacita, translatitia, plebeja, etc. 2). In publicis singularis Cæsarum, unde divi dicuntur, consecratio, apotheosis. Effigies defuncti excelso in rogo cremabatur: e summo aquila, quasi animam Olympo inferens, evolabat 3). Servos et pauperes inhumandos, aut ad rogum sandapila portabant vespillones, vespæ 4), ustores, iidem sandapilarii, serius lecticarii adpellati 5); quo trahenda vilis arca, Hor. *Sat.* I, 8, 9., orciniana sponda, Mart. X, 5, 9. Impuberum funus pompa caruisse, diximus; in divitum sæpe magnos sumtus 6), in publicis sæpe ingentes, interdum immensos fuisse, consentaneum est Romanorum, quam alibi memoravimus, luxus magnificentiæ, ad incredibilia progressæ. Exempla citant Syllæ 7) et Poppææ 8) funeris. Luxum lege XII Tabb. (p. 254.) coercitum testatur Cicero 9), cum aliis vetante, ne aurum addatur 10), ne sint plures quam decem tibicines (§. 444.), quam tria ricinia, et, quod veteribus etiam obscurum, *neve lessum funeris ergo habento* (mulieres), et *rogum ascia ne polito* 11). Antiquiorem etiam legem facit Plinius, XIV, 12, *vino rogum ne respergito.*

1) Cf. Tac. *Ann.* 4, 15.—2) Cf. Sen. *de Tranq.* c. 1, Suet. *Nero*, 33,

Ovid. *Trist.* 1, 3, 22. — 3) Herod. 4, 2. — 4) Fest. in *vespæ.* — 5) Cf. Juven. 8, 175. — 6) Quos arbitria vocat Cicero, *in Pis.* 9, *p. dome* 37, *post red. in s.* 7. — 7) Plut. *Sylla*, 38. — 8) Plin. 12, 18. — 9) *De Legg.* 2, 23-25. — 10) Exceptionem sic concedit altera lex (Cic. *de Legg.* 2, 24. V. p. 255.). *Quoi auro dentes vincti escunt, ast im cum illo sepelire urereve se fraude esto.* V. Bœttig. *Sabina*, v. I. p. 58. — 11) Cf. Creuz. §. 305.

NOMINA, GENTES.

491. Gentes patriciis et plebejis distinctas, earumque connubio et adoptione mistionem, nomina Romana peregrinos civitate donatos, et dominorum nomina manumissos accepisse, diem etiam nominalem (§. 483.) aliis locis memoravimus. Hic nonnulla supersunt brevissime explicanda.

Nomina Romanis de more plura, initio, ut quidam putant, facto a Romanorum cum Sabinis conjunctione 1); cui favet, quod antiquissimo tempore unum, ut Numitor, Amulius, Romulus, Celer, occurrit; sed eodem tempore apud vicinas Romæ gentes duo, ut Titus Tatius, Numa Pompilius, aliaque memorantur; quo citius crederes Romæ etiam initio bina vulgo fuisse, quin necesse sit ea a Sabinis repetere, atque eo magis; quod tertium nomen serius a variis causis accessisse gentibus Romanis multis videmus; ac vero proximum est, in omnibus hoc accidisse, nisi, inter primos Romæ incolas jam tribus nominibus gentes nonnullas fuisse, malis suspicari. Cæterum, tertio nomine a casu ducto, mirum non est, quibusdam in gentibus aut familiis Ciceronis etiam ætate duo tantum occurrere. Sed frequentius multo tria, sæpe et quatuor, raro quinque inveniuntur. Ex his secundum est gentis, velut Tullius, Cornelius, Julius, Pompejus; primum, prænomen, velut Cajus, Aulus, Cnejus, Marcus, Publius, ejudem familiæ homines, velut Marcus et Quintus Cicero, Cajus et Tiberius Gracchus, tertium, cognomen, ejusdem gentis familias distinguit, velut Scipio et Lentulus in gente Cornelia, Drusus, Gracchus et Asellio

in gente Sempronia; quartum et quintum (agnomen), ut tertium, a variis causis adjecta, plerumque familias distinguunt, velut Lupus, Sura, Spinther in gentis Corneliæ familiis Lentulorum; alias personæ inhærent, velut Cunctator, Africanus, et quæ sunt ejusmodi.

1) Cf. Lyd. 1, 21 et 22.

492. Significatio vocabulorum in prænominibus et nominibus fere incerta, in cognominibus et agnominibus sæpius aperta 1); velut Cicero a cicere, Lentulus a lente, Seranus (Serr.) a serendo, Pilumnus a pilo frugi conterendæ invento 2); ad quod genus numerosum gentilia etiam, ut Fabiorum a faba, trahi possunt. Multa etiam a corpore, ut Crassus, et plurima a mendis derivata 3), ut Pætus, Strabo, Scaurus, Nævius; alia denique ab aliis causis, partim certis, partim dubiis, partim historia etiam celebratis, ut nomina Coriolanus, Africanus, Creticus, Macedonicus, Allobrogicus, Corvinus, Torquatus, Cunctator. Inter prænomina antiquarii distinguunt Romana et, vetustiore ævo frequentius occurrentia, extera, ut Lucumo, Aruns, Numa, Petro, alia. E filiis natu maximus de more patris prænomen, cæteri propinquorum accipiebant. Filiæ vulgo gentis nomine vocatæ, ut Octavia, Julia, Livia, Pomponia, Cornelia, quod nuptæ quoque servabant. Exemplum a patris cognomine adpellatæ, et retenti matris nominis habes in nomine Agrippinæ. An filiabus olim prænomina fuerint, inter doctos non convenisse video; post non fuisse, vel inde intelligeres, quoniam sorores addito *major*, *minor* 4), plures addito *prima*, *secunda*, etc. d scretæ reperiuntur 5). Blanditiæ pepererunt diminutiva, ut Drusilla, Livilla, Tulliola, etc.

Inter gentes Romanorum celeberrimas, a quibus pars tribuum (§. 143.) nominatæ, occurrunt Antonia, Aemilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Hortensia, Horatia, Junia, Julia,

Manlia, Papiria, Postumia, Sempronia, Sulpicia, aliæ. Commentarii de gentibus et nominibus Romanorum plures exstant a recentioribus conscripti 6).

1) Cf. Lydus 1, 22 et 23. — 2) V. Plin. 18, 3. — 3) Cf. Hor. *Sat*, 1, 3, 44. sqq.— 4) Cf. Tac. *Ann*. 4, 44. — 5) Cf. Suet. *Cæs*. 50, Varro *de L. L.* 8, p. 113. — 6) Gentes et familias in numis occurrentes habes in Champollion-Figeac *Résumé d'Archéol.* v. 2, p. 237.

SERVORUM FAMILIÆ ET MUNERA.

493. De servis cætera alio loco exposita (§. 51. sqq.); hic sequentia adjicimus. Ad officia, quæ nobis famuli præstant mercede conducti, Romanos ingenuæ conditionis hominibus usos non esse, ne ad ea quidem, quæ in divitum et nobilium domibus hodie ut honorifica etiam ambiuntur, res est notissima. Relinquebatur adeo, ut illa servis mandarentur, multa præterea facientibus, quæ nobis sutores, sartores, tonsores, alii opifices; quorum quæ Romæ ratio fuerit, §. 380–1. retulimus. Hoc servato instituto, consentaneum fuit servorum numerum in dite et luxuriosa Roma vehementer augeri. Sed nihil æque ad augendum valuit quam immensæ singulorum civium fortunæ, et (§. 378.) vastissima prædia, latifundia, a servis culta 1). Igitur et in urbe ingens, et major rure servientium multitudo 2); divitibus et potentibus plurimi, interdum incredibilis numerus, pauperiori etiam civi et patronorum donis viventi vulgo plures 3). Cæterum, sive magno sive parvo numero, familia vocabantur Hæc in ditiorum ministerio in urbanam et rusticam, utraque in ordines divisa.

1) Cf. Plin. 18, 6, Flor. 3, 19, Petron. 48 et 53, Sen. Ep. 88, *de Benef.* 7, 10, *O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus, et vasta spatia terrarum colenda per vinctos, et immensi greges pecorum per provincias ac regna pascendi, et familia bellicosis nationibus major, et ædificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia!* —2) Cf. Athen. *Deipn*. 6, 20, Plin. 33, 1, Petron. 37 et 47. — 3) Cf. Juven. 3, 166 et 248. sqq.

494. In familia urbana alii domi, alii foris ministerio funguntur; in illis primo loco dispensator, *οἰκονόμος*, *économe, intendant* 1), a quo munere parum aut nihil discrepantes actor, ratiocinator, sive a rationibus 2), et procurator 3), nec non affinis actuarius 4), et gradu illis æquatus, ab atrio, atriensis 5); plerosque rure etiam occurrere, muneris rationi congruens. Diversi cubicularius et admissionalis, ille cubiculum observans, *valet de chambre, chambellan* 6), hic ad audientiam, admissionem 7) petentes introducens 8), e principum virorum, maxime Cæsarum ministerio. Gradu infimo ostiarius s. janitor (puer a jauna), sæpe vinctus munere fungens 9), et, ut sane videtur, quamvis obscuro officio, mediastinus 10). In cæteris silentiarius, quietis, silentii, custos, horarius 11), horam nuntians, librarius, libros describens, excipiens 12), anagnostes, lector (§. 470.), servus a manu, ad manum, ab epistolis, *copiste*; *secrétaire* 13), servus a bibliotheca, puer a veste, ad vestes, medicus (§. 420.), pædagogus (§. 484), capsarius 14), lorarius (§. 55.), tortor 15).

1) Cf. Cic. ap. Non. 3, 18, Suet. *Vesp.* 22, Juven. 1, 91. — 2) Cf. Suet. *Claud.* 28. — 3) Cf. Cic. *de Or.* 1, 58, Colum. 1, 6, Petron. 30. — 4) Cf. Petron. 53. — 5) Cf. Cic. *Parad.* 5, 2, *in Pis.* 27, Plaut. *Asin.* 2, 2, 80, Colum. 12, 3. — 6) Cf. Cic. *ad Att.* 6, 2, Suet. *Dom.* 17, *Lampr. Comm.* 15, *Cubicularios suos libenter occidit, cum omnia ex nutu eorum semper fecisset.* — 7) Cf. Suet. *Vesp.* 14, Sen. *de Clem.* 1, 10, *de Benef.* 6, 33, *Non sunt isti amici, qui agmine magno januam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur*, etc. — 8) Cf. Lamprid. in *Alex.* c. 4, Suet. l. c., Lydus 2, 17. — 9) Cf. Ovid. *Am.* 1, 6, Suet. *Rhet.* 3. — 10) Cf. Cic. *Cat.* 2, 1, Colum. 1, 9, 2, 13. — 11) Salvian. *de gubern.*, p. 96 (108), *servi pavent silentiarios, pavent procuratores.* Silentiarios in Palatii officiis memoravimus §. 232. Cf. Lyd. 2, 17. — 12) Cf. Cic. *Fam.* 16, 21, *ad Att.* 12, 6. — 13) Cf. Suet. *Aug.* 67, *Cæs.* 74, Cic. *de Orat.* 3, 60. — 14) Cf. Hor. *Sat.* 1, 6, 78, Juven. 10 116, *Quisquis adhuc uno partam colit asse*

Minervam, *Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.* — 15) Cf. Juven. 14, 21.

495. Dominarum beatarum 1) tum alias numerosa servientium turba (lecticarii, janitrices, librariæ, etc,), tum quæ ad mundum muliebrem refertur 2), longe maximam partem servæ, inter quas, a κοσμεῖν, cosmetæ, ornatrices 3), in iisque ab acu et (§. 457.) a tutulis 4) occurrunt, minuta scilicet ornatus parte singulis permissa, quo perfectiores in sua quæque arte evaderent. E. masculis ad hoc genus trahitur cinerarius sive ciniflo, crispandis capillis ferrum calefaciens; nisi malis cinerem tingendis parantem cum Bœttigero facere 5). Ad mensam pertinent vocator 6), invitator 7), opsonator 8), obsonio coemendo, coquus, pistor (v. infra), diætarius diætis, et, ut quidam volunt, tricliniis sive cœnationi maxime præfectus (§. 468.), structor, carptor (scissor) et diribitor, structor mensam cibis ornans, vel secantis etiam, quod proprium carptoris, munere fungens 9), diribitor (Cf. §. 166.) fercula convivis distribuens; prægustator, προγεύστης, cibos prægustans 10); pincerna 11), pocula implens et ministrans; quo trahuntur, apud Apulejum 12) occurrens, pocillator, puer ad cyathum 13), a potione 14). Foris serviunt insularius, ædibus præpositus 15), quæ, libero circuitu separatæ, insula (§. 46.) dictæ, vulgo pluribus locatæ 16), balneator, viridarius, a tabulis dictus, tabellarius, epistolas perferens 17), sed idem vocabulum de rationibus usurpatum; fugitivarius (§. 55.), vocator, nomenclator, velut candidatorum (§. 184); pedissequus 18), alii. In familia rustica, quidam in utraque, ponuntur villicus, actor, sutores, sarcinatores, textores, moliones 19), rhedarii 20), aratores, vinitores, venatores, magistri pecorum, bubulci, molitores, pistores 21), pani, placentis, *boulanger, pâtissier*, etc.

1) De quibus insignis locus Juvenalis VI, 476. Cf. Prop. 4, 7. — 2) V. Bœtt. *Sabina*.—3) Ovid. *A. A.* 3, 239, *Tuta sit ornatrix : odi, quæ sauciat ora unguibus, et rapta brachia figit acu.* — 4) Cf. Ovid. *Am.* 2, 7, 23. 5) *Sabina* p. 1, p. 144. Cf. Heindorf. ad Hor. *Sat.* 12, 98. — 6) Sen. *de Ira* 3, 37, Mart. 7, 85, 11.—7) V. Pignor. *de Serv.* p. 111. — 8) Sen. *Ep.* 47, *Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet*, etc. — 9) Cf. Sen. l. c., et *de V. B.* 17, Mart. 10, 48, 15, Juven. 5, 120 :

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectas, et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia, nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.

Petron. 36, — *Carpe, inquit* (Trimalchio). *Processit statim scissor, et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares essedarium, hydraula cantante, pugnare.* V. pignor. *de Serv.* p. 178. — 10) Cf. Suet. *Claud.* 44, inscript. ap. Grut. p. 63. n. 5 et 9, p. 602. n. 4. Conf. Arnob., l. 4. p. 13, — *an rite pulmenta condita sint, prægustatoris fungitur atque experitur officio,* ad eaque not. Heraldi, p. 160. Cf. Pignor. *de Serv.* p. 125 et 133. — 11) Cf. Ascon. in Cic. *Verr.* 1, 26, Lamprid. *Alex. Sev.* 41. —12) *Met.* l. 6, pag. 179, l. 10, p. 247. — 13) Cf. Suet. *Cæs.* 49, Juven. 13, 44, Hor. *Od.* 2, 29, 7. — 14) In epitaphio. V. Pignor. p. 132. — 15) Cf. Ulp. *Pandd.* 1, 15, 4, *Insularios* (sc. servos), *et eos, qui neglegenter ignes apud se habuerint, potes* (Præfectus Vigilum) *fustibus vel flagellis cædi jubere.* — 16) Cf. Pomp. *Pand.* 7, 8, 16, 50, 16, 166. — 17) Cf. Cic. *ad Fam.* 14, 22, Symm. 4, 20 et 3, 30. — 18) Cf. Cic. *ad Att.* 2, 16, Nep. *Att.* 13. — 19) Cf. Pignor. p. 420, Popma *de operis servorum*, p. 98. — 20) Cf. Capit. in *Max.* et *Balb.* 5. V. Pignor. p. 429. — 21) Pistores, olim iidem cum coquis. Cf. Fest. in *coquum*, V. Pignor. p. 94 et 95, ubi locus Lampr., *Heliog.* 27, pistores dulciarios et lactarios distinguens. Cf. Apul. *Met.* 10, *hic panes, crustula, lucunculos, et complura scitamenta mellita.* Mart. 14, 222, *mille tibi dulces operum manus ista figuras exstruit : huic uni parca laborat apis.* Idem 11, 32, 7, *hinc pistor fatuas facit placentas.*

FINIS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

(Numerus ad §. refertur.)

1) De quibus insignis locus Juvenalis VI, 476. Cf. Prop. 4, 7. — 2) V. Bœtt. *Sabina*.—3) Ovid. *A. A.* 3, 239, *Tuta sit ornatrix : odi, quæ sauciat ora unguibus, et rapta brachia figit acu.* — 4) Cf. Ovid. *Am.* 2, 7, 23. 5) *Sabina* p. 1, p. 144. Cf. Heindorf. ad Hor. *Sat.* 12, 98. — 6) Sen. *de Ira* 3, 37, Mart. 7, 85, 11.—7) V. Pignor. *de Serv.* p. 111. — 8) Sen. *Ep.* 47, *Adjice obsonatores, quibus dominici palati notitia subtilis est, qui sciunt, cujus rei illum sapor excitet*, etc. — 9) Cf. Sen. l. c., et *de V. B.* 17, Mart. 10, 48, 15, Juven. 5, 120 :

> *Structorem interea, ne qua indignatio desit,*
> *Saltantem spectas, et chironomonta volanti*
> *Cultello, donec peragat dictata magistri*
> *Omnia, nec minimo sane discrimine refert,*
> *Quo gestu lepores, et quo gallina secetur.*

Petron. 36, — *Carpe, inquit* (Trimalchio). *Processit statim scissor, et ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut putares essedarium, hydraula cantante, pugnare.* V. pignor. *de Serv.* p. 178. — 10) Cf. Suet. *Claud.* 44, inscript. ap. Grut. p. 63. n. 5 et 9, p. 602. n. 4. Conf. Arnob., l. 4. p. 13, — *an rite pulmenta condita sint, prægustatoris fungitur atque experitur officio,* ad eaque not. Heraldi, p. 160. Cf. Pignor. *de Serv.* p. 125 et 133. — 11) Cf. Ascon. in Cic. *Verr.* 1, 26, Lamprid. *Alex. Sev.* 41. —12) *Met.* l. 6, pag. 179, l. 10, p. 247. — 13) Cf. Suet. *Cæs.* 49, Juven. 13, 44, Hor. *Od.* 2, 29, 7. — 14) In epitaphio. V. Pignor. p. 132. — 15) Cf. Ulp. *Pandd.* 1, 15, 4, *Insularios* (sc. servos), *et eos, qui neglegenter ignes apud se habuerint, potes* (Præfectus Vigilum) *fustibus vel flagellis cædi jubere.* — 16) Cf. Pomp. *Pand.* 7, 8, 16, 50, 16, 166. — 17) Cf. Cic. *ad Fam.* 14, 22, Symm. 4, 20 et 3, 30. — 18) Cf. Cic. *ad Att.* 2, 16, Nep. *Att.* 13. — 19) Cf. Pignor. p. 429, Popma *de operis servorum*, *p.* 98. — 20) Cf. Capit. in *Max.* et *Balb.* 5. V. Pignor. p. 429. — 21) Pistores, olim iidem cum coquis. Cf. Fest. in *coquum*, V. Pignor. p. 94 et 95, ubi locus Lampr., *Heliog.* 27, pistores dulciarios et lactarios distinguens. Cf. Apul. *Met.* 10, *hic panes, crustula, lucunculos, et complura scitamenta mellita.* Mart. 14, 222, *mille tibi dulces operum manus ista figuras exstruit : huic uni parca laborat apis.* Idem 11, 32, 7, *hinc pistor fatuas facit placentas.*

FINIS.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

(Numerus ad §. refertur.)

LITTERARIA COMPENDII RERUM ORDINEM SEQUENS NOTITIA.

Fontes antiquitatum Romanarum, et recentiorum ad earum studium adjumenta distinximus §. 4 et 5., simul e multis, universam disciplinam complexis, opera, itemque de partibus collecta, quo multarum quoque sive societatum sive academiarum acta magnam partem referenda, dissertationes commentariosque, indicavimus, quibus addere possis multorum auctorum, ut Brissonii *de Formulis*, et Alexandri ab Alexandro *Genialium Dierum*, mixti argumenti libros, quinetiam quosdam partes, ut antiquitates convivales Stuckius, ita tractantes, ut totum congerere voluisse diceres. Inter recentissima, academicis lectionibus composita, F. A. Wolfii *Vorlesungen über d. rœmischen Alterthümer*, quas Lipsiæ, 1831, edidit Gurtler, S. F. W. Hoffmann *die Alterthumswissenschaft* — Lipsiæ, 1835, et; quas, illustriss. Belgii studiorum Antistiti consecratas, modo inspexi, P. Bergeron *précis des Antiquités Romaines* — Bruxelles, 1835. In juris Romani historia (p. 6.) laudata W. A. Macieiowski *princip. Jur. Rom.* t. I. s. *Hist. Jur. Rom.* (ed. 2. Warsaviæ, 1825.) Ad eandem trahendum *précis de l'Histoire du Droit Romain* par Gibbon — revu — par L. A. Warnkœnig, Liége, 1821, et a. 1834 vulgari cœptum Walteri, profess. in univers. Bonn., *Geschichte des Rœmischen Rechts bis auf Justinian*. Insignis etiam in hac antiquitatum parte Dirksenii, quam §. 261. memoravimus, opera. Post Fabricii *Bibliogr. Antiq.* (p. 3.), qui parem universæ disciplinæ operam navarit, neminem novi; titulorum indices, cum aliis antiquitates continentes, multi edidere, cujus generis est J. Phil. Krebs *Handb. der philol. Bücherkunde*, Bremen, 1823. Ad jus pertinent Ch. Gottl. Haubold *Institutiones Juris Rom. Litterariæ*, Lipsiæ, 1809. E veteribus scriptores Latinos §. 409-421, inscriptiones nonnullas memoravimus §. 426. Singulorum auctorum, de quo inter nostræ ætatis scriptores videndi nobis sæpius memorati Niebuhr et Wachsmuth, fidem, et ad antiquitates utilitatem expendere, longius, quam pro modo *compendii* nostri, fuisset, in lectionibus tamen non omittendum. Græcorum, ut Latinorum, testimonio in singulis usi sumus; antiquaria utrorumque scripta ad partes antiquitatum Romanarum referenda in hoc indice, ubi videbitur, respiciemus.

§. 8-36. Imperii Romani regionum conspectu fere terras veteribus notas, sicque veteris geographiæ orbem comprehendimus.

E Græcis, quæ integra aut ex parte supcrant, ad geographiam universam referenda Eratosthenis, 194. ante Chr. a. extincti, apud Strabonem et alios fragmenta; Scymni περιήγησις, carmen iambicum; Strabonis, sub Augusto et Tiberio, *Rerum Geographicarum* l. XVII; Claudii Ptolemæi, sæculi 2., *Geographiæ* l. VIII; Agathemeris com-

pendiariarum Geographiæ expositionum l. II; Marciani, sæculi, ut putant, 4., *Periplus maris externi* l. II, et *epitome Geographiæ Artemidori*, fragmentis aliquot superstes; Stephani Byzantii ἐθνικά (*gentilia*), Hermolai, sæculi 6., epitome (Stephanus *de Urbibus*) superantia.

Ad partes trahenda Hannonis, ducis Carthaginiensis, *Periplus*, e Punico græce versus; Scylacis Caryandensis, dubiæ ætatis, *Periplus*; Pytheas, Massiliota, famosus itinere extra Herculis Columnas, Straboni sæpe citatus, fide a recentioribus acriter et incusata et defensa; Nearchi, Alexandrum M. comitati, *Periplus*, fragmentis in Arriani *Indicis* superstes.

Geographos Græcos minores illustratos ediderunt Hudson et Bredow; de Geographis Latinis v. §. 418.

Inter recentiorum laudata opera Phil. Cluverii *Introductio in univers. Geographiam* — Amstel. 1697; Christoph. Cellarii *Notitia Orbis Antiqui*, Lipsiæ 1701—6., cum observv. Schwartzii 1731 et 1773, 2 voll. 4., Jac. Oberlini *orbis antiqui monumentis suis illustr. primæ lineæ*, Argent., 1776 et 1790, D'Anville *Géographie ancienne abrégée*, Paris 1768 et 1783, 3 voll., K. Mannert, quæ hodieque continuatur, *Geographie d. Griechen u. Ræmer*, Nürmberg ab a. 1782, F. A. Ukert *Geographie d. Griechen u. Ræmer bis auf Ptolemæus* — Weimar, ab a. 1816. *Geographiæ Antiquæ compendium in usum scholarum*, Lugd. Bat. 1818, edidit F. A. Bosse.

In singulis regionibus versatos scriptores omittimus. E. tabulis geographicis insignis d'Anvillii *Atlas orbis antiqui*.

§. 37-40. E veteribus hic accuratius et copiosius, quam quisquam superstes, Dionysius Hal. Argumento huc trahenda S. Aur. Victoris *origo gentis Romanæ*. Inter recentiorum laudata opera

Cluverii *Italia Antiqua*; Beaufort. *dissertation sur l'incertitude des cinq premiers siècles de l'Histoire Romaine* (à la Haye 1750); e nostra ætate *Ræmische Geschichte* von B. G. Niebuhr, cujus pars duobus voluminibus vulgata Berolini, 1811, eademque in multo ampliore opere, quin totum perficeretur, repetita. Inter Niebuhrio adversantia *die æltere Geschichte des Ræmischen Staates untersucht* v. W. Wachsmuth (Halle 1819.)

§. 41-50. E veteribus supersunt Sexti Rufi *de Regionibus urbis Romæ*, et Publii Victoris ejudem argumenti liber (uterque in *Thes. Græv.* 1) v. III.) Inter recentiora cum aliis laudantur Jul. Minutoli *dissertt. septem historicocriticæ Rom. Antiq.* illustrantes (*Thes. Sall. I.*); Andreas Cirino *de urbe Roma* (ib. v. II. pag. 18-656.); Barth. Marliani *Urbis Romæ topographia* (*Thes. Græv.* v. III.); Onuphrii Panvinii *antiquæ urbis imago* (ib.); Guid. Pancirolli *urbis Romæ descriptio*, *et de* XIV *Urbis regionibus commentarius* (ib.); Al. Donati *Roma vetus ac recens* (ib.); Famiani Nardini *Roma vetus*, ex italo latine reddita (ib. v. IV. Novæ operæ est *Nardini Roma antiqua* da Antonio Nibby-Romæ, 1820, 4 vol.); Christ. Adler *ausführl. Beschreib. d. Stadt Rom.* (Altona 1781. 4.); Venuti *descrizione topografica delle antichità di Roma* (Rom. 1763, ed. 2. 1803.); D. Carlo Fea *descrizione di Roma* (Romæ, 1823. 3 voll); *Antichità Romane-designate ed incise* da Giamb. Piranesi (Romæ, 1748-56. 4 vol. fol.); J. B. Piranesi et fr. *OEuvres sur l'archit. et l. antiqq. gr. et rom.* (nova ed. cum notis Visconti, Versailles et Paris, ab a. VIII., 17 vol. fol.); D. Carlo Fea *Nuova Descrizione de monumenti antichi ed oggetti d'arte* — (Roma 1820.)

Ex operibus hic indicatis nonnulla aut integra aut ex parte ad archæologiam (§. 430. sqq.) potius, quam ad Urbis descriptionem referenda. Utriusque generis ingens est et in dies crescens copia.

Ad nomen Urbis Münter *de occulto urbis Romæ nomine*, in ejus *antiquarische Abhandll.* n. 1. *De* magnitudine et incolarum numero vulgo citantur Lipsii et Vossii libri (§. 45.)

1) *Thes. Græv.* editione usi sumus Veneta.

Singula Romæ monumenta pleraque dissertationibus, quædam multis illustrata. Huc trahenda. Nic. Bergier *de publ. et militar. Imperii. Rom. Viis* (*Thes. Græv.* X. pag. 7-610. Id. gallice *des grands chemins des Romains*, Paris, 1662.); *über das Pantheon*—v. Hirt. (in *Museum der Alterthums-Wissensch.* vol. 1.); Minianæ *de Circi antiquitate et structura* (in Pol. *Supplem. utriusq. Thes.* v. V.); Bulengerus *de Circo Romano LudisqueCircensibus*(*Thes Græv.* IX.); Bulengerus de Theatro (*Thes. Græv.* IX.); J. Lipsius *de Amphitheatro* (opp. ejus t. III.); Maffei *de Amphitheatro* (Pol. *Suppl.* V.); Baccius *de Thermis veterum* (Venet. 1571. 1712. et *Thes. Græv.* XII.); Octav. Ferrarius *de Balneis* (Pol. *Suppl.* III.); Cameron *the baths of the Romains explained*, (London 1772, fol.); Bellori *veteres Arcus Augg. triumphis insignes* Romæ, 1690; *Arcus Septimii Severi* — J. M. Suaresii, Romæ, 1676; Bartoli et Bellori *Columna Trajana*, —*Columna Antonina;* J. Vignolius *de columna Antonini Pii*, Romæ, 1705, Ciacconii *columna C. Duillii* illustrata(v.§.426,not.);Raph.Fabretti *de Aquis et Aquæductibus veteris Romæ.* (*Thes. Græv.* IV.) (E veteribus superest Frontini *de aquæductibus* liber.); *de Origine et Usu Obeliscorum*-auct. Zoega, Romæ, 1797. Fol.

§. 51-64. E fontibus huc trahendi Justiniani et Caji *Institutionum*, nec non *Pandectarum* de servorum statu, conditione, jure, manumissione, tituli. E recentiorum scriptis passim citantur

Laur. Pignorii *de Servis et eorum apud veteres Ministeriis commentarius* (Augustæ Vindel. 1613, Patavii 1676., in Pol. *Suppl.* III.); Titi Popmæ de *Operis Servorum liber* (Antwerp. 1606, Amstel. 1673., in Pol. *Suppl.* ib.)

Inter cætera occurrunt. L. Ant. Muratori *dissertazione sopra i Servi e Liberti antichi;* A. Fr. Gorii *descriptio Monumenti s. Columbarii Libertorum et Servorum Liviæ Augustæ et Cæsarum* — (in Pol. *Suppl. ib.*, et Florentiæ, 1727); Burigny *sur les Esclaves Romains* (in *Mémoires de l'Acad. des Inscriptt. et Belles-Lettres* V. XXXV.

Ad partes referenda W. a Laon *Eleutheria s. de Manumiss. servorum ap. Rom.* (Traj. ad Rhenum 1685., in Pol. *Suppl.* v. III.); Venuti *de dea Libertate ejusq. cultu ap. Rom. et de libert. Pileo*, *Romæ* 1762; Burigny, *Mém. de l'Acad.* V. XXXVII, Gœtz *de Pistrinis veterum*, Cygneæ, 1730; Golling. *de Catasta servorum* (Altenb., 1730, et in Martini *Thes. Dissertt.* Norimb. 1763.).

Alia multa habes indicata ap. Creuzerum et in Hauboldi ad Hein. Antiqq. R. Synt. *Epicrisi*, pag. 919, in his Unterholzner *von den Formen der Manumissio per vindictam.*

§. 65—127. Civitatem Romanam, et civilem incolarum Imperii Romani conditionem jurisque discrimen illustrant, multis, ipsique Heineccio largus antiquitatum fons, docta et passim citata opera Car. Sigonii: *de antiquo jure civium Romanorum* (*Thes. Græv.* v. I.); *de antiquo jure Italiæ* (ib. v. II.); *de antiquo jure provinciarum* (ib.).

E reliquis in hoc argumento versantur P. Manutii *de civitate Romana* liber (*Thes Græv.* v. I.); Ezech. Spanhemii *Orbis Romanus seu ad Constit. Antonini exercitationes duæ* (ib. v. XI.); et Alb. Dietr. Trekelli, a viris doctis insigniter prædicati, *selectarum antiquitatum Romanarum* pars I. (Hagæ C. 1744.)

Inter nostræ ætatis scriptores luculentius nonnulla exponere conatus celeberrimus Savigny, in *Geschichte d. Rœm. Rechts im Mittelalter.*

§. 65-70. Ad civitatem et Jus Q. F. C. Conradi *dissert. de jure Quiritium a civitate Rom. non diverso* (Helmstad. 1742.); A Guil. Cramer *de juris Q. et civit. discrimine* (Kiliæ, 1803. 4.); Mylii *de jure Quiritium* disceptatio (Lips. 1732.)

§. 71-113. Singula civium Roman. jura, partes quoque, multi accuratius, multi etiam propriis commentationibus interpretati sunt: nonnulla et novissima maxime indicat laudatque Hauboldi ad Hein. Antiqq. R. Synt. *Epicrisis.*

§. 114-127. De municipibus e veterum notitiis insignis locus Gell. XVI, 13. Nunc Frontonis epistola accessit (l. II. *ad amicos ep.* 11.) E recentioribus laudantur Mazochii *commentar.— In Æneas Tabulas Heracleenses*; Trekelli *Select. Antiqq.*; Savignyi *Gesch d. R. Rechts im Mittelalter*. Fusius argumentum pleniusque explicant Fr. Roth *de Re municipali Romanorum* l. II (Stutgartiæ 1801.) Inter vetustiora Wasteau *de Jure et jurisd. municipiorum* (in OElrich. *Thes. diss. jurid.* v. l.), et *Guid.* Pancirolli *de Magistratibus Municipalibus* (*Thes. Græv.* v. III.)

De coloniis multa in Ciceronis orationibus *de L. Agr.*; memorabiles juris ratione veterum locos indicavimus §. 126. De tempore, quo singulæ deductæ, notus Velleji locus l. I.; quo jubente, quibus colonis, et qua agri divisione, etc. fundatæ, continet superstes Sext. Jul. Frontini *de coloniis* libellus. E recentioribus consule Onuphrii Panvinii *Imperium R.* (*Thes. Græv.* v. l.)

Ad jus et rempublicam coloniarum trahenda Heynii *de veterum coloniarum jure ejusque causis*, et *de Romanorum prudentia in coloniis regendis proluss.* (in ejus *Opuscc. Acad.* v. I. et III.); Rud. Wichers *Dissert. inaug. de coloniis veterum* (Groningæ, 1825); ad magistratus Ever. Otto *de Ædilibus coloniarum et municipiorum* (Lips. 1732.)

De jure Latii deque jure Italico Savignyi commentationes §. 123-4, de præfecturis ejusdem sententiam laudavimus §. 126. *De populis fundis observat.* Nic. Rigaltii et aliorum habes in *Thes. Græv.* v. II.

§. 129-144. Veterum notitiis hic accessit Ciceronis *de republica* librorum pars nostra ætate reperta; nova, et paradoxa impensius defensa habet Niebuhr, unde in Schulzii *von d. Volksversamml. d. Ræm.* aliaque recentissimorum scripta transierunt (cf. Creuz. *Abriss d. Ræm. Antiqq.* §. 87. sqq.) A Niebuhrio passim abit Wachsmuth.

De Equestri Ordine insignis, quem citavimus, locus Plinii. E recentioribus Eybenius *de Ordine Equestri* (Argent., 1684. *Thes. Sall.* v. I.) Meliora inter primos docuit Beaufort (v. *la République Romaine.* — v. I. p. 144.) Miram sententiarum discrepantiam docet Pitiscus.

Ad jus imaginum Benedict. *de Imagg. Rom. nobilitatis insignibus*, Torgau 1784. De plebejorum paupertate non male Vertot in *Hist. d. Révolutions* etc. I. I. Ad legem agrariam *Recherches hist. sur l'administr. publ. et privée des terres chez l. Rom.* Paris 1779. Nova apud Niebuhr. *De patronatu et clientela Romanorum dissert. inaug.* Groningæ, 1825, vulgavit Rud. Wichers. De tribubus laudatur Boindin *discours sur les Tribus Romaines* (*Acad. des Inscriptt.* t. I.) Nova non quærenti de iisdem luculenter satis Beaufort, et copiose satis Onuphrius Panvinius, *de Civit. Rom.* (in *Thes Græv.* v. I. p. 350. sqq.)

De centuriis, novam difficultatem peperit locus Cic. *de Rep.* II, 22, novamque Niebuhrii disceptationem: *Ueber d. Nachricht von d. Comitien der Centurien*, etc. (Bonnæ, 1823.) De censu classium ab eodem habes egregie disputata in *Rœm. Gesch.* v. I.

§. 146-172. De comitiis passim citantur Nic. Gruchii *de Comitiis Romanorum* libri III (Parisiis, 1555, in *Thes. Græv.* v. I. p. 630-814.) Nostra ætate idem argumentum docte, et copiose satis tractavit Ch. Ferd. Schulze (*von den Volksversammlungen der Rœmer*, Gotha, 1815.), quatenus a Niebuhrio pendet, cum illo staturus, cætera egregius. Inter vetustiores Aicherii *brevis institutio de Comit. vet. Roman.* (Pol. *Suppl.* I.)

§. 173-182. De senatu Romano inter recentissimos scripsit Molitor (v. §. 178.) Inter antiquiores P. Manutius et, qui plurimum citatur, Zamoscius, uterque in *Thes. Græv.* v. I. Propiores nostræ ætati Chapman (*History of the Roman Senate*, Cambridge, 1750.), et de Cæsarum tempore Curt (*comment. de Senatu Romano post tempora reip. liberæ.* Halis 1768.)

§. 183-218. Ad magistratus Romanos e veteribus pertinet deperditus

LITTERARIA COMPENDII RERUM ORDINEM SEQUENS NOTITIA.

Fontes antiquitatum Romanarum, et recentiorum ad earum studium adjumenta distinximus §. 4 et 5., simul e multis, universam disciplinam complexis, opera, itemque de partibus collecta, quo multarum quoque sive societatum sive academiarum acta magnam partem referenda, dissertationes commentariosque, indicavimus, quibus addere possis multorum auctorum, ut Brissonii *de Formulis*, et [Alexandri ab Alexandro *Genialium Dierum*, mixti argumenti libros, quinetiam quosdam partes, ut antiquitates convivales Stuckius, ita tractantes, ut totum congerere voluisse diceres. Inter recentissima, academicis lectionibus composita, F. A. Wolfii *Vorlesungen über d. ræmischen Alterthümer*, quas Lipsiæ, 1831, edidit Gurtler, S. F. W. Hoffmann *die Alterthumswissenschaft* — Lipsiæ, 1835, et; quas, illustriss. Belgii studiorum Antistiti consecratas, modo inspexi, P. Bergeron *précis des Antiquités Romaines* — Bruxelles, 1835. In juris Romani historia (p. 6.) laudata W. A. Macieiowski *princip. Jur. Rom.* t. I. s. *Hist. Jur. Rom.* (ed. 2. Warsaviæ, 1825.) Ad eandem trahendum *précis de l'Histoire du Droit Romain* par Gibbon — revu — par L. A. Warnkœnig, Liége, 1821, et a. 1834 vulgari cœptum Walteri, profess. in univers. Bonn., *Geschichte des Ræmischen Rechts bis auf Justinian*. Insignis etiam in hac antiquitatum parte Dirksenii, quam §. 261. memoravimus, opera. Post Fabricii *Bibliogr. Antiq.* (p. 3.), qui parem universæ disciplinæ operam navarit, neminem novi; titulorum indices, cum aliis antiquitates continentes, multi edidere, cujus generis est J. Phil. Krebs *Handb. der philol. Bücherkunde*, Bremen, 1823. Ad jus pertinent Ch. Gottl. Haubold *Institutiones Juris Rom. Litterariæ*, Lipsiæ, 1809. E veteribus scriptores Latinos §. 409-421, inscriptiones nonnullas memoravimus §. 426. Singulorum auctorum, de quo inter nostræ ætatis scriptores videndi nobis sæpius memorati Niebuhr et Wachsmuth, fidem, et ad antiquitates utilitatem expendere, longius, quam pro modo *compendii* nostri, fuisset, in lectionibus tamen non omittendum. Græcorum, ut Latinorum, testimonio in singulis usi sumus; antiquaria utrorumque scripta ad partes antiquitatum Romanarum referenda in hoc indice, ubi videbitur, respiciemus.

§. 8-36. Imperii Romani regionum conspectu fere terras veteribus notas, sicque veteris geographiæ orbem comprehendimus.

E Græcis, quæ integra aut ex parte superant, ad geographiam universam referenda Eratosthenis, 194. ante Chr. a. extincti, apud Strabonem et alios fragmenta; Scymni περιήγησις, carmen iambicum; Strabonis, sub Augusto et Tiberio, *Rerum Geographicarum* l. XVII; Claudii Ptolemæi, sæculi 2., *Geographiæ* l. VIII; Agathemeris *com-*

pendiariarum Geographiæ expositionum l. II; Marciani, sæculi, ut putant, 4., *Periplus maris externi*. l. II, et *epitome Geographiæ Artemidori*, fragmentis aliquot superstes; Stephani Byzantii ἐθνικά (*gentilia*), Hermolai, sæculi 6., epitome (Stephanus *de Urbibus*) superantia.

Ad partes trahenda Hannonis, ducis Carthaginiensis, *Periplus*, e Punico græce versus; Scylacis Caryandensis, dubiæ ætatis, *Periplus*; Pytheas, Massiliota, famosus itinere extra Herculis Columnas, Straboni sæpe citatus, fide a recentioribus acriter et incusata et defensa; Nearchi, Alexandrum M. comitati, *Periplus*, fragmentis in Arriani *Indicis* superstes.

Geographos Græcos minores illustratos ediderunt Hudson et Bredow; de Geographis Latinis v. §. 418.

Inter recentiorum laudata opera Phil. Cluverii *Introductio in univers. Geographiam* — Amstel. 1697; Christoph. Cellarii *Notitia Orbis Antiqui*, Lipsiæ 1701—6., cum observv. Schwartzii 1731 et 1773, 2 voll. 4., Jac. Oberlini *orbis antiqui monumentis suis illustr. primæ lineæ*, Argent., 1776 et 1790, D'Anville *Géographie ancienne abrégée*, Paris 1768 et 1783, 3 voll., K. Mannert, quæ hodieque continuatur, *Geographie d. Griechen u. Ræmer*, Nürmberg ab a. 1782, F. A. Ukert *Geographie d. Griechen u. Ræmer bis auf Ptolemæus* — Weimar, ab a. 1816. *Geographiæ Antiquæ compendium in usum scholarum*, Lugd. Bat. 1818, edidit F. A. Bosse.

In singulis regionibus versatos scriptores omittimus. E. tabulis geographicis insignis d'Anvillii *Atlas orbis antiqui*.

§. 37-40. E veteribus hic accuratius et copiosius, quam quisquam superstes, Dionysius Hal. Argumento huc trahenda S. Aur. Victoris *origo gentis Romanæ*. Inter recentiorum laudata opera

Cluverii *Italia Antiqua*; Beaufort. *dissertation sur l'incertitude des cinq premiers siècles de l'Histoire Romaine* (à la Haye 1750); e nostra ætate *Ræmische Geschichte* von B. G. Niebuhr, cujus pars duobus voluminibus vulgata Berolini, 1811, eademque in multo ampliore opere, quin totum perficeretur, repetita. Inter Niebuhrio adversantia *die æltere Geschichte des Ræmischen Staates untersucht* v. W. Wachsmuth (Halle 1819.)

§. 41-50. E veteribus supersunt Sexti Rufi *de Regionibus urbis Romæ*, et Publii Victoris ejudem argumenti liber (uterque in *Thes. Græv.* 1) v. III.) Inter recentiora cum aliis laudantur Jul. Minutoli *dissertt. septem historicocriticæ Rom. Antiq.* illustrantes (*Thes. Sall. I.*); Andreas Cirino *de urbe Roma* (ib. v. II. pag. 18-656.); Barth. Marliani *Urbis Romæ topographia* (*Thes. Græv.* v. III.); Onuphrii Panvinii *antiquæ urbis imago* (ib.); Guid. Pancirolli *urbis Romæ descriptio*, *et de* XIV *Urbis regionibus commentarius* (ib.); Al. Donati *Roma vetus ac recens* (ib.); Famiani Nardini *Roma vetus*, ex italo latine reddita (ib. v. IV. Novæ operæ est *Nardini Roma antiqua* da Antonio Nibby-Romæ, 1820, 4 vol.); Christ. Adler *ausführl. Beschreib. d. Stadt Rom.* (Altona 1781. 4.); Venuti *descrizione topografica delle antichità di Roma* (Rom. 1763, ed. 2. 1803.); D. Carlo Fea *descrizione di Roma* (Romæ, 1823. 3 voll); *Antichità Romane-designate ed incise* da Giamb. Piranesi (Romæ, 1748-56. 4 vol. fol.); J. B. Piranesi et fr. *OEuvres sur l'archit. et l. antiqq. gr. et rom.* (nova ed. cum notis Visconti, Versailles et Paris, ab a. VIII., 17 vol. fol.); D. Carlo Fea *Nuova Descrizione de monumenti antichi ed oggetti d'arte* — (Roma 1820.)

Ex operibus hic indicatis nonnulla aut integra aut ex parte ad archæologiam (§. 430. sqq.) potius, quam ad Urbis descriptionem referenda. Utriusque generis ingens est et in dies crescens copia.

Ad nomen Urbis Münter *de occulto urbis Romæ nomine*, in ejus *antiquarische Abhandll.* n. 1. *De* magnitudine et incolarum numero vulgo citantur Lipsii et Vossii libri (§. 45.)

1) *Thes. Græv.* editione usi sumus Veneta.

Singula Romæ monumenta pleraque dissertationibus, quædam multis illustrata. Huc trahenda. Nic. Bergier *de publ. et militar. Imperii. Rom. Viis* (*Thes. Græv.* X. pag. 7-610. Id. gallice *des grands chemins des Romains*, Paris, 1662.); *über das Pantheon*—v. Hirt. (in *Museum der Alterthums-Wissensch.* vol. 1.); Minianæ *de Circi antiquitate et structura* (in Pol. *Supplem. utriusq. Thes.* v. V.); Bulengerus *de Circo Romano LudisqueCircensibus*(*Thes Græv.* IX.); Bulengerus de Theatro (*Thes. Græv.* IX.); J. Lipsius *de Amphitheatro* (opp. ejus t. III.); Maffei *de Amphitheatro* (Pol. *Suppl.* V.); Baccius *de Thermis veterum* (Venet. 1571. 1712. et *Thes. Græv.* XII.); Octav. Ferrarius *de Balneis* (Pol. *Suppl.* III.); Cameron *the baths of the Romains explained*, (London 1772, fol.); Bellori *veteres Arcus Augg. triumphis insignes* Romæ, 1690; *Arcus Septimii Severi* — J. M. Suaresii, Romæ, 1676; Bartoli et Bellori *Columna Trajana*, —*Columna Antonina;* J. Vignolius *de columna Antonini Pii*, Romæ, 1705, Ciacconii *columna C. Duillii* illustrata(v.§.426,not.);Raph. Fabretti *de Aquis et Aquæductibus veteris Romæ.* (*Thes. Græv.* IV.) (E veteribus superest Frontini *de aquæductibus* liber.); *de Origine et Usu Obeliscorum*-auct. Zoega, Romæ, 1797. Fol.

§. 51-64. E fontibus huc trahendi Justiniani et Caji *Institutionum*, nec non *Pandectarum* de servorum statu, conditione, jure, manumissione, tituli. E recentiorum scriptis passim citantur

Laur. Pignorii *de Servis et eorum apud veteres Ministeriis commentarius* (Augustæ Vindel. 1613, Patavii 1676., in Pol. *Suppl.* III.); Titi Popmæ de *Operis Servorum liber* (Antwerp. 1606, Amstel. 1673., in Pol. *Suppl.* ib.)

Inter cætera occurrunt. L. Ant. Muratori *dissertazione sopra i Servi e Liberti antichi;* A. Fr. Gorii *descriptio Monumenti s. Columbarii Libertorum et Servorum Liviæ Augustæ et Cæsarum* — (in Pol. *Suppl. ib.*, et Florentiæ, 1727); Burigny *sur les Esclaves Romains* (in *Mémoires de l'Acad. des Inscriptt. et Belles-Lettres* V. XXXV.

Ad partes referenda W. a Laon *Eleutheria s. de Manumiss. servorum ap. Rom.* (Traj. ad Rhenum 1685., in Pol. *Suppl.* v. III.); Venuti *de dea Libertate ejusq. cultu ap. Rom. et de libert. Pileo, Romæ* 1762; Burigny, *Mém. de l'Acad.* V. XXXVII, Gœtz *de Pistrinis veterum*, Cygneæ, 1730; Golling. *de Catasta* servorum (Altenb., 1730, et in Martini *Thes. Dissertt.* Norimb. 1763.).

Alia multa habes indicata ap. Creuzerum et in Hauboldi ad Hein. Antiqq. R. Synt. *Epicrisi*, pag. 919, in his Unterholzner *von den Formen der Manumissio per vindictam.*

§. 65—127. Civitatem Romanam, et civilem incolarum Imperii Romani conditionem jurisque discrimen illustrant, multis, ipsique Heineccio largus antiquitatum fons, docta et passim citata opera Car. Sigonii : *de antiquo jure civium Romanorum* (*Thes. Græv.* v. I.); *de antiquo jure Italiæ* (ib. v. II.); *de antiquo jure provinciarum* (ib.).

E reliquis in hoc argumento versantur P. Manutii *de civitate Romana* liber (*Thes Græv.* v. I.); Ezech. Spanhemii *Orbis Romanus seu ad Constit. Antonini exercitationes duæ* (ib. v. XI.); et Alb. Dietr. Trekelli, a viris doctis insigniter prædicati, *selectarum antiquitatum Romanarum* pars I. (Hagæ C. 1744.)

Inter nostræ ætatis scriptores luculentius nonnulla exponere conatus celeberrimus Savigny, in *Geschichte d. Rœm. Rechts im Mittelalter.*

§. 65-70. Ad civitatem et Jus Q. F. C. Conradi *dissert. de jure Quiritium a civitate Rom. non diverso* (Helmstad. 1742.); A Guil. Cramer *de juris Q. et civit. discrimine* (Kiliæ, 1803. 4.); Mylii *de jure Quiritium* disceptatio (Lips. 1732.)

§. 71-113. Singula civium Roman. jura, partes quoque, multi accuratius, multi etiam propriis commentationibus interpretati sunt : nonnulla et novissima maxime indicat laudatque Hauboldi ad Hein. Antiqq. R. Synt. *Epicrisis.*

§. 114-127. De municipibus e veterum notitiis insignis locus Gell. XVI, 13. Nunc Frontonis epistola accessit (l. II. *ad amicos ep.* 11.) E recentioribus laudantur Mazochii *commentar. — In Æneas Tabulas Heracleenses ;* Trekelli *Select. Antiqq. ;* Savignyi *Gesch d. R. Rechts im Mittelalter.* Fusius argumentum pleniusque explicant Fr. Roth *de Re municipali Romanorum* l. II (Stutgartiæ 1801.) Inter vetustiora Wasteau *de Jure et jurisd. municipiorum* (in OElrich. *Thes. diss. jurid.* v. l.), et *Guid.* Pancirolli *de Magistratibus Municipalibus* (*Thes. Græv.* v. III.)

De coloniis multa in Ciceronis orationibus *de L. Agr.*; memorabiles juris ratione veterum locos indicavimus §. 126. De tempore, quo singulæ deductæ, notus Velleji locus l. I.; quo jubente, quibus colonis, et qua agri divisione, etc. fundatæ, continet superstes Sext. Jul. Frontini *de coloniis* libellus. E recentioribus consule Onuphrii Panvinii *Imperium R.* (*Thes. Græv.* v. l.)

Ad jus et rempublicam coloniarum trahenda Heynii *de veterum coloniarum jure ejusque causis*, et *de Romanorum prudentia in coloniis regendis proluss.* (in ejus *Opuscc. Acad.* v. I. et III.); Rud. Wichers *Dissert. inaug. de coloniis veterum* (Groningæ, 1825); ad magistratus Ever. Otto *de Ædilibus coloniarum et municipiorum* (Lips. 1732.)

De jure Latii deque jure Italico Savignyi commentationes §. 123-4, de præfecturis ejusdem sententiam laudavimus §. 126. *De populis fundis observat.* Nic. Rigaltii et aliorum habes in *Thes. Græv.* v. II.

§. 129-144. Veterum notitiis hic accessit Ciceronis *de republica* librorum pars nostra ætate reperta; nova, et paradoxa impensius defensa habet Niebuhr, unde in Schulzii *von d. Volksversamml. d. Ræm.* aliaque recentissimorum scripta transierunt (cf. Creuz. *Abriss d. Ræm. Antiqq.* §. 87. sqq.) A Niebuhrio passim abit Wachsmuth.

De Equestri Ordine insignis, quem citavimus, locus Plinii. E recentioribus Eybenius *de Ordine Equestri* (Argent., 1684. *Thes. Sall.* v. I.) Meliora inter primos docuit Beaufort (v. *la République Romaine.* — v. I. p. 144.) Miram sententiarum discrepantiam docet Pitiscus.

Ad jus imaginum Benedict. *de Imagg. Rom. nobilitatis insignibus,* Torgau 1784. De plebejorum paupertate non male Vertot in *Hist. d. Révolutions* etc. I. I. Ad legem agrariam *Recherches hist. sur l'administr. publ. et privée des terres chez l. Rom.* Paris 1779. Nova apud Niebuhr. *De patronatu et clientela Romanorum dissert. inaug.* Groningæ, 1825, vulgavit Rud. Wichers. De tribubus laudatur Boindin *discours sur les Tribus Romaines* (*Acad. des Inscriptt.* t. I.) Nova non quærenti de iisdem luculenter satis Beaufort, et copiose satis Onuphrius Panvinius, *de Civit. Rom.* (in *Thes Græv.* v. I. p. 350. sqq.)

De centuriis, novam difficultatem peperit locus Cic. *de Rep.* II, 22, novamque Niebuhrii disceptationem : *Ueber d. Nachricht von d. Comitien der Centurien*, etc. (Bonnæ, 1823.) De censu classium ab eodem habes egregie disputata in *Ræm. Gesch.* v. I.

§. 146-172. De comitiis passim citantur Nic. Gruchii *de Comitiis Romanorum* libri III (Parisiis, 1555, in *Thes. Græv.* v. I. p. 630-814.) Nostra ætate idem argumentum docte, et copiose satis tractavit Ch. Ferd. Schulze (*von den Volksversammlungen der Ræmer*, Gotha, 1815.), quatenus a Niebuhrio pendet, cum illo staturus, cætera egregius. Inter vetustiores Aicherii *brevis institutio de Comit. vet. Roman.* (Pol. *Suppl.* I.)

§. 173-182. De senatu Romano inter recentissimos scripsit Molitor (v. §. 178.) Inter antiquiores P. Manutius et, qui plurimum citatur, Zamoscius, uterque in *Thes. Græv.* v. I. Propiores nostræ ætati Chapman (*History of the Roman Senate,* Cambridge, 1750.), et de Cæsarum tempore Curt (*comment. de Senatu Romano post tempora reip. liberæ.* Halis 1768.)

§. 183-218. Ad magistratus Romanos e veteribus pertinet deperditus

Junii Gracchani *de Potestatibus* (v. Lyd. *de Magg.* præf.), et J. Laur. Lydi Græcus *de Magg. Reip. Rom.* (Parisiis, 1812), nobis sæpe citatus, et Creuzeri *Antiquitatibus* magnam partem insertus liber; cui jungenda J. D. Fuss *ad C. B. Hase Epistola* (Leodii, 1820.) Fenestellæ falso tributus Dom. Flocci. *de Sacerdotiis et Magistratibus Romanorum* libellus. E cæteris occurrunt F. Hottomanni (*Thes. Græv.* II.), P. Fabri (*Thes. Sall.* III.), Prævotii (ib.), J. Guilelmi (ib.) *de Sacerdotiis et Magg. Romanorum* dissertationes.

Ad singulos magistratus C. F. Hommelii *de forma tribunalis et majestate Prætoris prolusio* (Nieupoortii libro adhærens), Fr. C. Conradi dissert. *de Prætore Peregrino* (in ej. *Parergis* — Helmstad, 1735 — 9.); Acoluthus *de Prætore Romanorum fiscali*, 1758. De edicto præt. v. §. 192.

Ad Dictatorem Couture *sur le Clou Sacré* (*Acad. d. Inscriptt.* t. VI.) De tribunatu locis veterum accessit Cic. *de Rep.* II, 33. Cf. Creuz. §. 151. Ad ædiles Olearius *de Ædilibus Roman.*, Lips. 1692. De Mensariis Duker ad liv. 7,16.

Ad magistratuum ministros Trotz *de Scribis vet. Rom.* (Pol. *Suppl.* III.); Massbach *de Præconibus* vet., Erfurt 1767; Salmasius *de Secretariis* (*Thes. Sall.* II.)

§. 219-240. Ad Principum potestatem Robertelli *de Magistratibus Imperatorum* (*Thes. Græv.* V. III.); de la Bléterie *du gouvernement romain sous les Empereurs* (*Acad. d. Inscriptt.* XXI. XXIV.); ej. *dissert. sur la Puiss. Impér. chez les Romains* (ib. 19.); ej. *de la Puiss. Tribunit. des Empereurs* (ib. 25.)

Vergentis ruentisque Imperii statum gravi amploque opere persecutus Gibbon (*History of the Decline and Fall of the Roman Empire*), crescentis vergentisque causas inclyto Montesquieu (*Considérations sur les causes de la grandeur des Romains et de leur décadence.*)

De Præfecto Prætorio ejusque officio veterum notitiis accessit pars libri Lydiani (§. 230.) E recentioribus laudavimus Pancirollum et Gutherium; quibus addendæ D. Ritteri *historia Præfecturæ Prætorianæ* (Vitebergæ 1745.) et Arn. Drakenborchii dissert. *de Præf. Præt.* Ejusdem Drakenb. est *de Præfectis Urbis dissert.* (in OElrich. *Thes. diss. jurid.* t. I., et Baruthi, 1787.); vetustior Fel. Contelorii *de Præfecto Urbis* liber (*Thes. Sall.* v. I.)

De Cursu Publico (§. 233) copiose Bergier (v. *de public. et milit. Imp. R. viis* l. IV. s. IV. sqq.).

§. 241-2. V. ad §. 114-127.

§. 243-259. De provinciis passim citavimus locos Ciceronis, cujus epistolis (ad Atticum, ad Quintum fratrem, etc.) et orationibus, cum aliis tum Verrinis præsertim, omnis fere provinciarum ratio continetur.

E recentioribus ante alios nominandi Onuphr. Panvinius (*Imper. Rom.* V. ad §. 114-127.) Car Sigonius (*de ant. j. prov.* V. ad §. 65-127.); nostræ ætati propior §. 127. laudatus Beaufort; e novissimis P. Ant. Du Pui *de jure prov. Imp. Rom.* Lugd. B. 1807.

Ad partes trahenda Mongault. dissert. *sur les honneurs Divins qui ont été rendus aux Gouverneurs de provinces* (*Acad. de Inscriptt.* t. I.), Mascouii *Dissert. de Procuratoribus Cæsaris.*

§. 260-1. Jus Romanum *Corpore Juris civilis* aliisque veterum reliquiis continetur (§. 421.)

E recentioribus laudantur P. Manutius *de legibus Roman.* (*Thes. Græv.* I. Idem adhæret Rosini *Corp. Antiqq.*), et Ant. Augustinus *de Legibus et Senatusc.* (ib. II.) E veterum scriptis collectarum indicem idem Augustinus, Heineccius, Bachius, alii exhibent.

Ad legem XII Tabb. Bonamy *sur l'origine des lois des XII Tabb.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XII.); Junckeri *Fragmenta* XII *Tabb. ex restitutione* Funccii, Gœttingæ 1756; nostræ ætatis Dirksen (§. 205. 261).; J. H. Van der Heim *de Jac. Gothofredi meritis in restituendis XII Tabularum legibus* (in *Annall.* acad. Lugd-Bat. a. 1823.); ad latinitatem Suringar dissert. *de antiquis interpretibus scriptorum latin.*

(Lugd. Bat. 1829.) Ad jus prætorium Adr. Cath. Holtii oratio *de jure præt., cum ap. Romanos tum ap. Anglos* (in *Annall.* acad. Lugd-Bat. a. 1821.)

Ad singulas leges (v. Haub. *Institt. Jur. Rom. litter.* t. 1, p. 306, sqq.) Waldkirch. (Basil. 1731.), Becmanni (in ej. *dissertt. acad.* d. X.), Beck. (Lipsiæ 1780.) *de Lege Regia;* Schott. *de Lege Villia annali* (Lipsiæ, 1765.) ; Heineccii *comment. ad leg. Juliam et Papiam Poppæam* (Lipsiæ, 1778.) Id. de lege Ælia Sentia in *Synt. Antiqq. Rom.*1,6,12.

Ad senatusc. Ant. Augustinus *de Legg. et Senatusc.*, Hottomann. *de Senatu et Insignibus aliquot Senatusc.* (*Thes. Græv.* II.) Collecta s. c. habes in his, ap. Heineccium, alios. Ad edicta Bauchaud *sur les Edits ou ordonnances d. Magistrats Rom.*(*Acad.d.Inscriptt.*t.XXXIX.), Ziegler de edicto ædilitio (in ej. *dissertt. select.*) Ad rescripta Cappelen Hunthum *de Rescriptis Principum Rom.* (in OElrich. *Thes. Diss. jurid.* v. I.)

§.262-278. De judiciis, ut omnino juris, largus notitiarum fons orationes Ciceronis (e Verrinis I. II. V., *p. Cluent.; p. Mur., p. Rosc. Am., p. Planc., p. Balbo, p. Cæc., p. Quint.* etc.)

E recentioribus C. Signonii *de judiciis* l. III. (*Thes. Græv.* II.) ; Breti *de ordine antiquor. judic. ap. Rom.* (*Thes. Sal.* II.)

Ad partes Cajus, et Dupont. de legis actionibus *Disquiss.* (§. 271.) ; Massé *disputatio de Cic. Orat. in Verr. de juridict. Sicil.*, L. B. 1824; Ed. Broquet ad quæstionem *quinam fuit ap. Romanos* in *criminibus publ. procedendi modus* — (in *Annall.* acad. Gandav. a. 1821.) ; Siccamæ *de Judicio centumv.* l. II (*Thes. Græv.* II.) ; Schreiter *de Antiquitt. Sacramentorum in vet. Romæ judiciis solennium*, Lipsiæ, 1740 ; Magius *de Equuleo*, Amstel. 1664.

§. 279-316. Religionem Romanorum, festa inprimis ritusque sacros, illustrant Ovidii l. VI Fastorum (§. 334.) Inter recentiorum opera ampliora Struvi *de ritibus sacris systema absolutius*, *Jenæ*, 1701. Fuse de sacris Rosinus (pag. 81-304.), et Kipping. (pag. 1-322.) Brevius peregit Nieupoort (pag. 164-314.), brevius etiam, minutis minimum indulgens, Beaufort (pag. 1-89.) In singulis diis versatos omittimus.

§. 317-323. Ad sacerdotes referendi Raph. Volaterrani *de Magg. et Sacerdotiis* (*Thes. Sall.* III.), Henr. Bebelii *de Sacerdd. et Magg.* (ib.) commentarii ; Merula *de Sacerdotibus Rom.* (L. B., cum aliis ejusd. scriptis, 1634 .) ; Bosii *de Pont. M. Romæ vet.* (*Thes. Græv.* V.), et *de Pontificatu M. Impp. Rom.* (ib.) ; Jac. Guther. *de vet. Jure Pontificio u. R.* l. IV (ib.) ; Morin *dissert. sur les Augures* (*Acad. d. Inscriptt.* t. I.) ; Ald. Manutius *de Auspiciis* (*Thes. Sall.* I.) ; August. Niphi *de Auguriis* l. II (*Thes. Græv.* V.) ; Bulenger. *de Augg. et Auspiciis* (ib.), Mascov et Babener *de Jure Auspicii ap. Rom.*, Lips. 1744 ; Schœpflin *de Auspp. Rom.* (Argent.) ; Bellus *de partibus Templi Auguralis* (*Thes. Græv.* V.) ; Bulenger. *de Ominibus* (ib.), *de Prodigiis* (ib.), *de Terræ Motu et Fulminibus ;* Valerinus *de Fulminum Significationibus* (ib.); Ostertag *de Auspiciis ex acuminibus* (Ratisb. 1780.) ; Panvinius *de Sibyllis et Sibyll. Carminibus* (ap. Gaud. Rob. I.) ; Gallæus *de Sibyllis et earum oraculis*, Amstel. 1688 ; Reinesius *de Sibyll. Oraculis*, Jenæ 1683 ; Bulenger *de Sortibus* (*Thes. Græv.* V.) J. Lipsii *de Vesta et Vestalibus syntagma* (opp. ej. t. III., et *Thes. Græv.* V.) ; Nadal *histoire des Vestales* (*Acad. d. Inscriptt.* t. IV.) ; Eisenhardt *de Vestalibus et jure Vestali*, Helmst., 1752., Widder *de speculo ardente Vestalium* (in commentt. *Acad. Pal.* IV.) ; Dupuy *sur la manière dont les anciens rallumaient le feu sacré.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XXVIII.) ; Marini *preces et munera Fratrum Arvalium* (§ 323.) *detecta*, Romæ a. 1778; Wagner *de Fecialibus et Jure Feciali*, Helmst., 1734.

§. 331-3. Ad ritus sacros Stuckii operum tom. II., complectens *sacrorum et sacrificiorum gentilium* - de-

scriptionem. Multus in iisdem Struvius (v. supra §. 279-316.) Ad partes Browerius a Niedeck *de populorum vet. ac recent. Adorationibus* (Amstel. 1713, Pol. *Suppl.* II.); Zabern *de ritu veterum admovendi manum oriin Adorat.*, Argent.1763; Schumann *de lectisterniis Rom. in Sacro Codice frustra quæsitis*, Lipsiæ, 1730; Thomasinus *de donariis ac tabellis votivis* (Utini 1639, *Thes. Græv.* XII.); Schütz *de Votis veterum*, Lipsiæ, 1665; Lomeyer *de Lustrationibus veterum*, Zutph. 1700; J. B. Hansenii *de jure jurando veterum* (*Thes. Græv.* V); Erycii Puteani *de Jurej. antiq. schediasma, in quo de Puteali Libonis* (ib.); F. B. Ferrarii *de vet. Acclamationibus et Plausu* l. VII (ib. VI.); Berthaldi *de Ara* liber (ib.)

§. 334-346. De festis Ovidium laudavimus; e recentioribus Morestelli *Alypius s. de prisc. Roman. Feriis*, Lugd.1605. Ad partes Bœrner *de Saturnalibus*, Lipsiæ, 1751. Sponius *de Origine* strenarum (*Thes. Græv.* IX.) Ad fastos calendares de la Nauze *sur le Calendrier Rom.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XXVI.); Blondell *Hist. du Calendr. Rom.* Paris 1682; *Vetus Calendarium Romanum* (*Thes. Græv.* VIII.); *Kalend. rusticum Farnesianum* (ib.); *Kalend.*, quod *Fastis* Ovid. præfigitur (ib.); Siccamæ comment. *in Fastos Kalend. Rom.* (ib.), *Fasti Kal. Rom.* cum scholiis P. Ciacconii et P. Manutii (adhærent Ros. *Antiqq. Rom.*); Petavii *Kalend. vet. Rom.* (*Thes. Græv.* VIII.) Ad fastos magistratuum *Fasti Magg. Rom. — a Pighio restituti* (*Thes. Græv.* XI.); *Fasti Consulares anonymi*-illustr. Noris (ib.); *Epistola Consularis*, auct. H. Noris (ib.); *Fasti Cons. Idatiani*-opera Phil. Labb. (ib.); *Fasti Cons.* ed. ab Almeloveen, Amstel. 1705; Relandi *Fasti Cons.*, Traj. 1715.

§. 347-355. Ad Ludos Modius *de Triumphis, Ludis et Spectaculis* veterum *Thes. Gronov.* XI.); Taffini *de Anno et Ludis sæcularibus* (*Thes. Græv.* VIII.); Onuphr. Panvinius *de Lud. Sæc.* (ib. IX.); Walther *de Quinquennalibus et Decenn. Impp. Rom.*, Wittemb. 1748; Onuphr. Panvinius *de Ludis Circensibus* (*Thes. Græv.* IX.); Bulenger *de Circo Rom. Ludisq. Circ.* (ib.); Oct. Ferrarii *de Lud. Circ.* (Pol. *Suppl.* V.) J. Lipsii *Saturnaliorum* l. II, qui *de Gladiatoribus* (opp. ej. v. III., et *Thes. Græv.* IX.); Oct. Ferrarius *de Glad.* (Pol. *Suppl.* III.) Ad ludos scenicos Calliachius *de Ludis Scenicis Mimorum et Pantom.* (Pol. *Suppl.* V., et *Thes. Sall.* II.); Oct. Ferrarii *de Pantom. et Mimis* (ib. II.); Boindin *sur les Masques et les Habits de théâtre* (*Acad. d. Inscriptt.* t. IV.); Mariscottus *de Larvis* (*Thes. Græv.* IX.) E recentioribus laudavimus (§. 355.) Schlegel. *über dram. Kunst.* Vorles. 3.

§. 356-9. Ad chronologiam s. temporis doctrinam e veteribus cum aliis Prosperi Aquit. (*Thes Græv.* XI.), et Eusebii *Chronicon*. Inter recentiores celeberrimi Jos. Scaliger (*de Emendat. Tempp.* et *Thes. Tempp.*), et Dionys. Petavius (*de Doctrina Tempp.*, et *Rationarium Tempp.*)

De fastis v. ad §. 334-346.

Ad singula pertinent Bondeterra *Antiqq. Lat. et Græc. enarratt. et emendd. ad vet. Anni rationem attinentes*, Patavii 1740; Jos. Scaliger *de vet. Anno Rom.* (ex ej. *Emend. Tempp.* in *Thes. Græv.* VIII.); Jonstonus *de Annis et Mensibus* (ib.); Adrianus Junius *de Ann. et Mens.* (ib.); Freret *de l'année de J. César.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XVI.); P. Manutius *de Intercalatione* (*Thes. Sall.* I.)

Ad horologia Draudius *de Clepsydris veterum*, Giessæ, 1732, Martini *von d. Sonnenuhrem d. Alten*, Leipz. 1777. E Tholosani *syntagm. juris*, *de Nundinis et Mercatibus* mantissa (*Thes. Græv.* VIII.); Eryc. Puteani *de Nundinis romanis* liber (ib.)

§. 360-377. Ad rem militarem, de qua Creuzer p. 272-327., e veteribus (§. 418.) Vegetius, Frontinus, Higynus (*Thes. Græv.* X.), Æliani *Tacticat*, Æneæ Tactici commentar. *de toleranda obsid.*-ed. Conr. Orellius, Lipsiæ, 1818.; ex historicis

inprimis Polybius, Livius, Cæsar, Appianus.

Inter recentiores J. Lips. *de Militia Rom.* l. V, comment. ad Polybium (opp. Lipsii v. III.); Franc. Patricii *Res Militaris Romana* (*Thes. Græv.* X. Salmasius *de Re Mil.* (ib.); Schelius *de Custod. castrorum*, *de Sacram.*, *de Stipend. mil. de Telis legion.*, etc. (ib.); De Folard *comment. sur Polybe* (in *hist. de Pol.* trad. p. Thuillier. - Paris, 1727.); Fr. Robertellus *de Legionibus Rom. ex* Dion. l. LV. (ib.); Bœcleri dissert. *de Legione R.* (ib.); Le beau *de la Légion Rom. Acad. d. Inscriptt.* t. 25, 28, 29, 32, 35, 37, 39; Ald. Manutius *de primipilo* (*Thes. Sall.* I.); Caryophilus *de veterum Clypeis.* L. B. 1751; Schœpflin *de galeis veterum*; Chausseus (de la Chausse) *de Signis Militar.* (ex ej. *Mus. Rom.*, *Thes. Græv.* X.); Schelii *ad Polyb. scriptum de castris* notæ (ib); (v. §. 372.) J. Lipsii *Poliorceticon* l. V. (opp. ej. v. III.); Joli de Maizeray *traité sur l'Art des Siéges et les Machines des anciens*, Paris 1779.

Ad belli navalis rationem Doletus *de Re Navali* (*Thes. Græv.* XI.); Schefferus *de Milit. Navali vet.* (*Pol. Suppl.* V.) id. *de Varietate Navium* (*Thes. Gronov.* XI.); Le Roi *sur la marine des anciens* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XXXVIII); Meibomius *de Fabrica Triremium* (*Thes. Græv.* XII.); Opelius *de Fabr. Trirem. Meibom.* (ib.); Vossius *de Trirem. et Liburnicarum Constructione* (*Thes. Græv.* XII.); dissert. *de tutelis et insignibus navium* (in Dav. Ruhnk. opuscc. L. B. 1807.)

Ad stipendium, commoda, honores, triumphum, pœnas, missionem, Fr. Robertelli *de Commodis*, *Præmiis et Donis militaribus.* (*Thes. Græv.* X.); Vinc. Cantareni *de Milit. Roman. Stipendio* (ib.); Eryc. Puteani *de Stip. Mit. ap. Rom. syntagma* (ib.); Onuphr. Panvinius *de Triumpho* (ib. IX.); Marlianus *de Triumphis vet. Rom.*, Venet. 1555; Nadal *diss. sur la liberté qu'avaient les sold. Rom. de dire d. vers satyr. contre ceux q. triomphaient* (*Acad. d. Inscriptt.* t. III.); Fr. Robertellus *de Pœnis militum et Ignominiis* (ap. Gaud. Rob. t. I. *Thes. Græv.* X.); Le Beau *des délits et d. peines milit.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XLII.)

§. 378-9. De agricultura veteres nominavimus (§. 419.), queis addendus Plin. *H. N.* 18, 13. sqq. E recentioribus Binkes *de Agriculturæ præmercat. ap. Rom. favore*, Lugd. Bat. 1819.

§. 380-2. Ex immenso scriptorum numero huc trahenda Murrai *Origines panificii*, Gœttingæ, 1768; Meursius (in parte 2. *exercitatt. critic.* p. 181.) de *pistoribus panariis, siliginariis, placentariis, dulciariis*, etc.; Kochii comment. *de spiris pistoriis*, Dresdæ, 1733; Wachter (in ejus *Archæol. Numism.* pag. III.) *de ærariis et ferrariis*; Champollion-Figeac (in ejus *résumé d'Archéol.* v. 2. p. 292.) *Poterie des anciens*; de textura, Beckmann in *Beiträge z. Geschichte d. Erfindungen*, t. 4. pag. 119; Schneider (in indice ad scriptores rei rusticæ p. 382.) *Abhandlung über d. Weberei d. Alten.* V. Bœttiger, *Sabina*, t. 2. p. 106.

§. 383-5. Ad hos Hubertus *de Argentaria vet.* (in OElrich. *Thes. diss. Jur.* I.); Salmasius *de Usuris*, Lugd. Bat. 1638, I. F. et Jac. Gronov. *de Centesimis Usuris*, Lugd. Bat. 1661.

§. 386-8. E veteribus huc referendi Priscianus (*de Numis et Pondd.*, *Thes. Græv.* XI.); Rhemnius Fannius *de Pondd. et Mens.* (ib.) Inter recentiores Eisenschmid. *de Pondd. et Mens.* it. *de Num vet.*, Argent. 1737; Arbuthnot. *tabulæ antiq. Numorum, Mens. et pondd. pretiiq. rerum venalium*, ex Angl. Lat. factæ op. Kœnigii, Traj. ad Rh. 1756; Bœck, *Staatshaushaltung der Athener*; *Considérations génér. sur l'évaluat. d. monn. Grecques et Rom.* p. Letronne; Budæus *de Asse*, Paris. 1514, Colon. 1528; B. van Laar *de Rom. Pondd. et Mens.*, Lugd. Bat. 1810; *de assibus imminutis periculum criticum* (in Wachteri *archæolog. num.*); Banduri *Bibliotheca Numaria*, Hamb. 1719; Snellius *de Re Numaria* (*Thes. Gron.* IX); Jos. Scaliger *de Re Num. antiqua* (ib.); Freherus *de Re Monet. vet.*

Rom. (*Thes. Græv.* XI.) ; I. F. et Jac. Gronov. *de Sestertiis*, Lugd. Bat. 1691 ; Freret, *essai sur les Mesures Longues d. anciens* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XXIV.) ; d'Anville *traité des mesures Itinéraires*, Paris 1769 ; id. *sur le Mille Rom.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XXVIII.)

§. 389-395. De vectigalibus primarios scriptores indicat not. ad §. 394. Ex antiquioribus Bulenger *de Tributis ac Vectigg. pop. Rom.* (*Thes. Græv.* VII.) Ad partes Cantarenus *de Frument. Rom. Largitione* (ib.)

§. 396-416. Le Moine, considérations *sur l'origine et les progrès des Belles Lettres chez les Rom.* — Paris, 1749, Amsterd. 1750; Meiners *Geschichte d. Verfalls d. Sitt., d. Wissensch. u. d. Sprache d. Ræm.*, Wien 1791; J.C.Voorduin respons. ad quæst., *quasnam potissimum artes ac doctrinas Romani dignas judicaverint, in quibus elaborarent*, etc., (in *Annall.* Acad. Gandv. a. 1821.) Cellárius *de Studiis Romanorum Litterariis in urbe et et provinciis*, Halis 1689 ; Conringius *de Stud. Liberalibus u. Romæ et Cpolis.*, Helmst. 1657. Ad linguam Latinam Funccius *de Orig. et Puerit. ling. Lat.*, id. *de Adolescentia l. L.*, id. *de Virili Ætate l. L.* etc., ad corruptam J. A. Fabricii *Biblioth. Lat. mediæ et infinæ ætatis*, Hamb. 1734, — cura J. D. Mansii, Patav. 1754 ; Du Cange *Glossar. ad scriptores mediæ et infinæ latinitatis* — Paris. , 1733. Ad bibliothecas Erh. Reusch, *de Biblioth. Rom.*, Helmst. 1734.

Ad notitiam de scriptoribus, deque operibus judicium (historia litter., *bibliographia*) ex usu notioribus I. A. Fabricii *Bibliotheca Lat.* — aucta dilig. I. A. Ernesti, Lips. 1773, 3 voll. 8 ; Th. Chr. Harles *introd. in Notit. Litt. Romanæ inprimis Script. Latin.*, ed. 2. Lips. 1794 ; Ej. *brevior notitia Litt. Rom. — in us. schol.*, Lips. 1803; Bæhr Geschichte *d. ræmischen Litteratur*, Carlsruhe. 1828. Ex iis, qui Græcas cum latinis litteras complexi, W. D. Fuhrmann *Handb. der class. Litteratur*, Rudolst., 1804 — 10. Ej. *Anleit. zur Gesch. d. class. Litteratur d. Griechen u. Ræmer.*, Rudolst. 1816, 2 voll. 8. Brevissimam notitiam præbent Henr. Weytingh *hist. Græc. et Roman. litteraria* — ed. 2., Delphis Batavorum, 1825, Schaaff., et Eschenburg in libris p. 5. indicatis.

§. 417-421. Ad disciplinas Benvenuti *della condizione de Medici presso gli antichi*, Perugia 1779; ad itineraria Wesseling. *Itineraria veterum Rom.*, Amstel. 1735.

§. 422-9. Herm. Hugo S. J. *de prima scribendi origine*, Traj. ad Rhen. 1738; J. N. Funk *de Scriptura veterum*, Marb. et Rintl., 1743; Ald. Manutius *de vet. Notarum explanat.*, Venet. 1566; Ursatus *de Notis Rom.* (*Thes. Græv.* XI.); Nicolai *de Siglis vet.*. Lugd. B. 1703., Appendix *de Not. Rom. s. Siglis maxime memorab.* (ad calcem libri Nieup. de Antiqq. Rom.); Clericus *de Siglis veterum et variis Chartarum generibus* (Pol. *Suppl.* III.); Schwarz *de Ornamentis librorum*, Lips. , 1756 ; Schœttgen *hist. Librariorum et Bibliopolarum vet. et medii ævi*, Lipsiæ, 1710, germanice et aucta, Norimb. 1722.

Ad inscriptiones Gruteri *Inscriptt. Thes.* — auctius ed. Grævius, Amstel. 1707; Raph. Fabretti *Inscriptt. antiquæ* cum emendd. Gruteri, Romæ 1699 et 1707; Reinesii *syntagma Inscriptt. antiq.*, Lips. et Franc. 1682 ; Muratori *novus Thes. vet. Inscriptt.*, Mediol. 1739-42; Donati *Thes. noviss. vet. Inscriptt. Gr. et Lat.* (supplem. ad Murat.), Luccæ 1765, 1775 ; Morcelli *Inscriptt.*, commentt. subjectis, Romæ 1783. Ad singulas Giacconii *Columna C. Duilii illustr.* (*Thes. Græv.* IV.); *Inscriptio Scipionis Barbati* (ib.); Ad numos (v. ad §. 386-8.) L. Jobert, *la science des Médailles ant. et modernes.* — Paris 1739; Savot *sur les Méd. ant.* (lat. in *Thes. Græv.* XI.); Barthelemy *essai d'une Palæogr. Numism.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XXIV.); Zaccaria *Istituz. antiquario-numaria*, in Roma, 1772 ; Wachteri *Archæol. numaria*, Lips. 1740 ; J. Eckhel *Doctrina Numorum vet.*, Windobonæ 1792-1798 ; *descript. de Méd. ant. Gr. et Rom.* p. T. E. Mionnet, Paris 1822; Patini *Thes.*

NN., Paris 1672; *Thes. Morellianus. s. Famill. Rom. numism. omnia* — ed. Havercampus, Amstel. 1734; Vaillant *NN. Familiarum*, Amstel. 1703., — *NN. Impp. Rom. selecti*, Romæ 1773. — *NN. Colon. et Municipiorum*, Paris, 1695., Patini *NN. Impp. Rom.*, Argent., 1671. (Zoegæ) *Numi Ægyptii Imperatorii*, Romæ 1787; Ezech. Spanhemius *de Usu et Præstantia numismatum*, Amstel. 1717, 2 voll. fol.

§. 430-446. Bulenger de *Pict., Plastice, statuaria*, Lugd. 1627; Winckelmanns *Werke*, Dresden, 1808-20. *Gesch. d. Kunst. d. Alterthums*, Dresden, 1764., Wien 1776; J. A. Ernesti *Archæologia litteraria* (ed. 2. stud. G. H. Martini, Lipsiæ, 1790.); *Grundriss. d. Archæol.* — v. Chr. D. Beck, Leipz. 1816; Zoega *li bassi rilievi antichi di Roma*, 1807; Bl. Caryophilus *de antiq. marmoribus*, Traj. ad Rh., 1743.

Stosch *Gemmæ ant. cælatæ-æri incisæ* p. Picart, Amstel. 1724, fol.; *descript. des pierres gravées du feu Baron de Stosch* — p. Winckelmann, Flor., 1760; Rubenii diss. *de Gemma Tiberiana* (*Thes. Græv.* XI.); P. D. Lippert. *Dactyliotheca* — c. Christii, Lipsiæ, 1755-62 — chilias tertia c. Heynii, Lips. 1763 — supplem., Dresdæ, 1776; Abr. Gorlæi dactylioth. -cum explicat. J. Gronovii, L. B. 1707; Christ *de Murrhinis* veterum, Lipsiæ, 1743; Le Blond et Larcher *dissertt. sur les Vases Murrhins* (*Acad. d. Inscriptt.* t. 43.); Von Veltheim *über d. Vasa murrhina*, Helmst. 1791.; C. H. Roloff *über d. murrin. Gefæsse d. alten* — mit Anmerkk. v. Buttmann (in Wolf *Museum d. Alterthums-Wissensch.* t. 2. p. 507-72.) Junius *de Pictura veterum*, Roterod., 1694, fol.; Pensel *super antiq. quibusd. Picturarum generibus*, Halis, 1771; Fr. Aug. Walter *d. wiederhergestellte Mahlerkunst d. Alten*, Berlin, 1820; *sur la peinture à l'encaustique* (*Acad. d. Inscriptt.* t. XXVIII.); *Picturæ ant. sepulchri Nasonum* explicatæ a Bellorio (*Thes. Græv.* XII.); Jo. Ciampinus *de veteribus monum., præcip. Musivis Operibus*, Romæ 1690, fol.; Furietti *de Musivis*, Romæ, 1752.

Ad musicam Fr. Blanchinus *diss. de trib. generibus instrum. Musicæ vet. organicæ*, Romæ, 1742; Bartholinus *de Tibiis*, Amstel. 1679; Lampe *de Cymbalis vet.*, Traj. ad Rh., 1703; Meister *de Organo Hydraulico*; Ben. Bacchinus, et Jac. Tollius *de Sistris eorumq. figuris ac differ.* (*Thes. Græv.* VI.); H. Boss. *Isiacus s. de sistro* opusc. (*Thes. Sall.* II.)

De mimica v. ad §. 347-355.

§. 447-457. (V. ad 463-473.) Malliot, *Recherches sur l. cost., l. mœurs et l. usages d. anciens peuples* — Paris, 1804-6; Bayfius *de Re Vestiaria* (*Thes. Græv.* VI.); Rubenius *de Re Vestiaria*, præcipue *de Lato Clavo* (ib.); Oct. Ferrarius *de Re Vest.* (ib.), — *Analecta de Re Vest.* (ib.); *Costumes d. Grecs et d. Romains*, Paris, 1772.

Ad partes Ald. Manutius *de Toga* (*Thes. Græv.* VI.); Bossius *de Lato Clavo Senatorum* (*Thes. Sall.* II.); Bartholinus *de Pænula* (*Thes. Græv.* VI.); Donius *de utraq. Pænula* (ib.); Raynaudi *de Pileo et cæteris capitis tegminibus*; (ib.); Balduinus *de Calceo ant. et mystico*, et Rubenius *de Calceo Senat.*, Amstel., 1677; Sperling *de Crepidis vet.* (*Thes. Gronov.* IX.); J. Schefferi *de antiq. Torquibus* (ib. XII.); De la Chausse, *de Vasis, Bullis, Armillis, Fibulis, annulis*, etc. (ib.); Casp. Bartholinus, *de Inauribus vet.*, Amstel., 1676; Kirchmann *de Annulis*, Sleswici 1657, L. B., 1672.; Kornmann. *de annulo triplici: usitato, sponsalitio, signatorio*. L. B., 1672; Georg. Longus *de annulis s. de vario obsignandi ritu*, L. B., 1672; P. Burmann *de Jure Annul. Aur.*, Ultraj., 1734. (in OElrich. *Thes. diss. jurid*, v. I.)

Ad mundum muliebrem Bœttiger, *Sabina oder Morgenszenen im Putzzimmer einer reichen Rœmerin*, Leipz., 1806.

§. 458-462. De domibus Romanorum et publicis ædificiis v. Minutoli dissertt. laudatas ad §. 41-7. Ad partes Sagittarius *de Januis vet.* (*Thes. Græv.* VI.); Molinus dissert *de Clavibus*. Upsal, 1684 (*Thes. Sall.* III.)

De iisd. cum aliis multis v. Lips. ad Tac. *Ann.* II.

§. 463-473. Casalius *de Ritibus Roman.*, Romæ 1644, Erfurt 1681. (*Thes. Gronov.* v. VIII et IX.); Meiners *Gesch. d. Verfalls d. Sitten u. d. Staatsverf. d. Rœmer*, Leipz., 1782; Meierotto *über Sitten und Lebensart d. Rœmer*, ed. 3. Berl., 1814; Bœttiger, *Sabina* (v. ad §. 347-355.); D'Arnay *de la Vie Privée d. Romains*, Laus., 1760; Couture *sur la Vie Privée d. Romains* (*Acad.* d. *Inscriptt.* t. I.) Ad luxum Meursius *de Luxu Rom.* (*Thes. Græv.* VIII.); Nadal *du Luxe des Dames Rom.* (*Acad. d. Inscriptt.* t. IV.); Ad convivia, de quibus copiose Greuzer, D. Guil. Stuckii *antiqq. convivalium l. tres, et sacrorum sacrificiorumque gentilium descriptio*, L. B. 1695, fol.; Bulenger *de Conviviis*, I. IV. (Thes. Græv. XII.); Baccius *de Conviviis. ant.* (ib. IX.); Eryc. Puteanus *reliquiæ Convivii prisci* (ib. XII.); Schwarz de *Comissationibus vet.*, Altenb., 1744; Baruffaldus *de Armis Convivalibus* (*Thes. Sall.* III.); Vinc. Butius *de Potu ant.* (*Thes. Græv.* XII.); Baccius *de Vinis, Cerevisiis ac conviviis ant. Rom.* (ib. IX.); Meibomius *de Cerevisiis vet.* (ib.); Barry. *observatt. on the Wines of the ancients*, London, 1775; Freinshemius *de Calido Potu*; Lanzoni *de Coronis et Unguentis in antiq. conviviis* (*Thes. Sall.* III.); Ciacconius *de Triclino*, Lipsiæ, 1758;

Ad thermas Bacchius *de thermis veterum* (*Thes. Græv.* XII.)

Ad §. 473 (v. ad 380-2.) Jansonius Ab Almelooveen de mensis, lecticis, lectis, poculis,—Harderovici, 1701; Alstorphius *de lectis et lecticis*, Amstel., 1704; Joann. Scheffer *de re vehiculari*, Francof., 1671. 4° (Pol. *Suppl.* V.); *de thensis* Fel. Osius (in Græv. *Thes. antiqq. Ital.* t. 3. p. 1063.); Georg. Green *de rusticatione et villis*, Lipsiæ, 1667. (*Thes. Sall.* I.); Stuckius *antiqq. convic.* l. 1. c. 23; Rob. Castelli *the villas of the ancients illustrated*, London. 1728, fol., Eckermann dissert. *de rusticatione vet. Rom.*, Upsal, 1740; Natalis Comes *de ludis agrest.*, *præcipue de venatione* l. 4, Londini, 1726, Wunderlich *de veterum popinis* comment. (in *Act.* societ. lat. Jenens. v. 3. p. 267-93; Stuckius *antiqq. conviv.* l. 1. c. 28; de pistrinis, molisque aquariis, manuariis, etc. Boessius ad Ovid. *Ibin*, p. 113.; Treuner dissert. *de molis*, Jenæ, 1695; Gotzius *de pestrinis veterum*, cum prolegg. de molis; in molam aquariam epigr. Antipatri Thessal. (Acad. *des Inscriptt.* v. III.); de piscinis Varro *R. R.* 3, 17, de vivariis, piscinis, cellis, etc. Stuckius *antiqq. convival.* l. 2. c. 10.; Thomasinus *de tesseris hospitalit.*, Amstel., 1670.

§. 474-5. Bulenger *de Ludis priv. ac domest. vet.*, Lugd., 1627; Calcagnius *de Talorum, Tesserarum ac Calculorum ludis* (*Thes. Gronov.* VII.); *des jeux de hasard, en usage chez les Romains*. (Acad. d. Inscriptt. t. I.); De Pauw *de alea vet.* Trajecti ad Rh., 1726.

§. 476. Sigonius *de ant. Ritu Connubiorum* (in *de ant. J. Civ. Rom.*); Laurentius *de Sponsalibus et Nuptiis* (*Thes. Gron.* VIII.); Brissonius *de Ritu Nuptiarum* (*Thes. Græv.* VIII.); Browerus *de jure Connub.*, Delp. 1714. Copiose de connubio Creuzer. pag. 54-75.

§. 483 Bartholinus *de ritu Puerperii Rom.*, Romæ 1677; Meursius *de Puerp. veteri* (*Thes. Gronov.* VIII.); Bork *de vet. Rom. in Educandis Liberis solertia*, Giessæ 1784.

§. 485-6. De funeribus copiose Greuzer p. 356-396. Ad Integrum argumentum aut partes Kirchmannus *de Funeribus*, Hamb. 1605; Laurentius *de Funeribus ant.* (*Thes. Gronov.* XI.); Giraldus *de Sepulchris et vario sepeliendi Ritu* (ap. Gaud. Robert. III.); Morestelli *Pompa Feralis* (*Thes. Græv.* XII.); Schœpflin *de Apotheosi Impp. Rom.* (in ej. *Commett. hist. et crit.*, Basileæ, 1741; Lanzoni *de Luctu Mortuali vet.* (*Thes. Sall.* III.); Baruffaldus *de Præficis* (ib.); Chausseus, de la Chausse, *Lucernæ Sepulchrales* (*Thes. Græv.* XII.); Oct. Ferrarius *de Luc. Sepulchr.* (ib.); Gorii *Columbarium* (v. ad 51-64.); Henr. Noris. *Cenotaphia*

Pisana C. et L. Cæsarum, Venet. 1681, Pisis 1764; *Pict. ant. sepulchri Nasonum* (v. ad 430-446); Guther. *de Jure Manium* (*Thes. Græv.* XII.); Seyffert *de numis in ore defunctorum repertis*, 1709.

§. 491. Augustinus *de Gentibus et Fam. Rom.* (*Thes. Græv.* VII.); Streinnii *de Gent. et Fam.* (ib.); Ruperti *Stemmata gent. Rom.*, Gœttingæ 1795.); Sigonius *de Nominibus Rom.* (*Thes. Græv.* II.)

§. 493-5. V. ad 51-64.

ADDENDA ET EMENDANDA.

§. 38. ad notam 7. adde: cf. Varro *de R. R.* 2, 11. §. 89. scribe *abolito* pro *suppresso*. Pro *par* autem et hic et alibi aliud malis (v. præf. pag. III.) §. 137. post *clavus* adde: (v. §. 452.); §. 163. ad notam 6. adde: cf. Cic. *p. Mur.* 18; §. 173. ad notam 7. adde: cf. Cic. *ad Div.* 6, 18; §. 195. ad notam 4. adde: Cic. *Brut.* 84. §. 206. scribe *superabat* pro *superstes*. §. 334. et sqq. Krebsius *festum*, ut poeticum, damnaret. Ego, in pari argumento, brevitatis quoque causa, Ovidium auctorem malui, quem ne crederem quidem poeticum hic potius, quam vulgarem vocabuli usum sequi voluisse. §. 411. post *conjungendus* adde: Cui vitæ etiam nonnullæ poetarum, in his Terentii, Horatii et Persii, tribuuntur. Nec non aliæ quædam hic memorandæ, vetustæ quidem, sed incerto pleræque auctore, inter quas Virgilii vita, vulgo Ælio Donato adscripta. §. 455. ad vocem *barbatus* cf. Juven. 4, 103; ib. ad notam 3. adde: Hor. *Ep.* 1, 14, 14, *tu mediastinus tacita prece rure petebas*. P. 519. ad §. 447-457, post vocem *partes* insere: J. R. Forster tractatus *de bysso antiquorum* — Lond. 1776. (byssum vere lineum textum fuisse, nuper Jac. Thomson, Britannum, microscopo rem scrutatum, evicisse legimus.)

VITIA TYPOGRAPHICA.

Pag. 2. scribe Ῥωμαϊκή, p. 5. lin. 4. *ræm.*, p. 8. dele punctum post *capitum*, ibidemq. l. ult. scribe consuetudine, p. 14. incipe §. 14. a voce Campania, p. 28. scribe exigua, p. 39. l. 3. scribe 41, p. 53. scribe 390 pro 250, p. 56. cœpit, p. 64. l. 11. opponitur, p. 68. pone 74 ante *paucis*, p. 71. scribe Cass. 53, 21, p. 113. vocabulum, p. 129 Creuzer, p. 149 pone, pro; post *liquet*, p. 186. scribe auctoritate, p. 198. distinguuntur, p. 217 Tironis, p. 236. concessum, p. 241. latinitatis, p. 260. peregrinus, p. 281. privata lis, p. 282. adaptatis, p. 319. scribe 183 pro 103, p. 350. scribe 409 pro 305., p. 384. scribe 384 pro 284, p. 385. l. 1. liber, l. 5. trahendi, l. 37. Marcio, p. 409. Calpurnii, p. 433. *Aufsætze*, p. 492. insere aplustrum, 385.